
NAZIONAL
8
13
I
38
ROMA
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

MISSALE
IVXTA RITVM SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM S. P. N. DOMINICI.

SVB R. P. F. HIERONYMO XAVIERRE Cæsaraugustano, totius præfati Ordinis Generali Magistro recognitum & emendatum; & auctoritate Apostolica approbatum & confirmatum.

ROMÆ,
Ex Typographia Alfonsi Ciacconi:
Apud Carolum Vullietum.
MDCIIII.

Superiorum Permissu.





CLEMENS PAPA VIII.



ILECTE fili salutem & Apostolicam benedictionem. *Cum, sicut accepimus, in Capitulo Generali tui Ordinis Fratrum Prædicatorum Anno proxime præterito M. DCI. in Vrbe celebrato, resolutum fuerit, vt libri Chorales, Mißale, Breuiarium, Diurnum, & reliqui quibus Religiosi dicti Ordinis vtuntur, ad normam & præscriptum Missalis, Breuiarij, & Diurni Romani; prout nos cupere ex relatione dilecti filij nostri Cæsaris Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyteri Cardinalis Baronij nuncupati, in eodem Capitulo Generali Apostolici Præsidentis, eidem Capitulo significatum fuerat; præcipue quoad Epistolarum & Euangeliorum seriem, seruato tamen antiquo prædicti Ordinis ritu, quàm maxime conformarentur: ac negotium huiusmodi tibi per te executioni demandari commissum extiterit, tuq. ea de causa nonnullos eiusdem Ordinis Religiosos viros doctos ad tale opus conficiendum aptos accersiueris, vt ipsi impressioni dictorum librorum in Romana Curia faciendæ quàm accuratissime operam nauarent. Cumque, sicut eadem expositio subiungebat, eorundem Religiosorum ad hoc deputatorum diligentia effectum sit, vt iam impressioni prædictæ per dilectum filium Alfonsum Ciacconum manus apposita fuerit: Nos vt libri Chorales huiusmodi ad præscriptum Missalis, Breuiarii, ac Diurni Romani, vt prædictum est, conformati, in tota Religione prædicta recipiantur, & in Choro & extra publice ac priuatim in vsum admittantur, prouidere; simulque eorum qui huiusmodi impressionis curam susceperunt, aut in futurum suscipient, indemnitati prospicere cupientes: teque ac vniuersum Ordinem prædictum specialibus fauoribus & gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc porrectis inclinati, reformationem Missalis, Breuiarii, & Diurni, ac aliorum librorum Choralium tui Ordinis Prædicatorum, ad supradictam normam factam, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus: Volumusque & eadem auctoritate præcipimus, vt posthac libri prædicti, tam pro particulari Fratrum & Sororum dicti Ordinis, quàm pro communi Chori vsu iuxta reformationem & conformationem prædictas, postquam euulgati fuerint, aliter imprimi non debeant: quòdque à forma noua impressionis huiusmodi recedi, vel quidquam de ea mutari aut deinceps procurari, vel permitti quòd in dictis libris sic reformatis aliquid mutetur, minuatur, vel addatur etiam prætextu particularium aliquarum Festiuitatum, quæ in certis Prouinciis, aut Ciuitatibus consueuerunt celebrari, nec quauis alia occasione, nisi iuxta prædicti Ordinis instituta per Capitulum Generale de nostra, vel successorum nostrorum speciali licentia, ac sine alicuius præiudicio aliter constitutum fuerit, minime possit. Præterea tibi ac dilectis filiis Prouincialibus, & aliis quibuscumque Superioribus, & Religiosis vtriusque sexus totius Ordinis prædicti, districte præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis maioris pœna mandamus, vt deinceps publice ac priuatim in Choro & extra, iuxta formam Missalis & Breuiarii, & reliquorum librorum Choralium sic reformatorum, ac Romæ tantum impressorum, precari, celebrare, & psallere teneamini. Porro ne dictus Alfonsus, vel eius heredes, aut alii ab eo causam habentes, quibus tu libros huiusmodi imprimendi curam dedisti, quique magnos sumptus pro huiusmodi editione iam fecerunt, & deinceps facturi sunt, laborum suorum fructu frustrentur, prouidere volentes; Vniuersis & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus: præsertim vero Typographis, Impreßoribus, & Bibliopolis vbique terrarum & locorum existentibus sub excommunicationis maioris sententia; personis vero nostræ temporalis iurisdictionis, & amissionis Typorum ac li-*

brorum omnium, & quingentorum ducatorum auri de Camera pro vna Cameræ Apostolicæ, pro alia accusatori, & pro reliqua tertiis partibus ipsis Alfonso, vel eius heredibus, aut ab eo causam habentibus applicandis eo ipso absque alia declaratione incurrendis poenis, inhibemus; ne infra viginti annos à die quo Missale, & Breuiarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Processionale, Psalmista, Officium Beatæ Mariæ Virginis, & Kalendarium perpetuum, & reliqui libri Chorales, quibus Religiosi vtriusque sexus dicti Ordinis vtuntur, in lucem editi fuerint, illos vel eorum aliquem sine dicti Alfonsi, vel eius heredum, aut ab eo causam habentium expressa, & in scriptis obtenta licentia aliunde imprimere, aut ab aliis impressos venales habere vel tenere quoquo modo audeant, vel præsumant. Mandantes vniuersis & singulis venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis locorum Ordinariis eorumque Vicariis seu officialibus in spiritualibus generalibus, & aliis quibusuis in quacumque Ecclesiastica dignitate constitutis, vt quando, & quoties per te vel nomine dicti Ordinis, seu per dictum Alfonsum, per eius heredes, aut ab eo, vel ab eis causam habentes fuerint requisiti, præmissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis. Non obstante fel. rec. Iulij Papæ III. prædecess. nostri, & aliis nostris super librorum Choralium vestri Ordinis impressione, ac aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac præmissis: necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq. contrariis quibuscumque; Volumusque, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd post horum librorum publicationem, qui in Romana Curia sunt præsentes prædicti Ordinis Fratres, aut Sorores, statim lapso mense. Reliqui vero qui citra montes, sex mensibus; qui vltra montes vbique locorum intra annum, vel cum primum venalium huiusmodi librorum facultatem habuerint, ad precandum, celebrandum, & psallendum iuxta illorum ritum, tam in Choro quàm extra illum, maneant obligati. Harum autem litterarum exempla etiam in ipsis libris impressa, vel extra quomodocũque manu Notarij publici subscripta, & alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo munita, eandem vbiq. fidem in iudicio, & extra faciant, quam ipsæ præsentes facerent si fuissent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 2. Aprilis 1602. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

M. Vestrius Barbianus.

A tergo.
Dilecto filio Fr. Hieronymo Xauierre totius Ordinis Prædicatorum Magistro Generali.

DE ANNO, ET EIVS PARTIBVS.

Annus menses habet duodecim, Hebdomadas duas & quinquaginta, & diem vnum. Dies vero trecentos sexagintaquinque, & fere sex horas: tanto enim temporis interuallo Sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur.

QVATVOR TEMPORA.

Quatuor tempora celebrantur quarta & sexta Feria, ac Sabbato post tertiam Dominicam Aduentus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Pentecosten, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

NVPTIAE QVANDO CELEBRARI NON POSSINT, iuxta decretum Concilij Tridentini.

A Dominica prima Aduentus vsque in diem Epiphaniæ; & à Feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiue, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.

FR. HIERONYMVS XAVIERRI
CÆSARAVGVSTANVS

Sacræ Theologiæ professor ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magister & seruus. Omnibus eiusdem Ordinis Fratribus salutem in Domino.



VAMPRIMVM ad supremam hanc totius sacri Ordinis nostri Præfecturam diuina fauente clementia, meritis licet imparibus, assumpti sumus, in eum scopum omnes nostras cogitationes, studia, atque conatus direximus, vt integritati, ac puritati diuini Officij, quo Deus potissimum laudatur & colitur, modis omnibus consuleremus. Nam quamuis in hac re à venerabilis memoriæ prædecessoribus nostris Magistris Ordinis omnem operam adhibitam fuisse non ignoremus. tamen cumtemporum iniuria, Typographorum incuria, alijsq. casibus in Missali, Breuiario, ac Martyrologio Ordinis nostri, quibus præcipue ritus ac formula diuini Officij continetur, plurimi illapsi deprehensi fuerint errores: ac tum in Scriptura sacra, tum in Lectionibus Patrum, in Sanctorum Vitis, & in Rubricis multa immutata, deprauata, atque etiam plura inter se diuersa inueniantur, ac plane eiusmodi quæ nullo pacto tolerari posse viderentur: in eam sedulo curam incumbendum duximus, vt omnia quàm exactissime ad omnem veritatis & integritatis normam, quantum pro humana imbecillitate licuisset, restituerentur. Adhibitis igitur aliquot pijs & doctis viris, inspectis antiquissimis & fidelissimis exemplaribus, varijs de hac re habitis consultationibus, expectatis auditisque omnium ferme Prouinciarum sententijs, quarum Prouinciales, vt ipsi eruditorum Fratrum opera vsi, ad nos notatu digna perscriberent, opportune litteris præmonuimus: collatis in vnum omnium studijs, meliora & grauiora maturo consilio, vt in re tanti momenti fieri par erat, deligentes; impensius curauimus vt Breuiarium, Missale, ac Martyrologium nostri Ordinis emendatissime recognita, ac denuo cusa prodirent in lucem In Missali quidem, quod Sanctiss. Domino N. Clementi VIII. gratum esse cognouimus, quodque votis fere omnium expetebatur, Euangelia, Epistolasque ad vsum S. Romanæ Ecclesiæ conformauimus. Idem in Homilijs Breuiarij præstitimus. Homilias vero & Sermones non nisi ex Sanctißimis Catholicæ Ecclesiæ Patribus, atque ex certis genuinisque eorumdem operibus excerpsimus. Quo in genere spuria nonnulla, nec satis idoneorum Auctorum, quæ antea legebantur, abiecimus. In Vitis Sanctorum, ac in Martyrologio, quoniam multa irrepserant apocrypha, incerta, ac fide nutantia: certißima dumtaxat, omnique veritate conspicua, & eruditorum consensu probata, vel ex Sanctis Patribus, vel ex præstantibus auctoribus, vel ex sinceris Sanctorum conscriptis Actis accepta, reponi iußimus. In reliquis omnibus antiqui nostri ritus formam & institutum, priscamque à Patribus nobis traditam diuinarum Precum rationem integram inuiolatamque manere voluimus, ac etiam approbatas recitandi Officij consuetudines vt antea conseruari: vt hac in parte præter ea quæ in hac noua editione expressa fuerint, nihil de pristino vsitato more persoluendi diuinum Officium mutatum omnes intelligant. Quæ omnia auctoritate Apostolica à Sanctiss. Domino N. Clemente VIII. nobis benigne concessa, ac etiam Capituli nostri Generalis, qua fungimur, & nostra quoque non sine ingenti labore confecta, decernimus ab omnibus nostri Ordinis Fratribus, ac Sororibus inuiolabiliter debere recipi, & obseruari. Nec eis licere alijs, vel ex alia editione vti deinceps Breuiarijs (nimirum, mox vt eorum copiam nacti fuerint) quàm istis à nobis nunc emendari iussis ac editis Romæ in Officina Alfonsi Ciacconi prout in Apostolico Diplomate hic affixo plenius continetur. Præcipientes eisdem in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto vt nulla deinceps Breuiaria, Missalia, Martyrologia, vel alios libros ad diuinum Officium pertinentes emant, nisi ex hac noua editione Romana apud Alfonsum Ciacconum. Datis Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam die xvii. Februarij anno. M D C I I I.

Fr. Hieronymus Xauierre.

qui supra

Assumptionis nostræ anno ij.

Fr. Ludouicus Ylcella Magister & Prouincialis Terræ Sanctæ.

M. P.

LIBE VA-

IANVARIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini. **Duplex. 19.**
xxix	b	iiij	2	Oct. **S. Stephani Protomart.** iii. Lect. **287. & 281.**
xxviij	c	iij	3	Oct. **Ioannis Euangelistæ.** iii. Lect. 287. & 282.
xxvij	d	Prid.	4	Oct. **Innocentium.** iii. Lect. 287. & 283.
xxvj	e	Non.	5	**Vigilia. 20.**
25. xxv.	f	viij	6	Epiphania Domini. **Totum Duplex. 21.**
xxiiij	g	vij	7	Raymundi de Peñiafort. **Totum Duplex. 287.**
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iiij	10	
xx	d	iij	11	
xix	e	Prid.	12	
xviij	f	Idib.	13	Oct. **Epiphaniæ.** Simplex. 23.
xvij	g	**xix**	14	*Februarij.* Hilarij Episcopi & confess. **Duplex. 288.**
				Oct. **S. Raymundi.** Memor. **287.**
xvj	A	xviij	15	**Mauri Abbatis.** iii. Lect. 289.
xv	b	xvij	16	**Marcelli Papæ & mart.** iii. Lect. 290.
xiiij	c	xvj	17	Antonij Abbatis. **Totum Duplex. 291.**
xiij	d	xv	18	**Priscæ virg. & mart.** iii. Lect. 292. Initium Septuag.
xij	e	xiiij	19	**Felicis Presbyteri & martyris.** iii. Lect. 293.
xj	f	xiij	20	Fabiani & Sebastiani martyrum. **Totum Dupl. 294.**
x	g	xij	21	Agnetis virginis & martyris. **Totum Duplex. 295.**
ix	A	xj	22	Vincentij martyris. **Totum Dupl. 296.**
viij	b	x	23	**Emerentianæ virginis & mart.** iii. Lect. 297.
vij	c	ix	24	**Timothei Episcopi & martyris.** iii. Lect. 298.
vj	d	viij	25	Conuersio S. Pauli Apostoli. **Totum Duplex. 299.**
v	e	vij	26	**Polycarpi Episcopi & mart.** iii. Lect. 301.
iiij	f	vj	27	Ioannis Chrysostomi Episcopi & confess. **Dupl. 302.**
iij	g	v	28	**Agnetis** secundo. iii. Lect. 303.
			29	**Pauli primi Eremitæ.** iii. Lect. 303.
ij	A	iiij		Oct. **Vincentij martyris.** Memor. **296.**
j	b	iij	30	
*	c	Prid.	31	**Iuliani Episcopi & confessoris.** iii. Lect. 304.

FEBRVA-

FEBRVARIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxix	d	Kal.	1	Ignatij Episcopi & mart. Duplex. 305.
xxviij	e	iiii	2	Purificatio S. Mariæ Virginis. Totum Duplex. 307.
xxvij	f	iii	3	Blasij Episcopi & mart. Simplex. 308.
25 xxvj	g	Prid.	4	Anniuersarium patrum & matrum. Ante non erit Cinis.
xxv. xxiiij	A	Non.	5	Agathæ virginis & martyris. Duplex. 309.
xxiij	b	viii	6	Dorothææ virginis & martyris. Duplex. 310.
xxij	c	vii	7	Vedasti & Amandi confessorum. Memor. 310.
xxj	d	vi	8	Romualdi Abbatis. Duplex. 312. & 289.
xx	e	v	9	
xix	f	iiii	10	Apolloniæ virginis & martyris. iii. Lect. 312.
xviij	g	iii	11	Scholasticæ virginis. iii. Lect. 313.
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvi	14	*Martij.* Valentini martyris. iii. Lect. 314.
xiiij	d	xv	15	
xiij	e	xiiii	16	
xij	f	xiii	17	
xj	g	xii	18	
x	A	xi	19	Septuages. post non erit.
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viii	22	Cathedra Petri Apostoli. Simplex. 315.
vj	e	vii	23	Vigilia.
v	f	vi	24	Matthiæ Apostoli. Totum Duplex. 316. Locus bissexti.
iiij	g	v	25	
iij	A	iiii	26	
ij	b	iii	27	
j	c	Prid.	28	

In Anno Bissextili Februarius est dierum 29. & Festum S. Matthiæ celebratur 25. Februarij, & bis dicitur, sexto Kalendas, id est, die 24. & die 25. & littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Ianuario, mutatur in præcedentem. Vt si in Ianuario littera Dominicalis fuit A, mutetur in præcedentem, quæ est g, &c.

✠ 4 MAR-

MARTIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
*	d	Kal.	1	Albini Episcopi & confess. iii. Lect. 317.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iiij	4	
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiiij	c	Non.	7	Thomæ de Aquino. Totum Duplex. 318.
xxiij	d	viij	8	
xxij	e	vij	9	
xxj	f	vj	10	Post non erit Cinis.
xx	g	v	11	
xix	A	iiij	12	Gregorij Papæ. Totum Duplex. 319.
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	Oct. Thomæ Aquinatis. Memor. 318.
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	*Aprilis.*
xiiij	f	xvj	17	
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiiij	19	Iosephi sponsi B. Mariæ. Totum Duplex. 320.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	Benedicti Abbatis. Duplex. 321.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	Annunciatio Dominica. Totum Duplex. 322.
v	A	vij	26	
iiij	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iiij	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

APRI-

APRILIS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iiii	2	Francisci de Paula confessoris. **Duplex. 324.**
xxvij	b	iii	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Ambrosij Episcopi. **Totum Duplex. 325.**
xxv. xxiiij	d	Non.	5	Vincentij Confess. Ord. Prædic. **Totum Duplex. 326.**
xxiij	e	viii	6	
xxij	f	vii	7	
xxj	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iiii	10	
xviij	c	iii	11	
xvij	d	Prid.	12	**Oct. Vincentij confessoris.** Memor. **326.**
xvj	e	Idib.	13	
xv	f	xviii	14	***Maij.*** **Tiburtij, Valeriani, & Maximi martyrum.** iii. Lect. **327.**
xiiij	g	xvii	15	
xiij	A	xvi	16	
xij	b	xv	17	
xj	c	xiiii	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	Agnetis de Monte Politiano. **Totum Duplex. 328.**
viij	f	xi	21	
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	**Georgij martyris.** Simplex. **329.**
v	b	viii	24	**Adalberti Episcopi & martyris.** iii. Lect. **330.**
iiij	c	vii	25	Marci Euangelistæ. **Totum Duplex. 331.** Vltimum Pascha.
iij	d	vi	26	
ij	e	v	27	**Oct. Agnetis de Monte Politiano.** Memor. **328.**
j	f	iiii	28	**Vitalis martyris.** iii. Lect. **332.**
*	g	iii	29	Petri martyris. **Totum Duplex. 332.**
xxix	A	Prid.	30	Ante non erit Ascensus.

MAIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxviii	b	Kal.	1	Philippi & Iacobi Apostoli. Totum Dupl. 334.
xxvii	c	vi	2	Antonini Archiepiscopi Florent. Totum Dupl. 335.
xxvi	d	v	3	Inuentio S. Crucis. Totum Dupl. 336.
				Alexandri, Euentij, Theoduli martt. Mem. 337.
				Prima Dominica post Festum S. Crucis celebratur
				Festum S. Catharinæ de Senis. Totum Dupl. 338.
25. xxv	e	iiii	4	
xxiiii	f	iii	5	Athanasij Episcopi & confessoris. Duplex. 339.
xxiii	g	Prid.	6	Ioannis ante portam Latinam. Duplex. 341.
xxii	A	Non.	7	Coronæ Domini. Totum Dupl. 342.
xxi	b	viii	8	Apparit. Michaelis Archang. Tot. Dupl. 343. & 421.
xx	c	vii	9	Gregorij Nazianzeni. Duplex. 343.
xix	d	vi	10	Gordiani & Epimachi martt. iii. Lect. 344.
				Ante non venit ignis.
xviii	e	v	11	Stanislai Episcopi & martyris. Duplex. 345.
xvii	f	iiii	12	Nerei, Achillei, & Pancratij martyrum. iii. Lect. 346.
xvi	g	iii	13	Seruatij confessoris. iii. Lect. 347. & 351.
xv	A	Prid.	14	
xiiii	b	Idib.	15	
xiii	c	xvii	16	*Iunij.*
xii	d	xvi	17	
xi	e	xv	18	
x	f	xiiii	19	Pudentianæ virginis. iii. Lect. 347. & 313.
ix	g	xiii	20	
viii	A	xii	21	
vii	b	xi	22	Ante non erit Corpus.
vi	c	x	23	
v	d	ix	24	Translatio S. P. N. Dominici. Tot. Dupl. 347. & 21.
iiii	e	viii	25	Vrbani Papæ & martyris. iii. Lect. 347.
iii	f	vii	26	
ii	g	vi	27	
i	A	v	28	
*	b	iiii	29	
xxix	c	iii	30	
xxviii	d	Prid.	31	Petronillæ virginis. iii. Lect. 349.

I V N I V S.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxvii	e	Kal.	1	
25.xxvi	f	iiii	2	Marcellini & Petri martyrum. ii. Lect. 350.
xxv.xxiiii	g	iii	3	Post non erit Ascensus.
xxiii	A	Prid.	4	
xxii	b	Non.	5	
xxi	c	viii	6	
xx	d	vii	7	
xix	e	vi	8	Medardi Episcopi & confess. iii. Lect. 351.
xviii	f	v	9	Primi & Feliciani martyrum. iii. Lect. 352.
xvii	g	iiii	10	
xvi	A	iii	11	Barnabæ Apostoli. Totum Duplex. 353.
xv	b	Prid.	12	Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii martyrum. iii. Lect. 354.
xiiii	c	Idib.	13	Antonij de Padua confessoris. Duplex. 356. Post non venit ignis.
xiii	d	xviii	14	*Iulij*. Basilij Episcopi & confessoris. Duplex. 357.
xii	e	xvii	15	Viti & Modesti martyrum. iii. Lect. 358.
xi	f	xvi	16	Martialis Episcopi & confessoris. iii. Lect. 359. Quirici & Iulittæ martyrum. Memor. 359.
x	g	xv	17	
ix	A	xiiii	18	Marci & Marcelliani martyrum. iii. Lect. 360.
viii	b	xiii	19	Geruasij & Protasij martyrum. Simplex. 361.
vii	c	xii	20	
vi	d	xi	21	
v	e	x	22	Decem Millium martyrum. Duplex. 362.
iiii	f	ix	23	Vigilia. 363.
iii	g	viii	24	Natiuitas S. Ioannis Baptistæ. Totum Duplex. 365. Post non erit Corpus.
ii	A	vii	25	
i	b	vi	26	Ioannis & Pauli martyrum. Simplex. 366.
*	c	v	27	
xxix	d	iiii	28	Leonis Papæ. Memoria. Vigilia. 367.
xxviii	e	iii	29	Petri & Pauli Apostolorum. Totum Duplex. 368.
xxvii	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli. Duplex. 370.

I V-

IVLIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxvi	g	Kal.	1	Oct. S. Ioannis Baptistæ. Simplex. 371. & 365.
25. xxv	A	vi	2	Visitatio B. Mariæ Virginis. Totum Dupl. 371.
xxiiii	b	v	3	Processi & Martiniani martyrum. Memor. 372.
xxiii	c	iiii	4	
xxii	d	iii	5	
xxi	e	Prid.	6	Oct. Apostolorum Petri & Pauli. Simplex. 373.
xx	f	Non.	7	
xix	g	viii	8	
xviii	A	vii	9	Oct. Visitationis B. Mariæ Virg. Simplex. 371.
xvii	b	vi	10	Septem Fratrum martt. iii. Lect. 374.
xvi	c	v	11	Procopij Abbatis. iii. Lect. 375. & 289.
xv	d	iiii	12	Anniuersarium sepultorum in cœmeterijs nostris.
xiiii	e	iii	13	
xiii	f	Prid.	14	Bonauenturæ Episcopi & confess. Totum Dupl. 375.
xii	g	Idib.	15	
xi	A	xvii	16	*Augusti*.
x	b	xvi	17	Alexij confessoris. iii. Lect. 376.
ix	c	xv	18	
viii	d	xiiii	19	
vii	e	xiii	20	Margaritæ virginis & mart. Simplex. 377.
vi	f	xii	21	Praxedis virginis. iii. Lect. 378.
v	g	xi	22	Mariæ Magdalenæ. Totum Duplex. 379.
iiii	A	x	23	Apollinaris Episcopi & mart. Memor. 381.
iii	b	ix	24	Christinæ virginis & mart. Memor. 381.
ii	c	viii	25	Iacobi Apostoli. Totum Duplex. 381. Christophori & Cucuphatis martt. Memor. 381.
i	d	vii	26	Annæ matris S. Mariæ. Totum Duplex. 383.
*	e	vi	27	Marthæ virginis. Duplex. 384.
xxix	f	v	28	Nazarij, Celsi, & Pantaleonis martt. Memor. 385.
xxviii	g	iiii	29	Oct. Mariæ Magdalenæ Simplex. 379. Felicis, Simplicij, Faustini, & Beatricis martt. Memor. 385.
xxvii	A	iii	30	Abdon & Sennen martt. iii. Lect. 385.
25. xxvi	b	Prid.	31	Germani Episcopi & confess. iii. Lect. 387. & 351.

AVGV-

AVGVSTVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxv.xxiiii	c	Kal.	1	Ad Vincula Petri Apostoli. Simplex. 387. SS. Machabæorum. Memor. 387.
xxiii	d	iiii	2	Stephani Papæ & mart. iii. Lect. 387.
xxii	e	iii	3	Inuentio Stephani protomart. Simplex. 388. & 281.
xxi	f	Prid.	4	S. Dominici P. N. Confess. Totum Duplex. 389.
xx	g	Non.	5	
xix	A	viii	6	Transfiguratio D. N. Iesu Christi. Totum Dupl. 391. Xysti, Felicissimi & Agapiti mart. Memor. 392.
xviii	b	vii	7	Donati Episcopi & martyris. Memor. 392.
xvii	c	vi	8	Cyriaci, & sociorum martyrum. Memor. 392.
xvi	d	v	9	Vigilia. 393.
xv	e	iiii	10	Laurentij martyris. Totum Duplex. 394.
xiiii	f	iii	11	Oct. S. Dominici. Solem. 389. Tiburtij mart. Me. 395
xiii	g	Prid.	12	
xii	A	Idib.	13	Hippolyti sociorumq. eius. Duplex. 395.
xi	b	xix	14	*Septemb.* Vigil. 396. & Eusebij Presb. & conf. Me. 396
x	c	xviii	15	Assumptio B. Mariæ Virg. Totum Duplex. 397.
ix	d	xvii	16	Festum S. Hyacinthi celebratur semper j. Dominica post Assumptionem B. Mariæ. Totum Dupl. 399.
viii	e	xvi	17	Oct. Laurentij martyris. Simplex. 400.
vii	f	xv	18	Agapiti martyris. Memor. 400.
vi	g	xiiii	19	
v	A	xiii	20	Bernardi Abbatis. Duplex. 400.
iiii	b	xii	21	
iii	c	xi	22	Oct. Assumpt. B. Mariæ Virg. Solemnis. 397. SS. Timothei & Symphoriani martt. Memor. 401.
ii	d	x	23	Oct. Hyacinthi confess. Memor. 399. Vigilia.
i	e	ix	24	Bartholomæi Apostoli. Totum Duplex. 402.
*	f	viii	25	Ludouici confessoris. Simplex. 403.
xxix	g	vii	26	
xx. iii	A	vi	27	Rufi Episcopi & martyris. iii. Lect. 404.
xxvii	b	v	28	Augustini Episcopi & confess. Totum Dupl. 405.
xxvi	c	iiii	29	Decoll. Ioan. Bapt. Dup. 406. Sabinæ mart. Me. 406
25. xxv	d	iii	30	Felicis & Adaucti martt. Memor. 408.
xxiiii	e	Prid.	31	

SEPTEM-

SEPTEMBER.

Cycla. Epact.	Litte Dom		D M	
xxiij	f	Kal.	1	
xxij	g	iiij	2	
xxj	A	iij	3	
xx	b	Prid.	4	Oct. S. Augustini. Simplex. 405.
xix	c	Non.	5	Anniuersarium familiarium, & benefactorum Ordinis nostri.
xviij	d	viij	6	Aegidij Abbatis. iii. Lect. 408. & 289.
xvij	e	vij	7	Marcelli martyris. iii. Lect. 408. & 314.
xvj	f	vj	8	Natiuitas S. Mariæ Virginis. Totum Duplex. 408.
xv	g	v	9	Gorgonij martyris. Memor. 410.
xiiij	A	iiij	10	Nicolai de Tolentino. Duplex. 410.
xiij	b	iij	11	Proti & Hyacinthi martt. Memor. 411.
xij	c	Prid.	12	
xj	d	Idib.	13	
x	e	xviij	14	*Octobris.* Exaltatio S. Crucis. Totum Duplex. 411.
ix	f	xvij	15	Oct. S. Mariæ Virginis. Simplex. 408.
				Nicomedis martyris. Memor. 412.
viij	g	xvj	16	Euphemiæ virginis & martyris. iii. Lect. 412.
vij	A	xv	17	Lamberti Episcopi & martyris. iii. Lect. 413.
vj	b	xiiij	18	Cornelij & Cypriani martyrum. Duplex. 414.
v	c	xiij	19	Ianuarij sociorumq. martyrum. Simplex. 415.
iiij	d	xij	20	Vigilia. 417.
iij	e	xj	21	Matthæi Apostoli & Euangelistæ. Totum Dupl. 417.
ij	f	x	22	Mauritij sociorumq. eius. Simplex 418.
j	g	ix	23	
*	A	viij	24	
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani martyrum. Simplex 420.
xxvj	e	iiij	28	Vuenceslai martyris. iii. Lect. 421.
xxv. xxiiij	f	iij	29	Michaelis Archangeli. Totum Duplex. 421.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi Presbyteri. Totum Duplex. 423.

OCTO

OCTOBER.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxii	A	Kalo	1	Prima Dominica Octob. celebratur Festum B. Mariæ Virginis, sub nomine S. Rosarij. Totum Duplex. 424. & 408.
xxi	b	vi	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iiii	4	Francisci confessoris. Duplex. 424.
xviii	e	iii	5	Placidi sociorumq. eius martt. Simplex. 425.
xvii	f	Prid.	6	Oct. Michaelis Archangeli. Simplex. 421.
xvi	g	Non.	7	Marci Papæ & confess. iii. Lect. 426. Sergij, Bacchi, & sociorum martt. Memor. 426.
xv	A	viii	8	Remigij Episcopi & confess. iii. Lect. 427.
xiiii	b	vii	9	Dionysij sociorumq. eius. Totum Duplex. 429.
xiii	c	vi	10	Anniuersarium omnium Fratrum nostri Ordinis.
xii	d	v	11	Leodegarij Episcopi & mart. iii. Lect. 430.
xi	e	iiii	12	
x	f	iii	13	Eduardi Regis & confessoris. iii. Lect. 431.
ix	g	Prid.	14	Calixti Papæ & martyris. iii. Lect. 432.
viii	A	Idib.	15	
vii	b	xvii	16	*Nouembris.*
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	Lucæ Euangelistæ. Totum Duplex. 433.
iiii	e	xiiii	19	
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Vndecim millium Virg. martt. Totum Duplex. 434.
i	A	xi	22	Hilarionis Abbatis. iii. Lect. 435.
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviii	d	viii	25	Crispini & Crispiniani martt. iii. Lect. 436.
xxvii	e	vii	26	
xxvi	f	vi	27	Vigilia. 437.
25. xxv	g	v	28	Simonis & Iudæ Apost. Totum Duplex. 438.
xxiiii	A	iiii	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	Prid.	31	Quintini martyris. Memor. Vigilia. 440.

NOVEM-

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxj	d	Kal.	1	Festum omnium Sanctorum. Totum Duplex. 441.
xx	e	iiii	2	Commem. omniũ Fidel. Defunct. ix. Lect. 443. & 50
xix	f	iii	3	
xviij	g	Prid.	4	
xvij	A	Non.	5	
xvj	b	viii	6	
xv	c	vii	7	
xiiij	d	vi	8	Oct. omnium Sanctorum. Solemnis. 441.
xiij	e	v	9	Theodori mart. iii. Lect. 443.
xij	f	iiii	10	Quatuor Coronatorum. iii. Lect. 444.
xj	g	iii	11	Martini Episc. & confess. Tot. Dup. 445. Mennæ mart.
x	A	Prid.	12	(Mem. 445.
ix	b	Idib.	13	Britij Episcopi & confessoris. Memor. 446.
viij	c	xviii	14	*Decembris.*
vij	d	xvii	15	
vj	e	xvi	16	
v	f	xv	17	
iiij	g	xiiii	18	Oct. Martini confess. Simplex. 445.
iij	A	xiii	19	Elisabeth viduæ. iii. Lect. 446.
ij	b	xii	20	
j	c	xi	21	Præsentatio Virginis Mariæ. Totum Duplex. 448.
*	d	x	22	Cæciliæ virginis & martyris. Duplex. 448.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ & martyris. Duplex. 449.
xxviij	f	viii	24	Chrysogoni martyris. iii. Lect. 451.
xxvij	g	vii	25	Catharinæ virginis & martyris. Totum Dupl. 452.
25. xxvj	A	vi	26	
xxv. xxiiij	b	v	27	Vitalis & Agricolæ martyrum. iii. Lect. 453.
xxiij.	c	iiii	28	
xxij	d	iii	29	Saturnini Episcopi & mart. Memor. Vigilia. 272.
xxj	e	Prid.	30	Andreæ Apostoli. Totum Duplex. 273.

Aduentus Domini celebratur Dominica proximiori Festo S. Andreæ, siue ante, siue post. Et si Festum illud venerit in Dominica, ipsa die celebrabatur. Non erit ante diem 27. Nouembris, neque post 3. Decembris.

DE-

DECEMBER

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iiij	2	
xviij	A	iij	3	
xvij	b	Prid.	4	Barbaræ virginis & martyris. Duplex. 274.
xvj	c	Non.	5	
xv	d	viij	6	Nicolai Episcopi & confess. Totum Duplex. 275.
xiiij	e	vij	7	Ordinatio Ambrosii Episcopi & confess. Duplex. 276. Octa. S. Andreæ Apostoli. Memor. 276.
xiij	f	vj	8	Sanctificatio S. Mariæ Virg. Totũ Dupl. 278. & 408.
xij	g	v	9	
xj	A	iiij	10	
x	b	iij	11	Damasi Papæ & confessoris. iij. Lect. 278.
ix	c	Prid.	12	
viij	d	Idib.	13	Luciæ virginis & mart. Totum Duplex. 279.
vij	e	xix	14	*Ianuarij*.
vj	f	xviij	15	
v	g	xvij	16	
iiij	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiiij	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	Thomæ Apostoli. Totum Duplex. 280.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia. 11.
xxvj	b	viij	25	Natiuitas D. N. Iesu Christi. Totum Duplex. 12.
25. xxv.	c	vij	26	Stephani protomartyris. Totum Duplex. 281.
xxiiij	d	vj	27	Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Totum Dupl. 282.
xxiij	e	v	28	Sanctorum Innocentium. Simplex. 283.
xxij	f	iiij	29	Thomæ Episcopi & martyris. Simplex. 285.
xxj	g	iij	30	
19. xx	A	Prid.	31	Siluestri Papæ & confess. Simplex. 286.

Hæc Epacta 19. nigra numquam est in vsu, nisi quando eodem anno occurrit cum Aureo numero xix.

DE CYCLO DECENNOVENNALI
AVREI NVMERI.

CYclus Decennouēnalis Aurei numeri est reuolutio numeri 19 annorū ab 1. vsque ad 19. qua reuolutione peracta, iterum ad vnitatem reditur. Verbi gratia. Anno 1577. numerus cycli decennouennalis, qui dicitur Aureus, est 1. anno sequenti 1578. est 2. & ita deinceps in sequentibus annis, vno semper amplius, vsque ad 19. qui Aureus numerus cadet in annum 1595. post quem iterum ad vnitatem redeundum est, ita vt anno 1596. Aureus numer. fit rursus 1. & anno 1597. fit 2. &c.

Igitur vt Aureus numerus quolibet anno proposito inueniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cuius vsus incipit ab anno correctionis 1582. inclusiue, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cuiuslibet anni post annum 1581. reperietur hoc modo.

6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13 14. 15. 16. 17 18. 19. 1. 2. 3. 4. 5

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6. secundus autem, qui est 7. sequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annū, cuius Aureum numerum quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitū.

DE EPACTIS, ET NOVILVNIIS.

EPacta nihil aliud est, quàm numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365. annum communem Lunarem dierum 354. superat: ita vt Epacta primi anni sit 11. cum hoc numero annus Solaris communis, Lunarem annum communem excedat; atque adeo sequenti anno Nouilunia contingant 11. diebus prius, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22. cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Nouilunia cōtingere 22. diebus prius, quàm primo anno: Epactam autem tertij anni esse 3. quia si rursus 11. dies ad 22. adijciātur, efficietur numerus 33. à quo si reijciantur 30. dies, qui vnam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3. atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmētum 11. dierum, abiectis tamen 30. quando reijci possunt. Solum quando peruentum erit ad vltimam Epactam Aureo numero 19. respondentem, quæ est 29. adduntur 12. vt abiectis 30. ex composito numero 41. habeatur rursus Epacta 11. vt in principio. Quod ideo fit, vt vltima lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19. fit tantum 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, vt aliæ sex Lunationes Embolismicæ, non redirent Nouilunia post 19. annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque vno die tardius, quàm ante 19 annos. De qua re plura inuenies in libro nouæ rationis restituendi Kalendarij Romani. Sunt autem nouemdecim Epactæ, quot & Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarij correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarij correctionem.

Aur. nu.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
Epa.	xj	xxij	iij	xiiij	xxv	vj	xvij	xxviij	ix	xx
Aur. nu.	11	12	13	14	15	16	17	18	19	
Epa.	j	xij	xxiij	iiij	xv	xxvj	vij	xviij	xxix	

QVia vero cyclus decennouennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Nouilunia post 19. annos Solares non præcise ad eadem loca redeant, vt dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19. Epactarum. Quamobrem eum ita emendauimus, vt in posterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarum vtamur 30. numeris Epactalibus ab 1. vsque ad 30. ordine progredientibus, quamuis vltima Epacta, siue quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *. propterea quòd nulla Epacta esse possit 30. Varijs autem temporibus ex his 30. Epactis respondent decem & nouem Aureis numeris variæ decem & nouē Epactæ, prout Solaris anni ac Lunaris æquatio exposcit; quæ quidem decem & nouem Epactæ progrediuntur, vt olim, per eundem numerum 11. adduntur que semper 12. illi Epactæ. quæ respondet Aureo numero 19. vt habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1. ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, & Epactas inter se respondentes ab anno correctionis 1582. post detractionem x. dierum, vsque ad annum 1700. exclusiue.

Quamuis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, vnà cum Aureo numero, in cuius locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. detractis prius decem diebus, vsq. ad annum 1700. exclusiue.

Aur. num.	6	7	8	9	10	11	12	13	14	
Epa.	xxvj	vij	xviij	xxix	x	xxi	ij	xiij	xxiiij	
Aur. num.	15	16	17	18	19	1	2	3	4	5
Epa.	v	xvj	xxvij	viij	xix	j	xij	xxiij	iiij	xv

ITaque si Epacta quocunque anno proposito inuenienda sit, quærendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certe hoc signum *. Vbi ergo illa Epacta, vel

vel signum in Kalendario inuentum fuerit, eo die Nouilunium fiet. Inuenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex Tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo vsus tabellæ incipit, & secundum Aureum numerum sequenti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno à quo eius vsus incipit, & secunda Epacta secundo anno, &c.

Exemplum. Anno correctionis 1582. Aureus numerus est 6. nẽpe primus primę tabellę, cuius vsus incipit ab Idibus Octobris dicti anni correctionis 1582. detractis prius x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ sub Aureo numero 6. collocatur: fietque Nouilunium die 27. Octobris, & 26. Nouemb. & 25. Decemb. Item annô 1583. iam correcto, Aureus numerus est 7. cui eadem tabella supposita est Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Nouilunia indicabit. vt in Ianuario die 24. in Februar. die 22. In Martio die 24. &c.

TABELLA LITTERARVM DOMINICALIVM ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis prius x. diebus) vsque ad annum 1700. exclusiue.

C	B	A	F	E	D	C	A	G	F	E	C	B	A	G	E	D	C	B	G	F	E	D	B	A	G	F	D
		G				B				D				F				A				C				E	

VSus huius tabellæ hic est. Anno correctionis 1582. post Idus Octobris (detractis prius 10. diebus) tribuatur littera C, primæ cellulæ, & sequenti anno 1583. littera B, secundæ, & anno 1584. dentur litteræ A, G. tertiæ cellulæ, & sic deinceps alijs annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum peruentum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit, quàm annus 1700. dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si vnica occurrerit, annus erit communis, si vero duplex, Bissextilis, & tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario à principio anni vsque ad festum S. Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo vsque ad finem anni. Exempli gratia. Sit inuenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582. quem tribue primæ litteræ C, vsque ad annum 1587. tribuendo singulis cellulis singulos annos, (computãdo geminas litteras quascunque, superiorẽ & inferiorem, pro vna cellula) cadetq. annus 1587. in litteram D, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis D, annusque communis est cum littera simplex occurrat. Rursus sit inuestiganda littera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1582. vt dictum est, vsque ad annum 1616. redeundo ad principium tabellæ, postquam eam percurreris, perueniesque ad duas hasce litteras C, B, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat; superiorque littera C, Dominicã diem indicabit à principio anni illius vsque ad festum S. Matthiæ, inferior autem B, in reliqua parte anni.

DE INDICTIONE.

INdictio est reuolutio 15. annorum ab 1. vsque ad 15. qua reuolutione peracta, iterum reditur ad vnitatem, initiumque sumit quilibet annus huius cycli à Ianuario in Bullis Pontificijs. Et quoniam Indictionis frequens vsus est in Diplomatibus, & scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inueniemus ex sequenti tabella, cuius vsus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Nam si anno 1582. tribuas primum numerum, qui est 10. & sequenti anno 1583. secundum numerum, qui est 11. & sic deinceps vsque ad annum propositum, redeũdo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBVS.

QVoniam ex decreto sacri Concilij Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pẽdent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiiij. Lunæ primi mensis, (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cuius xiiij. Luna vel cadit in diẽ verni æquinoctij, quod die 21. mensis Martij contingit, vel propius ipsum sequitur) efficitur, vt si Epacta cuiusuis anni inueniatur, & ab ea in Kalendario notata inter diem octauum Martij inclusiue, & quintum Aprilis inclusiue (huius enim Epactæ xiiij. Luna cadit vel in diem æquinoctij verni, idest, in diem 21. Martij, vel eum propius sequitur) numerentur inclusiue deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiiij. sequens (ne cum Iudæis conueniamus, si forte dies xiiij. Lunæ caderet in diem Dominicum) fit dies Paschæ.

Exemplum. Anno 1605. Epacta est x. & littera Dominicalis b. Et quoniam inuenimus Epactam x. inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis inclusiue positam esse è regione diei 21. Martij, à quo inclusiue si deorsum versus numerentur 14. dies, inueniemus xiiij. Lunam die 3. Aprilis, quæ est Dominica, cum è regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Iudæis conueniamus, qui Pascha celebrãt die xiiij. Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b. quæ sequitur xiiij. Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10. Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10. Aprilis. Item anno 1604. Epacta est xxix. & duplex littera Dominicalis d, c. cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix. quæ è regione diei 1. Aprilis ponitur inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis inclusiue, numerentur dies 14. cadet xiiij. Luna in diem 14. Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nẽpe c, quæ post diem 14. Aprilis, idest, post xiiij. Lunam collocata est è regione diei 18. Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18. Aprilis.

Ceterum vt facilius omnia Festa mobilia inue-

 nian-

niantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, vna antiqua, & noua altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, & in linea litterarum Dominicalium sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem, ita vt si littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam è regione huius litteræ Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum Anno 1606. Epacta est xxj. & littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A, quæ primo infra Epactam xxj. occurrit, reperietur è regione huius litteræ Dominica Septuagesimæ die 22. Ianuarij, dies Cinerum 8. Februarij, Pascha 26. Martij, Ascensio Domini 4. Maij, Pentecostes 14. Maij, & festum Corporis Christi 25. Maij. Dominicæ autem inter Pentecosten & Aduẽtum eo anno erunt 28. & Aduentus celebrabitur die 3. Decembris. Et sic de ceteris. Item anno 1605. Epacta est x & littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxime infra Epactam inuenitur, è regione cuius inuenies Septuagesimam die 6. Februarij, diem Cinerum 23. Februarij, Pascha 10. Aprilis, &c.

Notandum autem est, quòd quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, vt diximus: ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium è regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, vt Festa mobilia inueniantur.

Ex tabula vero Paschali noua ita eadẽ Festa mobilia reperiẽtur. In cellula litteræ Dominicalis currẽtis quæratur Epacta currens. Nam è directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Vt anno 1609. in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis è regione Epactæ xxiiij. quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15. Februarij, dies Cinerum 4. Martij, Pascha 19. Aprilis, &c.

Sed siue antiqua, siue noua tabula Paschali vtamur, inuenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festũ S. Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, vtra duarum litterarum pro hoc, aut illo festo indagando accipienda sit: ita tamen, vt Septuagesimæ, & diei Cinerum inuentæ in Ianuario, aut Februario addatur vnus dies Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalẽdario posteriorem semper sequitur. Post festum autẽ S. Matthiæ in Februario licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita dies 24. Februarij dicatur 25. & dies 25. dicatur 26. &c. Quòd si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendũ est, quia tunc & littera posterior currit, & dies mensis proprijs numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Immo nisi per posteriorem litteram inuestigarentur, non inueniretur recte Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xxiiij & xxv. & littera Dominicali d, c, vt in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088. & 3784. Exempli gratia. Anno 2096. Bissextili Epacta erit v. & litteræ Dominicales A, g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa mobilia inuestigentur, reperietur Septuagesima die 11. Febr. & dies Cinerum 28. Febr. Si autem addatur vnus dies, cadet Septuagesima in diem 12. Febr. quæ est Dominica, & dies Cinerum in diem 29. Febr. quæ est Feria quarta. Pascha autem, & reliqua festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088. Bissextili Epacta erit xxiiij. & litteræ Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur Festa mobilia, inuenietur Septuagesima die 21. Febr. & si addatur vnus dies, cadet in diem 22. Febr. quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. Martij: quare nihil additur, &c. Rursus anno 3784. Bissextili Epacta erit xxv. & litteræ Dominicales d, c. Ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuagesima die 21. Februarij, hoc est addita 1. die 22 Quòd si per priorem litteram d, in vtroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiiij. & xxv. littera d, indicet Septuagesimam die 15. Februarij, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25. Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22. Februarij celebranda sit, vt liquido constat, si à die Paschæ, Dominicæ retro numerentur vsque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarij collocari solebant, vt ex ijs Festa mobilia inuenirentur. Hoc autem idcirco à nobis factum est, vt Pascha, ceteraque Festa mobilia, à Concilio Nicæno vsque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruũtur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quãdo festa hæc celebrata fuerint anno 1450 Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7. & littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7. in sinistro latere accipiatur & prima littera d, infra eum occurrens, reperietur è regione huius litteræ d, Septuagesima die 1. Februarij, dies Cinerum 18. Februarij, Pascha die 5. Aprilis, &c.

Aduentus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe à die 27. Nouembris inclusiue vsque ad diem 3. Decembris inclusiue: ita vt littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27. Nouembris vsque ad diem 3. Decembris, indicet Dominicam Aduentus. Vt verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Aduentus cadet in diem 2. Decembris; quia ibi est littera g, in Kalendario, &c.

TABV-

Tabula Paſchalis Antiqua reformata.

Aur Nu.		Cyclus Epactarum.	Litt. Dñical.	Septuageſ.	Dies Cinerum.	Paſcha.	Aſcēſio.	Pentecoſtes.	Corpus Xri.	Dñic. poſt Pent.	j. Dominica Aduentus.
16		xxiij		Ianu.	Febr.	Mar.	Apr.	Maij.	Maij.		
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29. N.
·		xxj	e	19	5	23	1.Ma.	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1.Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27. N.
·		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiiij	e	26	12	30	8	18	29	27	30
·		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1.Dec.
51		xij	g	28	14	1.Ap.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1. Iu.	27	3
·		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27. N.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1.Fe.	18	5	14	24	4	26	29
·		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1.Dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iiij	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27. N.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1. Iu.	12	25	30
·		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1.Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1.Mar	16	25	4	15	25	3
19	25.	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27. N.
8.	xxv	xxiiij	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1.Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1. Iu.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27. N.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

Tabula Paſchalis Noua reformata.

Litteræ Domi-nicales.	Cyclus Epactarum.	Septuage-ſima.	Dies Cinerum.
D	23. 22.21.20.19.18.17.16. 15.14.13.12.11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28.27.26.25. 25.24.	18 Ianu. 25 Ianu. 1 Febr. 8 Febr. 15 Febr.	4 Februarii. 11 Februarii. 18 Februarii. 25 Februarii. 4 Martii.
E	23.22. 21.20.19.18.17.16.15. 14.13.12.11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28.27.26. 25. 25. 24.	19 Ianu. 26 Ianu. 2 Febr. 9 Febr. 16 Febr.	5 Februarii. 12 Februarii. 19 Februarii. 26 Februarii. 5 Martii.
F	23.22.21. 20.19.18.17.16.15.14. 13.12.11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28.27.26. 25. 25. 24.	20 Ianu. 27 Ianu. 3 Febr. 10 Febr. 17 Febr.	6 Februarii. 13 Februarii. 20 Februarii. 27 Februarii. 6 Martii.
G	23.22.21.20. 19.18.17.16.15.14.13. 12.11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29. 28.27.26. 25. 25. 24.	21 Ianu. 28 Ianu. 4 Febr. 11 Febr. 18 Febr.	7 Februarii. 14 Februarii. 21 Februarii. 28 Februarii. 7 Martii.
A	23.22.21.20.19. 18.17.16.15.14.13.12. 11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28. 27.26. 25. 25.24.	22 Ianu. 29 Ianu. 5 Febr. 12 Febr. 19 Febr.	8 Februarii. 15 Februarii. 22 Februarii. 1 Martii. 8 Martii.
B	23.22.21.20.19.18. 17.16.15.14.13.12.11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28.27. 26. 25. 25.24.	23 Ianu. 30 Ianu. 6 Febr. 13 Febr. 20 Febr.	9 Februarii. 16 Februarii. 23 Februarii. 2 Martii. 9 Martii.
C	23.22.21.20.19.18.17. 16.15.14.13.12.11.10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. *. 29.28.27.26. 25. 25.24.	24 Ianu. 31 Ianu. 7 Febr. 14 Febr. 21 Febr.	10 Februarii. 17 Februarii. 24 Februarii. 3 Martii. 10 Martii.

Tabula Paſchalis Noua reformata.

Paſcha.	Aſcenſio.	Pentecoſtes.	Corpus Chriſti.	Dñicæ inter Octa. Trin. & Aduent.	Prima Dominica Aduentus.
22 Mar.	30 Apr.	10 Maii	21 Maii	26	29 Nou.
29 Mar.	7 Maii	17 Maii	28 Maii	25	29
5 Apr.	14 Maii	24 Maii	4 Iunii	24	29
12 Apr.	21 Maii	31 Maii	11 Iunii	23	29
19 Apr.	28 Maii	7 Iunii	18 Iunii	22	29
23 Mar.	1 Maii	11 Maii	22 Maii	26	30 Nou.
30 Mar.	8 Maii	18 Maii	29 Maii	25	30
6 Apr.	15 Maii	25 Maii	5 Iunii	24	30
13 Apr.	22 Maii	1 Iunii	12 Iunii	23	30
20 Apr.	29 Maii	8 Iunii	19 Iunii	22	30
24 Mar.	2 Maii	12 Maii	23 Maii	26	1 Decem.
31 Mar.	9 Maii	19 Maii	30 Maii	25	1
7 Apr.	16 Maii	26 Maii	6 Iunii	24	1
14 Apr.	23 Maii	2 Iunii	13 Iunii	23	1
21 Apr.	30 Maii	9 Iunii	20 Iunii	22	1
25 Mar.	3 Maii	13 Maii	24 Maii	26	2 Decem.
1 Apr.	10 Maii	20 Maii	31 Maii	25	2
8 Apr.	17 Maii	27 Maii	7 Iunii	24	2
15 Apr.	24 Maii	3 Iunii	14 Iunii	23	2
22 Apr.	31 Maii	10 Iunii	21 Iunii	22	2
26 Mar.	4 Maii	14 Maii	25 Maii	26	3 Decem.
2 Apr.	11 Maii	21 Maii	1 Iunii	25	3
9 Apr.	18 Maii	28 Maii	8 Iunii	24	3
16 Apr.	25 Maii	4 Iunii	15 Iunii	23	3
23 Apr.	1 Iunii	11 Iunii	22 Iunii	22	3
27 Mar.	5 Maii	15 Maii	26 Maii	25	27 Nou.
3 Apr.	12 Maii	22 Maii	2 Iunii	24	27
10 Apr.	19 Maii	29 Maii	9 Iunii	23	27
17 Apr.	26 Maii	5 Iunii	16 Iunii	22	27
24 Apr.	2 Iunii	12 Iunii	23 Iunii	21	27
28 Mar.	6 Maii	16 Maii	27 Maii	25	28 Nou.
4 Apr.	13 Maii	23 Maii	3 Iunii	24	28
11 Apr.	20 Maii	30 Maii	10 Iunii	23	28
18 Apr.	27 Maii	6 Iunii	17 Iunii	22	28
25 Apr.	3 Iunii	13 Iunii	24 Iunii	21	28

DE DEFECTIBVS
IN CELEBRATIONE MISSARVM
OCCVRRENTIBVS.

SACERDOS celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne aliquid ex requisitis ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum desit. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, & ex parte formæ adhibẽdæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cũ intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficientẽ, non conficitur sacramentum. Et his existentibus, quibuscunque alijs deficientibus, veritas adest sacramẽti. Alij vero sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

DE DEFECTIBVS MATERIAE.

DEfectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim vt sit panis triticeus, & vinum de vite: & vt huiusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit corã Sacerdote.

DE DEFECTV PANIS.

SI panis non sit triticeus, vel si triticeus sit admistus granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel sit aliòqui corruptus, non conficitur sacramentum. Si sit cõfectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an cõficiatur. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus: similiter si nõ sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur: sed conficiens grauiter peccat. Si celebrans ante consecrationem aduerterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam apponat, & à Canone iterum incipiat, & prosequatur Missam. Si id aduerterit post consecrationẽ, etiam post illius hostiæ seu sanguinis sumptionẽ posita alia, à consecratione incipiat, scilicet, ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur*, & illã priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem corporis & sanguinis, vel alij sumendam tradat, vel alicubi reuerẽter conseruet. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam quam consecrauit: quia præceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis, quàm quòd à ieiunis sumatur. Aduertendum autem, quòd si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, facta prius oblatione, & prosequenda omnia quæ sequuntur, ne sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus seruetur ordo. Si hostia cõsecrata dispareat, vel casu aliquo, vt vento, aut miraculo, vel à mure accepta, vel alio animali, & nequeat reperiri: tunc altera consecretur (ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quàm pateretur*: facta eius prius oblatione) & illud animal si capi potest, occidatur, & cõburatur, & cineres eijciantur in Sacrarium, vel sub altari.

DE DEFECTV VINI.

SI vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis, seu non maturis expressum, vel admixtum tantum aquæ vt vinum sit corruptum: non conficitur sacramentum. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustũ tunc de vuis expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis: conficitur sacramentum, sed conficiẽs grauiter peccat. Si celebrans ante consecrationẽ sanguinis, quamuis post consecrationem corporis, aduertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non esse in calice: debet statim apponere vinum cum aqua, & consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo &c.* Si post verba consecrationis aduertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & resumat à verbis prædictis. Si hoc aduertat post sumptionem corporis, vel huiusmodi aquæ: apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum in calice, & vtrumque consecret, & sumat in fine, quamuis aliam hostiam consecratam, vel aquam sumpserit, propter sacramenti integritatem in celebratione seruandam. Si quis percipiat ante consecrationem vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum, idem seruetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice. Si autem celebrans ante consecrationem calicis aduertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id aduertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti. Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset vllo modo haberi: si id sit ante consecrationem corporis, vlterius procedi non debet: si post consecrationem corporis, aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata: tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absoluenda. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandũ erit, ne imperfectum sacrificium remaneat.

DE DEFECTIBVS FORMAE.

DEfectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex ijs, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma huius sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim corpus meum.* Et

His

Hic est enim calix sanguinis mei, noui & aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis corporis, & sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret sacramentum. Si quis aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed grauissime peccaret. Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei, vel valde probabiliter constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, id est, formam consecrationis, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinē. Si autē non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat vlterius.

DE DEFECTIBVS MINISTRI.

Defectus ex parte Ministri possunt contingere quo ad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt. Inprimis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quo ad ea quæ in ipso possunt occurrere.

DE DEFECTV INTENTIONIS.

Si quis nō intendit conficere, sed delusorie aliquid agere. Item si aliquę hostiæ ex obliuione remaneāt in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cū non intendat consecrare nisi quas videt. Item si quis habeat coram se vndecim hostias, & intendat consecrare solum decem, nō determinans quas decē intendit, non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas corā se habebat: nam tunc omnes erunt consecratæ: atque quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet, consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. Si Sacerdos putans se tenere vnam hostiā, post consecrationem inuenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul vtramque. Quod si deprehendat post sumptionem corporis, & sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, siue paruæ sint, siue magnæ, quia ad idem sacrificium spectant. Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cū alijs reponat: si hoc fieri nequit, sequēti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporalia decenter opertam, sumendā vnā cum altera, quā est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conseruet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honeste cōseruetur, potest eam ipsemet sumere. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter euagationē mentis, sed virtualis, cū accedēs ad altare intēdat facere quod facit Ecclesia, cōficitur Sacramētū, etsi curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionē adhibeat.

DE DEFECTIBVS dispositionis Animæ.

Si quis suspensus, excommunicatus, & degradatus celebret, cōficit quidē Sacramentū, sed grauissime peccat, tam propter communionē, quā indigne sumit, quā propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta. Si quis habens copiā confessoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat. Si quis autē in casu necessitatis nō habens copiam confessoris, in peccato mortali absq. cōtritione celebret, grauiter peccat, secus si cōteratur: debet tamen cum primū poterit, confiteri. Si in ipsa celebratione Missę Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cū proposito confitendi, & satisfaciendi. Si recordetur se esse excommunicatū, vel suspēsum, aut locum esse interdictum; similiter conteratur cum proposito petēdi absolutionem: ante consecrationē autem, si nō timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere, secus si esset publice excommunicatus.

DE DEFECTIBVS DISPOSITIONIS corporis.

Si quis non est ieiunus post mediam noctem, etiā post sumptionē solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumq. parua quantitate, non potest communicare nec celebrare. Si autem ante mediā noctem cibū, aut potū sumpserit, etiamsi postmodū non dormierit, nec sit digestus, non peccat, sed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionē, cū nō transglutiātur per modum cibi, sed per modum saliuæ. Idem dicendū, si lauando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionē. Si plures Missas in vna die celebret, vt in nocte Natiuitatis, in vltima tantum Missa percipiat purificationem. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedēti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiā crapulam, abstinendum est à communione, & celebratione. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatā mortale, vel nullā fuisse cogitationē, sed euenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abstinendum videatur.

DE DEFECTIBVS IN MINISTERIO ipso occurrentibus.

Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: vt si non celebretur in loco sacro vel deputato ab Episcopo: nec in altari cōsecrato, nec tribus mappis cooperto. Si non adsint lumina cerea: si nō sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora vsq. ad meridiem, communiter: si celebrans saltē Matutinum cum Laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales, & mappæ nō sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si non adsit clericus, vel alius deseruiēs in Missa, vel adsit qui deseruire non debet, vt mulier: si non adsit calix, cum

cum patena conueniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stãnea, nõ ærea, vel vitrea: si corporalia nõ sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatẽ benedicta: si celebrat capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quã intendit dicere. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si Sacerdos ante consecrationẽ grauiter infirmetur, vel in sincopem inciderit, aut moriatur, prætermittatur Missa: si post consecrationem corporis tantum, ante consecrationẽ sanguinis, vel vtroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotẽ expleatur ab eo loco, vbi ille desijt: si autem non obierit, sed fuerit infirmus adeo vt possit cõmunicari, & non adsit alia hostia consecrata, diuidat hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat: si autem semiprolata forma corporis obijt Sacerdos, aut semiprolata forma sanguinis, tũc alter similiter prosequatur Missam, & super eandem hostiam, seu eundem calicem repetat integram formam, ab eo loco. (*Qui pridie quàm pateretur,*) & in sanguine, ab eo loco, (*Simili modo postquam cœnatum est,*) vel posset super alium panem, & in calice similiter cũ in forma calicis deficit, super alium calicem præparatum, integram formã proferre, & hostiã primi Sacerdotis inter reliquias seruare, vel eam sumere post ablutionem sanguinis, si constat quòd non sit consecrata: in dubio vero tutius est accipere post sumptionem, & idem de calice relicto semiconsecrato. Si quis extra huiusmodi casus necessitatis, integra sacramenta non sumpserit, grauissime peccat. Si musca vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, proijciat vinum subtus altare, & aliud ponat in calice, misceat parum aquæ, offerat, & prosequatur Missam. Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino, finita Missa comburat, & cõbustio ac lotio huiusmodi in Sacrariũ proijciatur: si autem non fuerit ei nausea, nec vllum periculum timeat, sumat cum sanguine: si aliquod venenolum ceciderit in calice, vel quod prouocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum: & finita Missa sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu seruetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc comburatur, & combustio in Sacrarium proijciatur. Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alterã consecret, & sumat modo quo dictum est: & illa seruetur in tabernaculo loco separato, & animal captum occidatur, & comburatur, vt supra dictum est. Si sumendo sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum & sumat. Si hostia ante consecrationem inueniatur fracta, nisi populo euidenter appareat, talis hostia consecretur: si autẽ scandalũ populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quod si illius hostiæ iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam morã fieri poterit. Si propter frigus, vel negligentiam hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur. Si in hieme sanguis congeletur in calice, inuoluatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat. Si per negligentiã aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super tabulam, lingua lambatur, & pars illa tabulæ radatur quantum satis est. Item si non fuerit tabula, locus ipse radatur, & comburatur: cinis vero iuxta altare recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proijciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla peruenerit, si vsque ad tertium, & linteamina ter abluantur vbi stilla ceciderit, calice supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium proijciatur, & pars illa lintei, siue pallæ post ablutionem abscindatur, & comburatur, & cinis in Sacrario condatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, satis erit ablui, & ablutio in Sacrariũ proijciatur. Si in substrato pedibus panno, vel tapete, & ablui oportebit, & partem abscindi, & comburi, & cineres similiter in Sacrarium immitti. At si contingat totum sanguinem post consecrationẽ effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo sanguine fiat vt dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco (*Simili modo postquam cœnatum est.*) facta prius tamen calicis oblatione. Si Sacerdos euomat Eucharistiã, si species integræ appareant, reuerenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ caute separentur, & in aliquo loco sacro reponantur: quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium proijciantur. Si hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram: reuerenter accipiatur, & locus, vbi cecidit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & puluis seu abrasio huiusmodi in Sacrarium proijciatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa, vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus, & cæremonias ipsas in eo seruandas: de quibus omnibus in sequentibus Rubricis copiose dicetur.

RITVS SERVANDVS IN CELEBRATIONE MISSAE.

SAcerdos celebraturus, ea animi pręparatione præmissa, quæ ministrũ tanti Sacramenti decet; ablutis manibus in Sacristia sacras vestes induat; primo Amictum capiti imponat, deinde Albam, ac Cingulo se cingat: postea Manipulum sinistro brachio inducat, ac deinde Stolam collo imponat; cuius dexteram partem ante pectus sinistræ superponat transuersam in modum Crucis decussatæ, Cinguli extremitatibus partes Stolæ hinc indé ab vtroque latere eidẽ Cingulo alligãtibus: atque sic amictus, vt vides, A tandem Casulam induat. Calicẽ dehinc manu læua accipiens per pomũ, altera manu bursam Corporalis cum velo reducto, & Patena teneat, ita quod pollex Calicem tangat, reliqui autẽ suprapositi digiti, Corporale, & Patenam comprehẽdant hoc pacto. B & sic reuerenter procedat ad Altare. Cum ad Altare peruenerit,

A



B



C



inclinatione capitis ad medium eius facta, antequàm Calicem imponat Altari, eũ mox versus dextrum Altaris cornu seponat, quo detur explicationi Corporalis locus, quod de Calice accipiens, reuerenter explicet in medio Altaris. Dehinc amoto Velo, Patenam cum Hostia super Corporali deponat, è Calice Purificatorium auferens, iuxta Corporalis partem dexteram in longum extendat. Deinde præparaturus Calicem, eum per medium pomi sinistra manu tenens, hoc pacto: C ampullam vini de manu Ministri dextra accipiens, parum vini infundat, deinde porrigente Ministro ampullam aquæ, & dicente *Benedicite*, signo ✝ ipsam consignet, dicendo: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*. postea tantam quantitatem aquæ distillet in Calicem, quæ facillime tota possit in vinum conuerti. Deinde ei sic præparato Patenam cum Hostia imponat, & Velo cooperiat, & super Corporali in medio Altaris, vel ad partem dexteram collocet, & ad Missale super cusino ad dextrum cornu Altaris parato se conferat, aperiat, reperiat Missam, cum opportune prius in Sacristia signacula suis locis adaptauerit, ne ad Altare vertendo folia moras trahens, tædio sit audientibus.

STANS

STANS IMMEDIATE INFRA ſupremum gradum ante altare ſigno ✠ ſe muniens, ſecreto dicat.

A IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. ℣.

B Confitemini Domino, quoniã bonus. ℟. Quoniam in ſæculum miſericordia eius.

C Confiteor Deo, B. Mariæ, B. Dominico, & omnibus Sanctis, & vobis Fratres: quia peccaui nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione; D mea culpa, precor vos orare pro me.

E Miſereatur tui oĩpotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, ſaluet, & confirmet in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

F Confiteor Deo, B. Mariæ, B. Dominico, & omnibus Sãctis, & tibi Pater: quia peccaui nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione; mea culpa, precor te orare pro me.

G Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra, liberet vos ab omni malo, ſaluet, & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

H Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotẽs, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

I Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. &c.

K Aufer à nobis Domine cunctas iniquitates noſtras, vt ad Sancta Sãctorum puris mereamur mentibus introire. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

A Quo dicto, manibus iunctis ante pectus incipiat tali voce, vt à prope circumſtantibus audiri queat.

B Confitemini.

C Inclinans profunde iunctis manibus dicat.

D Ne pectus tundat ad *mea culpa*.

E Miniſter dicat.

Miniſter dicat.

G Dicat.

H Signum ne faciat.

Erectus in pedes iunctis manibus, ſicque ad altare procedat.

K Inclinans profunde iunctis manibus dicat.

L Signum ſuper Altare formans illud exoſculetur, extenſis hinc & inde manibus ac ſuper altare poſitis.

A Erectus ante altaris medium, & signãs se à frõte ad pectus signo † dicat *In nomine Patris*, &c. deinde iunctis manibus ad librũ in dextro cornu accedat, & B Introitũ incipiat, tali voce vt à prope circumstãtibus possit audiri.
C Aliquantulum capite versus medium altaris inclinato reuerentiam exhibeat. Deinde repetat Introitum vsque ad Vers. exclusiue.
D Dicto vltimo *Kyrie*, ad medium altaris si *Gloria* dicendum est pergat, sin minus, ibi ante librum cõsistat, & reliqua iunctis manibus prosequatur.
E Manus super altare deponat si *Gloria* dicendũ est, si nõ, stet vt prius iũctis manibus.
F Manus super altare
G eleuentur. H iungãtur. I Reuertatur ad dextrum cornu altaris, & ibi prosequatur reliqua legens in libro iunctis ante pectus manibus.
K Caput inclinet.
L Caput inclinet.
M Caput inclinet.
N Caput inclinet.
O In eodẽ loco ad populum per sinistrum latus conuersus, & manibus rectis, eleuatis vt humeros nõ excedant: extensis vt à retro aspici queant.
P Manus coniungat. Deinde reuersus ad librum per idem latus, dicat Q Manibus iunctis, inclinans paululum caput.
R Aperiantur manus, sicq. cum aliæ Memoriæ dicendæ fuerint faciat, ad *Oremus*, & ad Orationem, vt modo diximus.
S Coniungãtur manus

A In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Introitus.

B Ecce aduenit dominator Dominus, & regnũ in manu eius, & potestas, & imperium.
C Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.
D Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, &c. Ecce aduenit dominator Dominus, & regnum.
E Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Christe eleison Christe eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison. E Kyrie eleison.
F Gloria in G excelsis H Deo, I & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te.
K Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cælestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili Vnigenite Iesu L Christe, Domine Deus agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, M suscipe deprecationem nostram. Qui sedes &c. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus Iesu
N Christe cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.
O Dominus P vobiscum. Et cum spiritu tuo.
Q Oremus.
R Deus, qui hodierna die Vnigenitum tuum gentibus stella duce reuelasti: concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus; vsque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur.
S Per eundem Dominum nostrũ Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in

vnita-

vnitate Spiritus sancti, Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A Oremus. Flectamus genua. Leuate.

B Lectio Isaiæ Prophetæ. Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, &c. C & laudem Domino annunciantes.

D ℟. Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciãtes. ℣. Surge, & illuminare Ierusalem, quia gloria Domini super te orta est.

E Alleluia, Alleluia. ℣. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum. Alleluia. Sequentia.

F Lætabundus exultet fidelis.

G Dominus sit in corde meo, & in labijs meis ad pronunciandum sanctum Euangelium pacis.

H Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

I Sequentia Sancti Euangelij secundum Matthæum.


K ℟. Gloria tibi Domine.

L Cũ natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, &c.


M Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

N Credo O in vnum P Deum Patrem omnipotentem, &c. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, Q ex Maria Virgine, Et

B



D



ac reuerẽtiam nomini Dei exhibeat capite versus medium altaris paululum inclinato.

A Flectat genua quando Missa est de Feria in Quadragesima, accipiens vtraque manu anteriorem partẽ casulæ hinc & inde, & super altare aptãs.

B Cancellatis manibus super librum, aut super altare firmatis, vt vides, legat Epistolã.

C Eleuentur manus, & cõiunctæ permaneãt vsque ad Euangelij prolationem.

D Iunctis manibus, vt vides, ante pectus.

E Iunctis manibus ante pectus.

F Item iunctis manibus ante pectus.

G Finito *Alleluia*, vel *Tractu*, accipiat cum puluinari Missale, & ad sinistrũ cornu altaris progrediatur reuerentiam exhibens in medio altaris, & dicens secreto: *Dominus sit in corde meo &c.* Missale autem ita collocetur vt caput ipsius, sinistrum cornu altaris respiciat.

H Manus iunctas Missali decẽter imponat.

I Euangelio signum † pollice dextræ manus imprimat.

K Paruo signo † pollice frontem, os, & pectus signet: deinde maiori signo crucis manu se totum muniat à fronte ad pectus.

L Manus iũctas iterum Missali imponat, & sic totũ Euangeliũ prosequatur, excepto quòd cum dixerit, *Et procidentes adorauerunt eum*, genu dexterum vsque in terram erit curuandum iuxta ordinationem Capit. Generalis Romæ. 1580.

M Ad finem Euangelij, maiori † signo se iterum signet. Deinde Euangelium signans † signo dicat secreto: *Per Euangelica dicta deleantur nostra delicta*. Euangelium exosculando, præterquam in Missis Defunctorum, & cum Passiones dicuntur.

N Ad medium altaris positus, manibus super altare demissis. O eleuentur, P coniungantur, & statim reuertatur ad cornu sinistrum altaris, & ibi in libro reliqua prosequatur manibus ante pectus iunctis.

Q Veniat ad medium altaris, flectat genua, & dicto, *Et homo factus est*. surgat, & manus vt

prius

prius iungat, & reuertatur statim ad librum reliqua perlecturus. A Caput flectat.

B Ad mediũ altaris veniens, & ad populum versus aperiat, & cõiungat manus, vt ad aliud *Dominus vobiscum* dictum est.

C Apertis brachijs incipiat, & ad vltimam syllabam coniungat manus ante pectus, vt supra.

D Manibus iunctis, vadat ad librum, Offertorio dicto ad medium Altaris progrediatur, manuque læua, & dextera velum à calice leuet, & postea manus in altari demittat, & dicat E eleuando ipsas, & ad F coniungendo.

G Calicẽ accipiat ambabus manibus, dextra per pomum, sinistra per pedẽ tenens.

H Eleuatum super corporale vsque ad pectus manu dextera medium calicis, læua autem pedem tenens, secreto dicat: *Suscipe &c.* intẽtis sursum ad Deũ oculis.

I Deponat super corporale calicem dextera, & mox sinistra patenam è calice leuet, & dextera etiam patenæ adhibita, hostiam ante calicis pedem dimittat, taliter, quod ipsum non tangat. Patenam ad dexteram corporalis super medietatem purificatorij, & sub corporali reponat. Deinde parte corporalis, vel palla calicẽ operiat, iunctisque illico manibus, & reuerentia Deo exhibita capite, ad abluendum manus ad dextrum altaris cornu accedat, dicens

K lotis prioribus quatuor digitis, & extersis, reuertatur iunctis manibus ante pectus ad medium altaris, quo cum peruenerit, incipiat L inclinando se ante altare profunde, & ad M erigat se. Digitis quibus Corpus Domini tractaturus est, ne vertat folia, aut aliquid tangat.

homo factus est, &c. Qui cum Patre, & Filio simul A adoratur, & conglorificatur. &c. Et vitam venturi sæculi. Amen.

B Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

C Oremus.

D Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges, omnes Gentes seruient ei.

E Quid retribuam F Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

G Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

H Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, & præsta, vt in conspectu tuo tibi placens ascendat, I & meam, & omnium fidelium salutem operetur æternam.

K Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuersa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Et non plus vltra.

L In spiritu humilitatis, & in animo cõtrito suscipiamur Domine à te, & sic fiat sacrificium nostrũ, vt à te suscipiatur hodie, M & placeat tibi Domine Deus.



A Ad

A Orate Fratres vt meum, ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.

C Domine exaudi orationẽ meã, & clamor meus ad te veniat.

D Oremus.

E Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine dona propitius intuere, quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur immolatur, & sumitur. Per Dominum nostrum F Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. G Per omnia sæcula sæculorũ. ℟. Amẽ. Dominus vobiscum. ℟. Et cũ spiritu tuo.

H Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

I Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignũ, & iustũ est.

K Vere dignum, & iustum est, æquum, & salutare, &c. cũ quibus & nostras voces vt admitti iubeas L deprecamur supplici confessione dicentes.

M Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli, & terra gloria tua, Hosanna in excelsis. N Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

Canon

O Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum Filiũ tuum Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus P vti accepta habeas, & Q benedicas hæc ✠ dona: hæc ✠ munera: hæc ✠ sancta sacrificia illibata, R inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarũ, vnà cum famulo tuo Papa nostro N & Antistite nostro N

A Ad populum versus eleuatis & extensis manibus vt supra ad primum *Dominus vobiscum*, dicat voce aliquantulum eleuata, ad B clausis, secreto prosequens, & sic ad sinistrum cornu altaris, & ad Missale in gyrum conuersus reuertatur.

C Iunctis manibus. D Iunctis manibus.

E Apertis & extẽsis manibus vt supra.

F Cõiungat manus, capite paulum inclinato, quòd si aliæ memoriæ sint faciendæ, præmittat iterum ante primam memoriã. *Oremus*. manibus iunctis, & ad Orationem apertis: quibus finitis ad medium altaris pergat, manibusq. super altare hinc inde demissis incipiat G H Eleuet manus, & extendat.

I Iungat manus, inclinato capite, & eas postea aperiat.

K Manibus eleuatis vt humeros nõ excedãt, extensis vt à retro aspici queant: quod sẽper obseruetur in extensione manuũ, nisi ad *Vnde & memores*.

L Cõiungat manus ante pectus.

M Iunctis manibus ante pectus in eadẽ qua prius voce. N Signo ✠ se muniat à frõte ad pectus: deinde iunctis manibus ante pectus, & inclinãdo profũde genib' nõ flexis dicat:


O *Te igitur, &c.* ad P erigat se, & ad Q demittat læuã in altare, & signet totũ sacrificiũ tribus, vt hic signatũ est, crucibus. Nempe tribus tantum prioribus digitis extensis, reliquis inflexis versus palmam.

R Manibus iunctis ante pe-

& Rege nostro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.

A Memẽto Domine famulorum famularumq. tuarũ. N. N. N. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redẽptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua, æterno Deo, viuo, & vero.

B Communicantes, & memoriã venerantes inprimis gloriosę semper Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, sed & Beatorum Apostolorum, ac Martyrũ tuorum Petri, & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonisq; & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis, & Pauli, Cosmæ, & Damiani, & omniũ Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuę muniamur auxilio. Per eundẽ Christum Dominum &c. Hanc igitur oblationẽ seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine, vt placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus C bene ✠ dictam, ascri ✠ ptam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilẽq. facere digneris, vt nobis D cor ✠ pus, & E san ✠ guis fiat dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi. F Qui pridie quàm pateretur accepit G panẽ in sanctas, ac venerabiles manus suas, & H eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens I bene ✠ dixit, fregit, deditq. discipulis suis dicens: K Accipite, & manducate ex hoc omnes.



te pectus prosequatur.

A Post *Tuarum*, iunctis manibus antepectus, meminerit breui mora viuorũ quos Deo commẽdatos voluerit, hoc pacto, Patris, Matris, Fratrum, Sororum, parentum, benefactorum, superiorum, & secundum intentionem eorũ omniũ, pro quibus orare tenetur, & hoc non verbis, sed mente tantum concipietur, posteaque prosequatur, *Et omniũ circumstantium &c.*

B Extensis & eleuatis manibus more solito, & sic cetera prosequatur vsq. ad *Benedictã.*

C Sinistra super altare demissa, dexteræ tribus prioribus digitis extensis cruces tres priores super totũ sacrificiũ faciat, & cruces alias duas formabit D super hostiam vnam, & E super calicem alteram.

F Extergat extremos pollices, & indices manuum super corporale, G sinistræ manus indice deprimat hostiam, vt altera parte eleuata à dextera capi possit ad illa verba *Manus suas* duobus digitis vtriusque manus, H oculos in cælũ eleuet, & statim demittat, & ad I sinistra teneat hostiam duobus digitis, & dexteræ tribus primis digitis extentis, eam semel signo ✝ signet, & verba prosequatur, vsque ad K nam tunc

iterum pollice, & indice dexteræ manus accipiet hostiam.

A Secreto, attente, deuote, & continuate, & cum summa reuerentia consecrationis verba proferat, & hostia consecrata, non super altare procumbens, sed aliquantulũ inclinans, ambabus manibus eleuet decẽter quantum cõmode potest, vt à retro stãtibus cerni possit: intentis in eam semper oculis populo adorãdam offerat, ac sine mora reuerenter deponens, prius auferat sinistram manum, dextera hostiam super altare collocet, & statim aliquantulum inclinet: discooperiat

B calicem, & illico digitos ambarum manuum quibus hostiã eleuauit, leuiter excutiens in calicem ad *Praclarum calicem*, ad

C *In sanctas* accipiat calicem dextera manu per medium, & sinistra per pedem. Et ad

D parum oculos, & calicem eleuet, & statim deponat, & ad E sinistræ tribus extremis digitis firmatis super pedem calicis, dexteræ alijs tribus digitis superius dictis, crucẽ super calicem à labio ad labium faciat, prosequẽs verba, quę sequũtur, & ad F accipiat dexteræ digitis pollice, & indice cõiunctis à parte anteriori, reliquis tribus à tergo, vt vides, calicis medium, quem parum versus se, incuruans, ponat pollicẽ & indicẽ sinistræ manus super pedem calicis, reliquos tres digitos subtus pedẽ, & sic retineat calicẽ. Et stans inclinato capite, secreto, attente, continuate, deuote, ac reuerenter proferat verba consecrationis, & prolatis G reuerenter inclinans, calicẽ semper aspiciendo eleuet, vt eũ populus adoret, sic tamen vt pes calicis, caput Sacerdotis nõ excedat, vt vides. Deponensq. dicat

H & cooperiat eum. Posthæc pollicem & indicem vtriusque manus coniungat, nec disiungat (nisi ad cruces faciendas) vsque post ablutionẽ. Et ad I extendat brachia plus solito, mediocriter tamen vsquequo ad signa crucis facienda deponere necesse sit. K Sinistrã manum super corporale ponat, dexteræ tribus prioribus digitis tres cruces priores super totũ sacrificium faciat. L Super Hostiam. M Super Calicem.

A



F



G



A Hoc est enim corpus meum.

B Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarũ calicem in C sanctas ac venerabiles manus suas.

D Itemque tibi gratias agens.

E Bene ✠ dixit, deditq. discipulis suis, dicens: F Accipite, & bibite ex eo omnes.

G Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

H Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.

I Vnde, & memores Domine nos tui serui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi Filij tui Domini nostri, tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Maiestati tuæ de tuis donis, ac K datis, Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam: L Pa ✠ nem sanctum vitæ æternæ, & M Calicem salutis perpetuæ.

A Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchę nostri Abrahę, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctũ sacrificium, immaculatam hostiam.

B Supplices te rogamus omnipotẽs Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, C vt quotquot ex hac D altaris participatione sacrosanctum Filij tui E cor ✠ pus, & F san ✠ guinem sumpserimus, omni G bene ✠ dictione cælesti, & gratia repleamur. Per eundẽ Christum Dominum nostrũ. Amen.


H Memento etiam Domine famulorum famularumq. tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormierunt in somno pacis. N. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

I Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquã, & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis, & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium non extimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia Domine semper bona K creas, L sancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, & M præstas nobis.

B



M



A Manibus eleuatis & extensis more solito brachia extendat.

B Inclinet profunde cãcellatis manibus ante pectus, brachio sinistro supposito dextro, vt hic vides.

C Incipiat paulatim se erigere, vt ad D possit exosculari dexteram partem corporalis brachijs adhuc cancellatis, quo facto erigat se E sinistram manum super altare ponat, dextera vero hostiam benedicat F calicem etiam.

G Ante se ipsum etiam à fronte ad pectus, & humeros signum Crucis faciat: non tamen se tangẽs, nec primis tribus digitis quibus sacrificium signauit, sed pollice, & indice clausis, tribus posterioribus digitis.

H Iungat manus ante pectus, & memoriã mortuorum mente recolat, vt de viuorum dictum est memoria, & postea apertis manibus prosequatur. *Ipsis Domine.*

I Pectus leuiter tundat dexteræ tribus vltimis digitis.

K Sinistram manum super altare demittat dexteræ prioribus digitis pollice, indice, & medio, ad L totum sacrificium tribus vicibus signet, calicem discooperiat, & dicto, *Et præstas nobis.*

M Indice sinistræ manus hostiam (vt in figura videre est) leuiter deprimet, vt ex altera parte attollatur, tunc pollice, & indice dexteræ eam accipiet, & statim tribus posterioribus digitis sinistrę manus pedem calicis, vt in

figura vides, firmet super altare, & dextera manu cum hostia ad A tres cruces super calicem formet, primam exterius à labio calicis ad labiũ, secundam intra calicem à labio ad labiũ, tertiam profundius quàm secundã, quartam vero ad B ante labium calicis in alto aliquantulum, qua facta sinistram manum à pede calicis seducat & super corporale collocet, & crucem ad C ante pedem calicis in imo signet: qua facta hostiam, reuerentia capite aliquantulum exhibita, super corporale reponet suo loco, non tamen populo ostendat: & illis duobus digitis dexteræ super calicem excussis, eundem cooperiat, & ad D manus super altare planas dimittat.

E Eleuet manus, & brachia aperiat, F Submisse respõdeat *Amẽ*.

G Demissa sinistra super altare, dextra capiat patenam & signet se patena ipsa, tangẽdo frontem & pectus, postea sinistram pectoris partẽ, deinde dexteram; postea osculetur patenã, & mox ipsam super altare deponat seorsum à corporali.

H Detegat calicem sinistrę indice leuiter deprimat hostiã vt dexteræ digitis capi possit, qua accepta statim sinistræ tribus posterioribus digitis pedem calicis teneat, dextera statim hostiam super calicem leuet, ita vt etiam eadem manu calix teneatur, tunc sinistræ manus pollice, & indice hostiam accipiat, & incipiens.

I *Per eundem Dominum nostrum. &c.* hostiam decenter in duas partes per medium à summo vsque deorsum diuidens, frangat, diligenter cauens ne digiti fracturas attingant.

K *Qui tecum &c.* illam partem hostiæ quam mediam dextera tenet, in transuersum alteri supponat, eandem etiam æqualiter per medium diuidendo, & sic partes tenendo dicat.

L *Per omnia, &c.* M Sinistra manu duas partes hostiæ tenendo semper vsque ad sumptionem super calicem; dextera manu aliam partem hostiæ tenens, has tres cruces cum particula hostiæ intra calicem faciat dicendo, *Pax Domini &c.*

Postea iterum ambas manus sic super calicẽ teneat, vt hostiæ partes iunctæ videantur, vt vides, dicen.

A



I



K



A Per ✠ ipsum, & cum ✠ ipso, & in ✠ ipso, B est tibi Deo ✠ Patri omnipotenti, C in vnitate Spiritus ✠ sancti omnis honor, & gloria.

D Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere.

E Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. F Amen.

Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, pręsentibus, & futuris, & intercedente beata, & gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea & omnibus Sanctis: da G propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & H ab omni perturbatione securi.

I Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

K Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

L Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

M Pax ✠ Domini, sit ✠ semper

vo ✠ biscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

A Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

B Hæc sacrosancta cōmixtio corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat mihi, & omnibus sumentibus, salus mentis, & corporis, & ad vitā æternam promerendam, atque capessendam præparatio salutaris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

C Domine Iesu Christe Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum viuificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus, & sanguinem tuum, à cunctis iniquitatibus meis, & ab vniuersis malis, & fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te numquam separari permittas. Qui viuis, & regnas cum eodem Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D Corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiant me in vitam æternam. Amen.

E Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, vt de corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi fiat nobis remedium sempiternū. Amen.

Communio.

F Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum.

B



E



dicendo A *Agnus Dei &c.*

B Illam particulam hostiæ quam dextera tenet, reuerenter in calicem demittat, verba prosequendo, iterūq. excussis in calicem digitis statim mediū calicis dextera teneat, vt hic vides. Dicto *Amen*. exosculetur extremum labium calicis, & dans pacem dicat: *Pax tibi, & Ecclesia sancta Dei*. nisi cum pro mortuis celebratur, tunc enim & in Triduo ante Pascha dimittitur *Pax tibi*. & osculum.

C Qua poterit deuotiōne Orationem dicat, qua finita, breui oratione mētali seipsum Domino cōmendet. Nulla alia addita oratione, nec pectus tundat.

D Inclinato capite, dextera manu tenens calicem, de sinistra sumat ore sacrū Christi Corpus: quo facto statim absumpta hostia calicem detegat, & dextera pomum calicis, sinistra pedem accipiat, & sic sanguinem sumat nihil dicens. Post primum haustum, sinistram super altare demittat, sicq. post secundam lambitionem, sinistrę extremis digitis corporale excutiat, si particulæ hostiæ deciderint, quas si repererit absumat siue paruæ sint, siue magnæ. Postea cum calice vtraque manu delato ad dextrum cornu altaris pro ablutione quę ex solo vino infundetur, accedet nihil dicens.

E Secundam ablutionem ex aqua & vino super digitos accipiat, vt hic vides, digitos aptando: quos purificatorio extergat: postea dextera calicem sumens ebibat, os tergens cum purificatorio, & tandem calicem. Quo exterso calicem super corporale dimittat, purificatorium desuper distendens, patenam eidem imponens, & inclinato capite ad Missale se conferens, (quod à Ministro ad dextrum cornu altaris delatum erit) dicat.


F Communionem. Deinde ad populum se vertens dicat.

A Vt supra ante primam Orationem fecit.
B Coniunctis manibus ante pectus.
C Apertis brachijs.
D Iunctis manibus ante pectus.
E Ad medium altaris veniat si est vltima Oratio, alioquin, vt in prima Oratione in principio Missæ dictum est, alias Memorias addat, & ad vltimum *Per Dominum nostrum Iesum Christum*. ad medium altaris accedat.
F Dicat inclinando caput ante Orationem super Populum, quādo Missa est de Feria in Quadragesima.
G Ad Populum versus apertis brachijs.
H Coniunctis manibus ante pectus.
I Verso vultu ad Populum, ac iunctis manibus dicat: *Ite missa est*, cum autem non dicitur *Gloria in excelsis* in Missa, non dicitur *Ite missa est*, sed *Benedicamus Domino*, quod verso vultu ad altare dicendum est. Eodem modo dicitur *Requiescant in pace*, quando Missa est pro Defunctis. Dicto *Ite missa est*, vertet se ad altare eadem via, qua ad Populum se verterat: & tunc inclinans se profunde (etiam si *Benedicamus Domino* dixerit) iunctis manibus dicat.
K *Placeat &c.*

Postcommunio.

A Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. B Oremus.
C Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur.
D Per Dominū nostrum E Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
F Oremus. Humiliate capita vestra Deo.
G Dominus H vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
I Ite missa est. ℟. Deo gratias.
K Placeat tibi sancta Trinitas obsequium seruitutis meæ, & præsta vt hoc sacrificium, quod oculis tuæ Maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, & omnibus pro quibus illud obtuli sit te miserāte propitiabile. L Qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.
M Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.
N Dominus vobiscum. ℟. Et cū spiritu tuo.
O Initium Sancti Euangelij secundum Ioannem. ℟. Gloria tibi Domine.
P In principio erat Verbum, et Verbum erat apud etc.

M



L Erectus osculetur Altare.
M Ad Populum conuersus det Benedictionem manu dextera totaliter extensa, sinistram pectori applicando vnica Cruce Populum signans, & alia via ad altare reuertatur.
N Dicendo *Dominus &c.* Crucem cum pollice super altare in loco Euangelij, vel super Librum signet.
O Dicendo *Initium &c.* signet pollice frontem, os & pectus, Crucis signaculo, & mox reuertatur ad medium altaris.
P Interim dum Euangelium prosequitur, calicem à corporali ad dextrum cornu altaris seponat, corporale complicatum in bursam recondat, & ad sinistrum cornu altaris locet: & calicem ad medium altaris referat, velum super calicem & patenam reponat: deinde bursam corporalis super velum calici superponat, velum deinde super bursam reducat, vt fecerat cum ad Missam accesserat.

Inte-

A Et verbum caro factum est, et
B habitauit in nobis, et vidimus etc. quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, et veritatis.
℟. Deo gratias.

Interim cum ad A peruenerit, genu dextrũ flectat, ad B surgat. Cum ad finem Euangelij peruentum est, caput Deo deuotius inclinet, & cooperto ambabus manibus capite, amictu, Deum deuotius laudans, ad Sacristiam, calicem deferens, dicendo Canticum *Benedicite omnia opera &c.* ordine quo venerat, reuertatur. Et notandum quòd Euangelium, *In principio erat &c.* semper dicitur in fine Missæ, vt supra; nisi ad tertiam Missam Natalis Domini, loco cuius dicitur Euangelium. *Cum natus esset Iesus*. & nisi in diebus Ferialibus per totam Quadragesimam quando Missa non est de Feria, quia tunc dicitur Euangelium de Feria currente. Et quando in Dominicis de alio Festo quàm de Dominica celebratur, quia tunc in fine dicendum est Euangelium de Dominica. Similiter in Ferijs Quatuor Temporum Aduentus, Septembris, & in Diebus Rogationum, quando de Festo aliquo celebratur, in fine dicitur Euangelium de Feria.

DE HIS QVAE OMITTVNTVR IN MISSA PRO DEFVNCTIS.



Missa pro defunctis dicitur modo vt supra, excepto quod non dicitur ℣. *Gloria Patri.* post Introitum, sed dicto ℣. *Te decet.* repetitur. *Requiem æternam*. Neque *Gloria in excelsis*. nec *Flectamus genua*, nec *Alleluia*, neque Orationes quæ sunt tantum pro viuis. Nec *Dominus sit in corde meo*. Neque osculandus est Liber dicto Euang. Nec dicitur *Credo*. In *Agnus Dei* non dicitur, *Miserere nobis*, sed eius loco dicitur *Dona eis requiem*. & vltimo *sempiternam*. Non osculandus est Calix post *Pax Domini*, & pax non datur. Nec dicitur. *Humiliate capita, &c.* & in fine non dicitur *Ite Missa est*. nec *Benedicamus*, sed *Requiescant in pace*, verso vultu ad altare, nec Benedictio datur.

DE HIS QVAE CLARA VOCE, aut secreto dicenda sunt in Missa.

Missa priuata dici debet deuote, distincte, non nimis celeriter, vel tarde, & voce mediocri, ne nimis alte clamando conturbet alios celebrantes: vel nimis submisse dicendo non audiatur à populo circumstante. Clara autem, & intelligibili voce à celebrante dicũtur ℣. *Kyrie eleison*. *Gloria in excelsis*. *Dominus vobiscum*. ante Orationem, ante Euangel. ante Offertorium, & ante *Ite missa est*, vel *Benedicamus*, aut *Requiescant*. *Oremus*. ante Orationẽ, *Flectamus genua*, & Offertorium. Oratio ante Epistolam. Lectio ante Epistolam. Epistola. ℟. *Alleluia*. Tractus, Sequentia, Euangelium, *Credo*, Offertorium, Præfatio. Et *nobis quoque peccatoribus*, hæc tria verba *Per omnia sæcula, &c.* cum *Pater noster*. & *Pax Domini*. *Agnus Dei*. Communio. Postcommunio. *Humiliate capita*. *Ite Missa est*. vel *Benedicamus*, aut *Requiescant*. Alia autem omnia dicuntur secreto, ita vt Sacerdos tantummodo audiat seipsum. Excepta confessione in principio Missæ, & *Orate Fratres* hæc duo verba, & Euangelio in fine. Quæ neque secreto, neque clara voce, sed mediocri, & quasi submissa dicuntur.

In Missa vero Conuentuali, alta & intelligibili voce à celebrante dicuntur, quando intonatur *Gloria in excelsis*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. Oratio. *Credo*. *Dominus vobiscum*. *Oremus*. ante Offertorium, Præfatio. *Per omnia sæcula, &c. Pater noster*, & *Pax Domini*, & Oratio post Communionem. Alia omnia dicuntur vt supra.

DE OFFICIO MINISTRORVM ALTARIS.


Vando Missa in Conuentu fuerit celebranda, Ministri altaris audito signo, se præparare non differant. Et in primis Acolythi superpelliceis induti, vel albis in Duplicibus, & totis Duplicibus, alios Ministros iuuent. Nihilominus tamen Diaconus, Subdiaconus iuuent se mutuo, & ambo Sacerdotem: in Conuentibus autem vbi pauci sunt Fratres, audito signo poterunt Diaconus, & Subdiaconus se præparare absq. sericis indumentis, & ita Officium si erit dicendum cum alijs in Choro persoluere, quousque cum Sacerdote discedent à Choro, vt ipsum adiuuent. In huiusmodi autem præparatione, caputia sic aptanda sunt sub vestibus Ecclesiasticis, ne gibbus aliquis notabilis vnquam appareat in humeris Fratrum. Postmodum Acolythi altare præparent, mappas, & pallã explicando, & vnum puluinar ad Missale mappula coopertum, & in dextro cornu altaris reponendum ex parte anteriori, & alterum sine mappula ad Euangelistarium reponendum in sinistro cornu altaris ex parte posteriori, & Epistolarum librum collocandũ in dextro cornu altaris ex parte posteriori: & ibidem appodiandum deferant, & de hostijs, & ampullis cum vino & aqua suo loco à dextris altaris ponendis: & de aliqua mappula ad tergendas nares, iuxta Missale ponenda prouideant: hora competenti cereos suos, & altaris ante inchoationem Missæ semper accedant. In Feria iij. quando de B. Dominico, Feria v. cũ de Corpore Christi, & Sabbato quando de B. Virgine celebratur: & in festis Simplicibus non accendantur plures quàm duo. In Dominicis vero, & Festis Duplicibus, & Totis Duplicibus plures quàm quatuor, magnis solemnitatibus exceptis, quando sex ad minus accendi debebunt. Idem seruetur in Vesperis, & in Matutinis. In reliquis Missis etiam Ferialibus, vel Defunctorum minus quàm duo accendendi non erunt. Prouideat Sacrista, vt tempore frigoris magni, prunæ accensæ in patella decenti habeantur, per Acolythos ministrandæ tempore opportuno.

In Dominicis autem diebus prouideat etiam de aqua benedicta, quæ cum fuerit aspergenda, Acolythis præcedentibus, Subdiaconus, & Diaconus, & Sacerdos albis induti, sine sericis indumentis, si non sit facienda Processio, alioqui induti serica vestimenta ante terminationem Horæ præcedentis Missam, intrent Chorum, Subdiaconus autem ante gradus Presbyterij stet, & iuxta eum alter Acolythorum à sinistris, & Diaconus post ipsum Subdiaconum. Deferatq. alter Acolythorum, qui à dextris Subdiaconi erit, aquam acceptam de gradibus altaris, ibidem prius à Sacrista in decenti vase collocatam, Sacerdoti. Qui, porrigente ei Aspersorium Diacono, prius altare maius aspergat, & caueat ne nimis de aqua super illud proijciat. Postmodum Diaconum, & Subdiaconum, & Acolythos. Deinde Magistrum Ordinis (si adest) postea Cantores si fuerit Duplex, vel totum Duplex. Postmodum Fratres, incipiens à dextris: nisi quando nullo Prælato existente in Choro dextro, Prior aliquis fuerit in sinistro. Vel quando Priore Conuentus existēte in dextro Choro, maior Prælatus est in sinistro: tunc enim aspergendus est maior Prælatus qui est in Choro sinistro, & postea immediate Chorus dexter. Si tamen Prælatus ille qui est in sinistro Choro, habet aliquem Fratrem Magistrum superiorem locum obtinentem, tunc aspergendus est prius Chorus dexter. Sicuti etiam fiet quando existente Prælato aliquo non Magistro in sinistro Choro, Magister aliquis est in dextro. Post Fratres Clericos, aspergantur Conuersi, postmodum sæculares tantum in Choro existētes, nisi vbi fuerit consuetudo, quod & alij extra Chorum aspergantur. Prædictus ordo seruetur in danda pace, & in thurificando, & in aspersione aquæ post Cõpletorium, vbi ab vno tantum aspergi consueuit. Et dicto, *Asperges me* à Conuentu, Sacerdos stando inter pulpitum, & Diaconum: dicat versiculũ *Ostende nobis. Dominus vobiscum. Oremus. Exaudi nos, &c.* Hoc dicto, prædicti Ministri in Sacristiam reuertantur. Incepto itaque post Introitum, *Gloria Patri*, vel Versu, si *Gloria Patri* non dicitur, prædicti Ministri procedãt ad altare, primo Acolythi cum candelabris decentibus, & candelis accensis: deinde Subdiaconus librum Euangeliorum, & Diaconus Missale coram se deferentes pectori appodiatum, sinistra manu supposita, & dextra librum tenendo: vltimo Sacerdos iunctis manibus ante pectus. Venientibus autem ipsis ante altare, & stantibus in aliqua distantia ante illud: Diaconus ad dextram Sacerdotis: Subdiaconus ad sinistram, & simili modo Acolythi, vnus hinc & alius inde, omnes simul inclinent. Deinde Sacerdos postquam dixerit Orationem *Actiones nostras*, dicat Vers. *Confitemini*, & dum dicitur *Confiteor Deo, &c.* inclinent genibus non curuatis, stantibus tamen erectis Acolythis, & versis ad se mutuo vultibus. Itaque Confessione facta, & absolutione, se erigant, & dicat Sacerdos *Adiutorium &c.* Et appropinquans ad altare, inclinatus non ex transuerso, sed in directum versus mediũ altaris, quod semper est obseruandum in huiusmodi inclinationibus, dicat orationem *Aufer à nobis &c.* Interim Diaconus Missale ponat in dextro cornu altaris, & Subdiaconus ad sinistrum, librum Euangeliorum, appodiando illud in posteriore parte altaris, & Acolythi deponant cereos cum candelabris super gradus Presbyterij, extinguentes eosdem. Tunc omnes conuenientes ad librum,

brum, à Diacono iam apertum, qui etiam toties, quoties oportuerit, folia vertere, & Sacerdoti dicenda ostendere debebit, & stantes à dextris Sacerdotis ordinate secundum gradus suos, dicat Introitum, & *Kyrie eleison*, nec flectant genua cum dicitur *Salue sancta parens*. Deinde post Sacerdotem ordinet se Diaconus, & Subdiaconus post Diaconum. Acolythi autem infra gradus Presbyterij, vel in primis sedibus Chori, maxime vbi sunt pauci Fratres, stent parati ad sua ministeria peragenda: ita tamen quod dum Canon, vel aliud à Sacerdote in medio altaris stante dicitur, si fuerint duo Acolythi, vnus ad dexteram Diaconi, & alter ad sinistram in modum crucis stent ordinati, dum non sunt in aliquo ministerio occupati. Si vero Festum Duplex, vel Totum Duplex fuerit, poterunt omnes ire sessum, tali seruato ordine, vt Sacerdote in dextera parte Presbyterij, in qua parte semper sedes huiusmodi sunt parandæ sedenti, primo Diaconus sedeat ad sinistram eius, ad cuius sinistram Subdiaconus, & ad huius sinistram Acolythi sedeant. Qui antequam sessum eant, mappulam extendent super genua Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi, qui sericis erunt induti, taliter quod possint etiam super eam manus appodiare. Quàm postea alter Acolythorum ad vltimum *Kyrie eleison*, surgens leuabit, incipiendo à Sacerdote. Quo facto surgant omnes, & in medio altaris stantes, Sacerdos incipiat, *Gloria in excelsis*, si dicendum fuerit; ceteris Ministris, vt dictum est, ordinatis post ipsum. Deinde simul ad cornu dextrum altaris venientes, prosequantur inceptum cum Sacerdote, stantes à dextris eius ordine supradicto. Quo dicto, Sacerdos & Diaconus stent, donec Conuentus compleuerit illud. Et cauendum est Ministris, ne transeant dum aliquid instat agendum, inter Ministros gradus maioris, sed retro eos. Interim dum cantatur *Gloria in excelsis* in Dominicis diebus, & in Festis Duplicibus, & Totis Duplicibus, vel *Kyrie eleison*: quando *Gloria in excelsis* à Septuagesima vsque ad Pascha non dicitur, Subdiaconus altero Acolythorum præcedente in Sacristiam pergat, & ibi pulchram, & mundam mappam præparatam super humeros suos iuuante Acolytho decenter extendat. Calicem præparatum, vt dictum est de Missa priuata, accipiat. Et ita præcedente Acolytho vinum & aquam portante, Calicem eleuatum ante faciem suam deferat reuerenter: & cum ad altare peruenerint, in medio inclinent. Deinde Subdiaconus Calicem superponat altari, mappam deponat, & super cornu dextro altaris decenter extendat, & super eam Calicem præparatum accommodet. Acolythus autem in fenestella, aut super banco ad dexteram altaris vinum & aquam reponat. Dicto *Gloria in excelsis*, vel *Kyrie eleison*, pro tempore incipiat Sacerdos *Dominus vobiscum*. Diaconus vero non flexis genibus, nisi Episcopus celebrauerit, leuiter casulam per inferiorem trahat extremitatem, & ita tenendo casulam cum Sacerdote pergat ad librum, & eidem Orationem dicendam ostendat, quod etiam faciet ad *Offertorium*, & *Postcommunionem*. Dicto *Dominus vobiscum* dicat Orationem. Quod si Missa fuerit in Quadragesima, Diaconus post *Dominus vobiscum*, & *Resp. Et cum spiritu tuo*. Flectendo genua dicat clara voce, *Flectamus genua*, & surgendo immediate dicat *Leuate*. & Sacerdos subiungat *Oremus*, & dicat Orationem, qua finita dicat *Per omnia sæcula sæculorum*, & *Resp.* à Choro *Amen*, omnes ad medium altaris euntes profunde inclinent, & sessum eant. Dum vltima Oratio dicitur, altero Acolythorum præcedente, Subdiaconus librum Epistolarum ferat secundum modum supradictum de Euangelio, & Missali, super pectus suum reclinatum ad locum in quo Epistola Dominicis diebus, & Festis Duplicibus, & supra, legenda est. Alijs vero diebus legatur ante gradus Presbyterij super pulpitum, ad hoc ibidem præparatum in medio, verso vultu ad altare, & tunc non oportet quod Acolythus cum eo vadat. Prædictus vero Acolythus Epistola perlecta, Epistolarium quod sibi traditur à Subdiacono, deferat super altare, ponens illud in loco suo: inde cum expeditus fuerit, ipsum ad Sacristiam reportaturus. Sacerdos autem postquam Collectas finierit, eat sessum, Diacono & altero Acolythorum astantibus, & in sede sua eum reuerenter collocantibus. Et alter Acolythorum, vel ipse Diaconus, si desit Acolythus, aliqua super eius genua superposita mappula ad hoc præparata, vt dictum est, librum ei tradat, vt & Officium præuidere possit, & Orationem *Summe Sacerdos*, possit dicere si velit. Tunc Diaconus ablutis digitis explicet corporale, & medium latitudinis ponat in medio altaris, postea sedeat: & Sacerdos dicat Ministris audientibus, quæ de *Graduali* dicenda sunt, excepta *Sequentia*, & *Tractu*, quæ per Versus à Sacerdote & Diacono alternatim dicenda sunt, incipiente Sacerdote. Quibus dictis Subdiaconus Missale cum puluinari ad cornu sinistrum altaris pro cantando *Credo* vel *Offertorio* portet, deinde aliquantulum manus lauet, pulchram mappam super humeros suos, vt dictum est supra, iuuante Acolytho extendat, Calicem sinistra manu accipiat, & in oculis Sacerdotis, & Diaconi sedentis præparet hoc modo. Vinum de manu Acolythi assistentis accipiat, in Calicem infundat, sed ab vna parte in illa quantitate, prout Sacerdos innuerit. Postmodum aquam, & dicto *Benedicite*, & *Respons.* à Diacono. *Dominus*, subiungat Sacerdos benedictionem, & Acolythus respondeat, *Amen*, & parum, vt dictum est, aquæ in medio Calicis similiter infundat, & Calicem præparatum ad locum pristinum reportet, & cooperiat sicut prius erat, & sessum eat. Cum vero dicitur in Missa. *Veni sancte Spiritus*. In inceptione eius surgat Sacerdos, & Ministri, & non flectant genua, sed stent quamdiu cantatum fuerit. *Spiritus*. Deinde Choro surgente, sedeant. Dum autem Sacerdos sedet, Ministri cum non sunt occupati in aliquo ministerio, possunt ire

ad

ad adiuuandum Fratres in Choro, maxime in paruis Conuentibus. Circa finem cantus *Alleluia*, vel *Tractus*, vel *Responsorij*, vel *Sequentiæ*, pro tempore, Acolythi cereos accendant, & Thuriferarius adsit in Festis Duplicibus, & supra, & in Dominicis diebus, & in tertia Feria quando de B Dominico, in quinta quando de Corpore Christi, & in Sabbatis quando de B. Virgine, vel cum de Sanctis Ordinis per Ferias celebratur, & in Octaua Solemni, & in die Octaua Simplicium Octauarum. Qui stans ante Sacerdotem, petat Benedictionem thuris vt infra. In Totis autem Duplicibus, in quibus solis est Crux ad Euangelium deferenda, cantata Epistola: dum cantatur *Responsorium*, vel *Alleluia*, vel *Tractus*, aut *Sequentia*, pro vt dicenda fuerint, Acolythi deferentes candelabra cum cereis accensis, in Sacristiam eant, Thuriferario præcedente, indeque Crucem comitentur præeūte Thuriferario, & sequentibus Acolythis, in quorum medio Cruciferarius veniat, sicque procedant ante gradus altaris, Cruciferario in medio duorum Acolythorum stante, & Thuriferario ad dexteram Acolythi qui est à dextris Cruciferarij, & sic omnes reuerenter inclinent. Tūc Thuriferarius vadat ad Sacerdotē, & oblato ei thure, dicat *Benedicite*. & Sacerdos, facto signo Crucis super thus dicat: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Mox surgat Diaconus, & accipiens librum Euangeliorum, inclinatus coram Sacerdote dicat: *Iube domne benedicere*. Et Sacerdos surgens subiungat: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis ad prenunciandum sanctum Euangelium pacis.* Et sic procedant ad pulpitum. Primo Thuriferarius. Secundo Ceroferarij, in quorum medio veniat qui crucem fert. Tertio Subdiaconus cum puluinari, pro Euāgelio præparato: vltimo Diaconus librum Euangeliorum reclinatum supra pectus deferens secundum modum supradictum. In diebus vero Dominicis & Festis Duplicibus, & supra, vbi fuerit pulpitum retro Chorum, vel alibi loco eminenti, legetur Euangelium super illud. In alijs vero diebus, in sinistra parte Presbyterij super pulpitum ibidem versus Aquilonem præparatum. Postquam autem ad pulpitum peruenerit, Subdiaconus puluinar libro supponat. Ille vero qui defert crucē, & Ceroferarij, vnus à dextris, & alius à sinistris eius, stēt ante pulpitum, versis vultibus proprijs, & vultu Crucifixi ad Diaconum; Subdiaconus vero post Diaconum. Cum autem dicet Diaconus, *Sequentia, Initium sancti Euangelij*, faciat vnam crucem super Euangelij principium cum pollice, & aliam super frontem, aliā super os, & aliam super pectus: deinde signet se totum à fronte ad pectus signo crucis. Postea accepto thuribulo ter librum Euang. thurificet, & iunctis manibus ante pectus prosequatur Euangelium. Thuriferarius interim ad sinistram Acolythi qui est à sinistris Cruciferarij, vel vbi commode poterit, se collocet. Cum autem Fratres dicunt *Gloria tibi Domine*, debent se vertere ad altare, & munire se signo crucis. Dum autem Euangelium legitur, stet Sacerdos ad dextrum latus altaris, versa facie ad Euangelium iunctis manibus ante pectus, donec fuerit lectum. Similiter omnes Fratres vertere debent faciem ad Euangel. vbicumque legatur, & ipso finito, munire debent se signo crucis. Finito Euangelio tradat Diaconus librum apertum Subdiacono cum puluinari, & reuertantur ad altare ordine quo venerunt, hoc seruato, quòd cum eundo ad pulpitum transeunt per Chorum, Thuriferario transeunte per mediū Chori, & vno Ceroferario iuxta vnum Chorum, alio vero iuxta alium, ille qui defert crucem, & Subdiaconus, & Diaconus vadant iuxta Chorum dextrum, in redeundo vero vadant iuxta sinistrū. In fine Euangelij, Sacerdos ad medium altaris veniens dicat: *Credo in vnum Deum*, si dicendum fuerit. Cumque Ministri peruenerint ad altare, Subdiaconus offerat librum Sacerdoti ad osculādum, Diacono ei cum digito Euangelium demonstrante, nisi pro defunctis celebretur, vel Passio fuerit lecta. Sacerdos pollice signans Euangel. lectum signo crucis, dicat deosculando illud: *Per Euangelica dicta, &c.* & Diaconus respondeat, *Amen.* Post eum Diaconus osculetur. Et post hæc Subdiaconus ipsum librum reponat super altare, vbi & sicut erat prius. Deinde Diaconus & omnes alij Ministri stantes ad sinistram Sacerdotis ordinati ad sinistrum cornu altaris, vnus post alium, *Credo in vnum Deum* prosequantur, & cum Chorus cantauerit illa verba *ex Maria Virgine, Et homo factus est*, Sacerdos ante medium altaris genua flectat, similiter Diaconus & Subdiaconus hinc & inde in proximo gradu altaris post Sacerdotem flectant genua: post ipsos vero in alio inferiori gradu flectant genua Acolythi ordinati hinc inde, vt in medio eorū sit Cruciferarius, & à tergo Cruciferarij Thuriferarius, omnes versis vultibus ad altare. Postmodum surgentes omnes, Acolythi, & Thuriferarius comitentur crucem in Sacristiam eo ordine quo venerunt, facta prius inclinatione ante altare: & relicta cruce, reuertantur Acolythi ad altare præeunte Thuriferario, qui semper debet esse post Subdiaconum, nisi cum aliter in Ordinario. Cum autem in *Credo* dicuntur illa verba, *simul adoratur, & conglorificatur*, debent inclinare omnes. Finito vero *Credo*, vel *Euangelio*, si *Credo*, non dicitur, Sacerdos dicat *Dominus vobiscum. Oremus.* Offertorium: Ministri cum eo prosequantur stantes omnes ad sinistram ipsius, ordinati supradicto modo. Postquā vero simul dixerint Offertorium, Subdiaconus Calicem offerat Diacono, & Diaconus tenendo eum per inferiorem partem pedis Sacerdoti offerat, osculando manum eius, & dicens: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Quem accipiens Sacerdos postquā dixerit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, tenens eum duabus manibus aliquantulum eleuatum, dicat *Suscipe, &c* Tunc Thuriferario tenente thuribulum à dextra parte altaris, & Diacono sumptum thus de vasculo in quo seruatur, offerēte in cochleari Sacerdoti ad benedicendum, benedicat ipsum Sacerdos secundum modum qui scriptus est supra. Quo facto ponat ipsum Diaconus in thuribulo, & assumptum thuribulum

tradat

tradat ipsum Sacerdoti, manum ipsius osculando. Qui assumens illud cum ipso thuribulo faciat super Calicem signum crucis, postea inclinet, deinde thurificet ter ante eum, postmodum corpus Christi, si super altare est repositum. Deinde à dextris primo, & à sinistris secundo, procedendo in thurificando à medio altaris vsque ad cornua. Vltimo vero ipsum altare anterius, de sinistro cornu ad dextrum procedendo. Et progrediendo ab vno cornu altaris ad aliud, Sacerdos, & Ministri in medio semper debent inclinare. Dum Sacerdos thurificat, Diaconus decenter casulam eius trahat vt expedite possit incensare: interim alij Ministri ordinent se in dextro cornu altaris vt Subdiaconus sit prope altare, & à sinistris ipsius Acolythi, & Thuriferarius suo ordine vnus infra alium. Cum autem Sacerdos desierit thuriferare, Diaconus thuribulum de manu Sacerdotis accipiens, incenset ipsum Sacerdotem, trahendo casulam cum manu sinistra, & cum dextera tenendo thuribulũ. Postmodum reddat illud Thuriferario. Postquam autem Diaconus incensauerit Sacerdotem, Subdiaconus aquam in pelui, vel ampullam paratam teneat ad ablutionem digitorum Sacerdotis faciendam, quæ vel super terram fundatur, vel recipiatur in pelui alia, quàm sacra ablutio post Communionem, nec proijciatur in piscinam, in qua sacra ablutio funditur. Dum vero Subdiaconus aquam supradictam ministrat, Diaconus ex parte Chori, & vnus Acolythorum ex parte altaris stantes, manutergium mundum proprie præparatum ad absterfionem ablutionis prædictæ faciendam teneant, applicantes illud ante Sacerdotem supra casulam. Et dũ abluit Sacerdos dicat, *Lauabo, &c.* postea *In spiritu humilitatis*. Deinde dicat *Orate Fratres, &c.* Ita alte vt possit audiri à Ministris. Diaconus verò casulam trahat, vt supra dictum est. Tempore quoque muscarum, post inceptionem Secretarum debet eas Diaconus flabello amouere, ne molestent Sacerdotẽ, & abigat à sacrificio. Cum dicitur Præfatio, Thuriferarius præparet se ad thurificandum. Et cantatis illis verbis: *Gratias agamus Domino Deo nostro:* prius inclinatione facta ante altare thurificet Ministros altaris, primo Diaconum, deinde Subdiaconum & Acolythos, qui ita se vt thurificentur collocabunt, vt Diaconus cum altero Acolytho à dextris, sit in cornu sinistro altaris, & in cornu dextro sit Subdiaconus cum altero Acolytho à sinistris, omnes mutuo se respicientes, iunctis manibus ante pectus, & paululum inclinantes caput dum thurificantur. His incensatis, Thuriferarius vadat in Chorum, & thurificet Magistrum Ordinis si adest, postea alios (secundum quod de aqua Benedicta est dictum) de thure tamen non benedicto, quod de nouo ponat in thuribulo, atque incipiat ab antiquioribus in sedibus superioribus, & à iunioribus in sedibus inferioribus, se gyrando si fuerint ibi Fratres, prosequendo thurificationem in vtroque Choro: deinde Fratres Laicos. Et his peractis reuertatur ad altare, in medio stans post Subdiaconum. Deinde dicta Præfatione cum ventum fuerit ad *Supplici confessione dicentes*, Diaconus cũ vno Acolythorum (aliquot ictibus campanulæ astantes admonente) veniens ad sinistram, & Subdiaconus cum alio ad dexteram, dicant cum eo, *Sanctus, &c.* & ad *Benedictus qui venit* muniat se signo Crucis. Quod etiam faciendum est à Fratribus in Choro cum ipsi dicent *Benedictus*, nec debẽt se tũc vertere ad altare. Tunc si Dominica fuerit, vel Festũ Simplex aut maius, vel Oct. Solemnis, aut dies Oct. Simplicium Octauarum, aut tertia Feria, in qua agitur de B. Dominico, vel quinta in qua de sanctissimo Sacramento, vel Sabbatum, in quo de B. Virgine, vel de Sanctis Ordinis solemniter celebratur: Subdiaconus mappam sumat, & eam super humeros suos extendat, & Diaconus ei patenam tradat, & operiat eam alia mappula, vel mappam replicans super eam, & Acolythi cereos accedant pro eleuatione: ceteris vero diebus patena à Subdiacono non teneatur. Deinde Subdiaconus stans post *Pater noster*, eam teneat eleuatam cum dextera manu, sinistram dextro brachio supponens. Interim dum Sacerdos profert verba consecrationis, Diaconus à dextris Sacerdotis, & Subdiaconus à sinistris cum patena, flectant genua super gradus altaris: vno Acolythorum iuxta Diaconum, & altero iuxta Subdiaconũ, & vnus pulset campanulam, & sic stent à tempore eleuationis, vsque post sanguinis consecrationem, & eleuationem. Et in diebus in quibus ministratur incensum, Diaconus cum thuribulo sibi tradito à Thuribulario, vel ab vno Acolythorum, vbi sunt pauci Fratres, dum alius accendit cereos, incenset continue in eleuatione Corporis, & Sanguinis: postea reddat thuribulum ipsi Thuribulario, vel Acolytho, qui illud reportet in Sacristiam ac ibi dimittat. In omni autem tempore sic Chorus cauere debet à nimia prolixitate cantus, dum dicit. *Sanctus &c* & Sacerdos sic morose debet perficere ea quæ dicuntur ante eleuationem hostiæ, quòd numquam fiat eleuatio, quousque prædictus cantus sit terminatus. Cum Chorus respõderit, *Sed libera nos &c* post *Pater noster*. Sacerdos etiam submisse respondeat. *Amen*. Tunc Subdiaconus tradat patenam discoopertam Diacono, qui recipiat eam manu nuda. Sacerdos vero quando dicturus est, *Da propitius pacem* ipsã accipiat, & Diaconus cum tradit eam, ipsius humerum osculetur: & Sacerdos signans se patena, & post ipsam osculans, eam super altare deponat seorsum a Corporali. Et dum Sacerdos signat se patena, Subdiaconus cum altero Acolythorum reuerenter plicet mappam, & mappulam patenæ, & eidem Acolytho tradat reponendas super sinistro cornu altaris. Quando vero Subdiaconus patenam non tenuerit, nihilominus Diaconus post *Pater noster* eam accipiat de altari, & prædicto modo offerat Sacerdoti. Postquam autem Sacerdos dixerit: *Pax Domini sit semper vobiscum*, Diaconus cum vno Acolythorum à sinistris, & Subdiaconus cum alio à dextris, dicant cum eo *Agnus Dei, &c.* Deinde dicto *Hæc sacrosancta commixtio &c.* Calicis labium, postmodum patenam, vel aliquam sanctam imaginem

ginem

ginem (quæ pax communiter dicitur) sibi illico porrectam à Diacono osculetur, dicendo submissa voce *Pax tibi, & Ecclesiæ sanctæ Dei*. Quod non faciet in triduo ante Pascha, & in Missis Defunctorum. Deinde Diaconus det eandem Subdiacono osculandam,& Subdiaconus Acolythis, qui hac de causa in medio post Subdiaconum tunc esse debebunt. In Dominicis autem diebus, & Festis Duplicibus, & supra, postquam Acolythi pacem à Subdiacono acceperint,vt dictum est, alter eorum Cantoribus in Choro deferat, qui ordine, vt supra de aqua benedicta distinctum fuit,Fratribus dabunt postquam terminatus erit totus cantus *Agnus Dei*.In ceteris autem diebus nunquam detur Pax in Missa Conuētuali,nisi Ministris Missæ. Porro in magnis Solemnitatibus, puta Natalis,Paschatis,& Ascensionis Domini,Pentecostes, Corporis Christi,B.Dominici,Assumptionis B.Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum,& similibus: Subdiaconus postquam Pacem Acolythis vt præfertur,dederit,deferat eam Cantoribus in Choro, altero Acolythorum præcedente: deinde reliquis Fratribus ordine, & modo vt supra. In Missis vero priuatis, quæ non sunt de mortuis, detur pax Fratri seruitori vbi consueuit fieri,sed alijs astantibus non detur,nisi consuetudo patriæ teneat cōtrarium. Sacerdos itaque data pace Diacono, dicat Orationem, *Domine Iesu Christe, &c.* & *Corpus, & Sanguis Domini nostri Iesu Christi,&c.* nullas alias intermiscendo Orationes,neque pectus percutiendo:& postquam communicauerit, veniat ad dextrum altaris cornu,ibique Subdiaconus in ampulla vinum paratum habens infundat Calici; postea aquam si maluerit. Interim Diaconus ablutis primo digitis Corporale plicet, & reponat, & Missale referat ad dextrum cornu altaris. Sacerdos autem assumpta alia ablutione, quæ remansit in Calice, deponat Calicem, quem semper ambabus manibus tenuit accipiēdo ablutiones: & Subdiaconus ablutis etiam prius cum Diacono digitis,eum accipiat,purificatorium scilicet, patenā, corporale,& mappulam superponat. Postmodum Sacerdos dicat *Dominus vobiscum.*& Diaconus trahat casulam sicut prius: & dum Orationes prosequitur,Acolythi cereos in eleuatione accēsos extinguant,& quæ reportanda restant in Sacristiam referant,prout commode possunt.Quando autem Missa erit de Feria in Quadragesima post omnes Memorias dicto à Sacerdote *Oremus*, subiungat Diaconus clara voce, *Humiliate capita vestra Deo:* & Sacerdos prosequatur Orationem signatam super Populum. Dum autem vltimæ Orationes dicuntur, Subdiaconus altero Acolythorum præcedente,vinum,& aquam deferente, Calicem præparatum,vt dictum est,in Sacristiam reportet, nō extensa mappa super humeros. Et cum iterum redierit ad altare,vnus Acolythorum librum Euangelij ei tradat, & alter cereos super candelabris accendat.Cum Sacerdos ad dicendum *Dominus vobiscum*,se verterit ad Conuentum, Diaconus similiter se vertat, & dicat *Ite Missa est* si *Gloria in excelsis* præcesserit. Alioquin non se vertat ad Conuentum Diaconus: sed versa facie ad altare; ipso Sacerdote similiter verso, dicet *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, si Missa fuerit de Mortuis. Sacerdos vero, & Diaconus stent versi ad Conuentum quamdiu dicitur *Ite Missa est*,deinde vertant se ad altare non se gyrando. Interim dum Sacerdos dat benedictionem, alter Acolythorum Missale Diacono tradat:ac dicto Euangelio redeant in Sacristiam eo ordine quo venerunt. Tunc Ministri primo Sacerdotem, postea se mutuo iuuent ad exuendum.Acolythi antequam vestes exuant,reuertētes ad altare,cooperiant illud, & aptent decenter:reportantes in Sacristiam quæ fuerint reportanda: postea in Dominicis diebus deferant aquam benedictam per cellas, & reliquas officinas, eas aspergendo. Vbi autem in diebus solemnibus propter paucitatem Fratrum prædicta Ministrorum Solemnitas seruari non poterit,prout commodius,& honestius poterit, obseruetur.In Ferialibus vero diebus,& Festis trium Lectionum,& infra Oct. non Solemnes, vnus sufficiat Acolythus. Qui dum fit Confessio, & dum dicitur *Sanctus*,& *Agnus Dei* à Sacerdote,stare debet à dextris iuxta Diaconum, & etiam in genuflexione ad Corpus Domini.Si Episcopus præsens fuerit in Missa,inuitandus est à Cantore ad faciendam confessionem in principio Missæ,& petendæ sunt ab eo etiam benedictiones aquæ miscendæ in vino, & thuris deferendi ad Euangelium legendum. Item post Euangelium lectum offerendum est ei primo Euangelium ad osculandum. Item primo est ei aspersorium aquæ benedictæ offerendum ad aspergendum se & collaterales. Primus est etiam thurificandus, si hæc in Missa fiant.Item primo est ei offerenda pax. Item in fine Missæ inuitandus est àCantore ad dandam benedictionem. Si autem Cardinalis non Episcopus, sed Presbyter vel Diaconus,vel Legatus non Episcopus, sed Cardinalis interfuerit, quæratur consuetudo eius circa hoc,& seruetur. Amen.

DE SERVITORIBUS MISSARUM Priuatarum.

IN Missis priuatis seruitor deferat cappam saltem diebus Festiuis;semperque mundas habeat manus. In incessu,statu,habitu, & in omnibus motibus suis nihil faciat,quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod suam deceat sanctitatem. Diligenter attendat, quod vestes Sacerdotis dum ei seruit induendo se, decenter componantur. Cum ei porrigit amictum, manipulum, stolam,vel quid aliud,semper capite discooperto reuerenter eius deosculetur manus. Deferat Sacerdoti Missale, ad hoc vt Missam præparare possit, antequam pergat ad altare, ne ibi postea audientes tædio afficiat. Mappas altaris, & pallas explicando, & replicando, mature & alia circa altare disponat, & ordinet. Prouideat ne cum vestibus suis, vestes sacras, vel alia sacra circa altare irreuerenter tangat. Accedens ad altare non currat, sed cum religiosa modestia, & grauitate incedat.

cedat. Missale reponat super cornu dextrum altaris; candelas accendat, & vinum, & aquam reuerenter ministret, & attendat quod sit bene sanum, & mundum; de aqua similiter videat si sit recens, & munda, & caueat sollicite ne vnum pro alio ministretur. Si non sit in maioribus Ordinibus, non tangat Calicem nuda manu, nec ministret propria manu hostiam, aut vinum, & aquam, sed Sacerdoti exhibeat ministrandam. Ad *Confiteor Deo, &c.* recipiat se ad sinistram Sacerdotis, & genuflexus ipsi deuote respondeat *Misereatur tui, &c.* ac inde non recedat, donec dicta Epistola, & *Alleluia*, post ipsam, vel Tractu, aut Sequentia surget, librum accipiet, & ad cornu sinistrum altaris portabit, nisi Sacerdos id facere maluerit, cum candela, nisi ex vtraque parte fuerit cereus, vel candela. Animaduertat quòd quando liber est in cornu dextro altaris, debet ipse semper esse in cornu sinistro, & è contra, semperque genuflexus, nisi cum legitur Euangelium, vel cum ministraturus est Sacerdoti vinum, aut aquam, cereum accensurus ad eleuationem, seu librum transportaturus. Transiens ab vna ad alteram partem, in medio altaris reuerenter semper inclinet. Dum Sacerdos dicit Offertorium, ad cornu dextrum accedat, mappulam explicet, & extendat, aquam præparet, & venienti Sacerdoti pro digitis abluendis omni cum reuerentia ministret. Ad *Sanctus, &c.* aliquot ictibus campanulæ astantes moneat, deinde surgat, & cereum accendat in eleuatione Sanctissimi Corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: campanulam modeste pulset, & trahere casulam non omittat. Postquam Sacerdos communicauit, præsto surgat: vinum, vel aquam prout maluerit, pro ablutione ministret: librum à cornu sinistro ad dextrum asportet; cereum, qui fuit in eleuatione accensus, extinguat, & ad sinistrum cornu genuflectat Non stet prostratus in tota Missa, sed oculos, & mentem habeat circa altare; vt videat quæ fuerint facienda, & audiat cum Sacerdoti fuerit respondendum, cui prompte, & deuote semper respondere debebit. Data benedictione in fine Missæ surgat, librum accipiat, & candelas extinguat tempore opportuno, ita vt expleto Euangelio quod post Missam dici solet, paratus Sacerdotem præeundo ad Sacristiam reducat, vbi deposito Missali, & candelis, prostratus ad pedes Sacerdotis veniam petet, si in aliquo circa seruitium deliquit; postea Sacerdotem adiuuet ad deponendas sacras vestes, & quando ab ipso stolam, manipulum, cingulum, vel quid aliud accipiet, tūc eius (vt dictum est) deosculetur manum. Quibus peractis dicat Sacerdoti, *Benedictus Deus*, & recedat cum benedictione, &c.

DE SACRA COMMVNIONE.

Circa sacram Communionem, & modum communicandi in Conuentu, notandum est quòd ad reseruandam sacram Communionem haberi debet tabernaculum decens, & honestum super altare maius honorifice collocandum. Infra quod habenda est pixis argentea, vel ex alia materia pretiosa, intra quam seruanda est vna hostia consecrata, vel si plures seruantur, non tamen in magna multitudine. Prouideatur autem quod tam tabernaculum, quàm pixis prædicta sic caute stabiliantur, & claudantur, ne aliquo casu possint hostiæ prædictæ cadere, vel remoueri, nisi per ministerium Fratrum, cum fuerit aliqua Communio facienda. Die autem Communionis consueuit fieri aliqua exhortatio in Capitulo, vel absolutio generalis Fratribus, tam Clericis, quàm Laicis: vt ad tantum Sacramentum dignius accedant præparati. Debet autem Prælatus, si commode potest, vel aliquis ex grauioribus Patribus in huiusmodi die Missam Conuentualem celebrare. Cum igitur Subdiaconus ministraturus fuerit, necessaria pro Sacramento huiusmodi, à Sacrista, cuius interest scire, debet inquirere de numero hostiarum consecratarum, quæ sunt in pixide, debet etiam inquirere de numero Fratrum, qui sunt communicandi: & facta collatione, tot hostias consecrandas ponat, quot sufficiant Fratribus communicandis. Et sumptis illis, quæ reseruatæ fuerunt prius, paucæ remaneant, prout dictum est, reseruandæ. Cum igitur hora communicandi appropinquauerit: Diaconus, Ceroferarijs præcedentibus cum cereis, apportet pixidem supradictam cum corpore Domini super altare, aperiens eam ibidem: & tunc omnes Fratres alij præter Sacerdotem celebrantem, qui solus genuflexus adoret, videntes ipsum deferentem pixidē prosternant se, adorantes: quousque eam super altare deposuerit. Post breuem autem adorationem sic prostrati dicant omnes *Confiteor &c.* Et Sacerdos faciat absolutionem, dicendo *Misereatur &c.* Et *Absolutionem &c.* Postmodum communicent Ministri primo secundum ordinem graduum suorum, deinde Conuentus incipiendo à superioribus. Et veniant Fratres cum cappa, bini & bini, vltimo Fratres conuersi. Quod si extranei aliqui apud nos communicare debuerint, in aliquo altari de minoribus communicari poterunt. In primis autem cum Ministri communicare debēt, accedant duo de Fratribus stantibus in Choro, quibus Sacrista, vel Cantor innuerit, & flexis genibus iuxta Sacerdotem à dextris, & à sinistris eius teneant mappulam mundam, & honestam ad hoc præparatam, & inter Sacerdotem, & communicantem extensam, à Sacerdote vsque ad communicantem, applicantes illam sub mento communicantis. Postquam autem omnes Ministri altaris communicauerint, Acolythi teneant prædictam mappulam prædicto modo, quousque communicauerint omnes. Dum autem Frater accedit ad recipiendam Communionem non se prosternat, nec osculetur terram, vel pedem Sacerdotis, sed profunde inclinans, & super gradus in loco apto flexis genibus toto alio corpore erecto se disponens, aperto ore non nimis nec parum, sed mediocriter, cauens à transuersione oculorum, vel insolita vultus dispositione, cum decenti disciplina, & reuerentia suscipiat Sacramentum.

Sacer-

Sacerdos autem primo ministret hostias reseruatas. Dum autem quamlibet hostiam ministrat, accipiat eam cum pollice, & indice dextræ manus, & pixidem, seu patenam cum sinistra supponendo eam hostiæ, & sic transferat vsque ad Fratrem cōmunicandum. Et cum tradit eam, dicat: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.* Suscepto autem Sacramento, Frater se erigat, & profunde inclinans seorsum secreto oret, & consumpta hostia accedat ad vinum, quod stando est recipiendum, & in modica quantitate ad abluendum os diligenter, ne aliqua particula hostiæ remaneat inter dentes. Porro Diaconus debet recipere vinum huiusmodi in Calice alio, quàm sit Calix cum quo celebratur, & postea alijs ministrare stando à dextris altaris. Debet autem tenere pedem Calicis cum mappa pulchra, & decenti, cum qua etiam Fratres post ablutionem oris labia detergant. Si autem fuerit magnus Cōuentus, Subdiaconus à sinistris altaris stans poterit vinum in altero Calice eodem modo ministrare: vt citius expediatur Conuentus. Vel poterūt etiam Fratres ex se vinum seorsum à Sacrista præparatum accipere. Cauendum est autem Fratri ne post Communionem spuat cito: quod si cauere nō potest, debet in loco honesto proijcere sputum. Et sciendum est quòd si astet magna multitudo expectans finem Missæ, vel propter aliud impedimentum, poterit differri Communio vsque post Missam: nisi in die Cœnæ, si visum fuerit Priori, alioquin facienda est antequam Communio dicatur. Debent autem Fratres communicare in qualibet Dominica Aduentus, & Quadragesimæ, in die Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Cœnæ Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi. Item in Festis Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis, & Rosarij Beatæ Mariæ semper Virginis, & in Festo omnium Sanctorum. Item in Festis Sanctorum Dominici Patris nostri, Petri, Antonini, Thomæ, Vincentij, Hyacinthi, Raymundi, & Catharinæ Senensis, & Agnetis de Monte Politiano, & in omnibus Dominicis diebus deputatis pro Confratribus Sanctissimi Rosarij, & Nominis Dei, propter indulgentiam plenariam in præfatis diebus concessam. Ceterum bis in mense, videlicet de quindena in quindenam communicabunt, si Prælato visum fuerit expedire. Postquam autem Frater communicauerit, vel vinum acceperit, potest orare secreto dum alij communicant. Qui autem non communicant, & sunt in Choro, interim stent super Formas prostrati. Si autem ante finem Communionis viderit Sacerdos quòd nimia multitudo hostiarum fuerit præparata, potest duas, & duas dare Fratribus: ne nimiā multitudinem oporteat reseruare. Quæ autem remanserint, positæ à Sacerdote in pixide, per Diaconum præcedentibus Ceroferarijs ad locum debitum honorifice portentur, Fratribus prostratis modo supradicto. Nullus autem debet remanere ab hac Communione sine licentia speciali, nisi celebret ipsa die. Qui autem extra sunt, debent extra communicare, vel cum redierint quàm cito commode possunt.

DE MISSIS IN DOMINICIS DIEBVS, in Festis, & infra Octauas.

IN omnibus autem Dominicis per totum annum præterquam in Vigilia Natalis Domini, & nisi Festum Duplex, vel maius, vel Octaua Solemnis, aut Octaua habens in ipsa die propriam Missam, impediat, semper est Missa de Dominica celebranda. Quando vero propter aliquod impedimentum Missa Dominicalis in Dominica nō celebratur, semper infra Hebdomadam suam in aliqua Feria vacante, est dicenda. Feriæ autem ita ordinantur, vt primo in Feria quarta, & ipsa impedita in Feria sexta, postea in Feria ij. v. iij. vltimo in Sabbato dicatur. Cum Missa Dominicalis in die Feriali dicitur, nec *Gloria*, nec *Alleluia* in ea dicantur.

In omni autem Festo etiam trium Lectionum, celebranda est de eo Missa, quando Matutinale Officium de ipso præcesserit, nisi præsens Defunctus occurrerit, pro quo Missam oporteat celebrare.

Infra vero omnes Octauas Simplices facienda est Missa quotidie de Octaua, nisi Festum, vel Missa de Vigilia, vel maiores Octauæ superuenientes, vel Dominicalis Missa, vel præsens Defunctus, vel tertia Feria, in qua Missa de Beato Dominico, aut Feria quinta, in qua Missa de Sacramento, vel in Sabbato Missa de Beata Virgine impediat.

Cum incertum autem est de quo Missa debeat celebrari, Cantoris erit prouidere, de quo celebretur, & ei qui celebraturus est, competenti hora intimare debebit.

DE QVO MISSA ORDINARIE SIT IN DIEBVS SINGVLIS INFRA HEBDOMADAM CELEBRANDA.

FERIA

Secũda. In qualibet ſeptimana per totũ annum (ſi vacauerit) ſin autem in ſequenti die minus ſolemni, celebretur ſemel Miſſa pro Defunctis: niſi in Hebdomada Paſchæ, & Pentecoſtes, in quibus intermittitur Officium Defunctorum: & poſt Miſſam fiat Proceſſio per clauſtrum mortuorum, aut ſaltem per Eccleſiam, cum Reſponſorio, vel Reſponſorijs, & Orationibus opportunis. Ad quam ſane Proceſſionem debet Sacriſta pulſare campanulam ante finem Miſſæ, vt Fratres, qui extra Chorum ſunt, omnes conueniant; & ea quæ ſunt congrua præparare. Quod ſi Miſſa de *Requiem* ob continuatas Feſtiuitates, vel dies habentes Miſſas proprias, quæ non debet vllo pacto dimitti, ſicut ſunt dies Quadrageſimæ, & Vigiliarum, aut Feriæ tertiæ, quando de Beato Dominico, aut quintæ, quando de Sacramento; aut Sabbatorũ, quando de B. Virgine celebratur, celebrari non poſſit, tunc in Miſſa ordinaria ipſius Feriæ ſecundæ, vel alterius minus ſolemnis (quæ nihilominus ipſis Defunctis applicetur) dicatur Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul, & mortuorum*: & poſt Miſſam Proceſſio nullatenus dimittatur, & in hoc grauatur conſcientia Prælatorum, ſi non ſatisfecerint. Ferias autem ita ordinamus, vt minus ſolemnis ſit Feria quarta, deinde ſexta, ſecunda, quinta, tertia, vltima, & ſolemnior ſit Sabbatum. Poſt Miſſam vero priuatam non ſit Proceſſio.

Tertia. Per totum Annum niſi in Vigilia Natalis Dñi, & deinceps vſque ad Oct. Epiph. incluſiue; & niſi in xl. & deinceps vſque ad Oct. Paſchæ incluſiue; & niſi in Rogationibus, & deinceps vſq. ad Oct. Trinit. incluſiue; & niſi infra Oct. Corp. Chriſti, Aſſumption. B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorũ, & niſi ſit Feſtum Simplex, vel maius, & niſi ſit Vigilia, quæ propriũ habet Officium, vel Miſſa Dominicalis tunc ſit legenda, aut præſens Defunctus fuerit, Miſſa de B. Dominico celebretur.

Quarta. Per Aduentum, & ab Oct. Epiph. vſq. ad caput Ieiunij excluſiue, & ab Oct. Paſchę, vſque ad Rogationes. Item à *Deus omnium* vſq. ad Aduentũ, (ſi vacauerit) Miſſa de Spiritu ſancto dicatur, vel pro Fratribus mortuis illo anno, vel de Dominica.

Quinta. Per totum Annum niſi temporibus ſupra de B. Dominico expreſſis, ſaluis tamen Oct. Corporis Chriſti, Miſſa ſit de Sacramento.

Sexta. Per Aduentum, & ab Oct. Epiphaniæ, vſque ad caput Ieiunij excluſiue, & ab Oct. Paſchæ, vſque ad Rogationes. Item à *Deus omnium* vſque ad Aduentũ (ſi vacauerit) Miſſa ſit de Cruce, vel de Dominica, vel pro Fratribus mortuis illo anno.

Sabbato. Per Aduentum niſi in Sabbato Quatuor Temporũ. Item in Sabbato infra Oct. Epiphan. & deinceps in omnibus Sabbatis vſque ad Quinquageſ. Item in Sabbatis poſt Dominicam in Albis vſque ad Aſcenſionem. Item poſt Oct. Corporis Chriſti in omnibus Sabbatis; etiam infra Sanctorum Oct. præterquam B. Dominici, & omnium Sanctorum, vſque ad Aduentum, excepto Sabbato Quatuor Temporum Septemb. Miſſa de B. Virgine celebretur, niſi Feſtum Simplex vel maius, aut Vigilia, quæ propriam Miſſam habet, vel etiam Miſſa Dominicalis impediat, aut præſens Defunctus fuerit, pro quo Miſſa in Conuentu debeat celebrari.

Nota de Sanctis Ordinis. Quòd ſi in aliquibus Prouincijs, Vicarijs, Cógregationibus, aut Cóuentibus ex laudabili, & approbata conſuetudine conſueuit Feria quarta, vel ſexta, celebrari de aliquo Sancto Ordinis, vel alio; de ipſo tunc fiat Miſſa in Conuentu. Quin etiã in Feria quinta, prætermiſſa Miſſa de Sacramento, poſſunt de ipſo Sancto celebrare; quod ſi de Sacramento magis celebrare voluerint, tunc Miſſam de Sancto, vel Sancta in aliam Feriam nullatenus transferant, ſed ipſam penitus intermittant.

Nota de Anniuerſario. Miſſa de Anniuerſario, eo die quo poſitum eſt, debet celebrari, niſi illo die euenerit Feria, vel Feſtum habens Miſſam annexam neceſſario: vt ſunt Dominici dies, vel Sanctorum Simplicia, aut maiora Feſta, vel dies Quadrageſimales, aut habentes Miſſam annexam ex deuotione, vt ſunt Feria tertia de B. Dominico, Feria quinta de Sacramento, & Sabbato de B. Virgine. Tunc enim Miſſa de Anniuerſario in Feriam vacantem minoris ſolemnitatis transferenda eſt. Quod ſi omnes Feriæ habent Miſſas proprias, nihilominus in Miſſa commemoratio de eo fiat, vt dictum eſt ſupra de Feria ſecunda.

DE QVIBVS VIGILIIS MISSA sit celebranda.


Vigiliæ de quibus Missa celebranda est in Conuentu, etiam cum inciderint in Dominicam, sunt hæ: Vigilia S. Andreæ, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli, Laurentij, Assumptionis B. Mariæ, Matthæi, Simonis & Iudæ Apostolorum, & omnium Sanctorum.

QVANDO DICENDVM EST Gloria in excelsis.

IN Natiuitate Domini, & deinceps quotidie vsque ad Octauas Epiphaniæ, nisi in Festo Innocentum quando extra Dominicam venerit, dicatur *Gloria in excelsis*.

Dicitur etiam Feria quinta in Cœna Domini, & in Vigilia Paschæ, & quotidie per Oct. & in Ascensione Domini, & quotidie per Oct. & in Vigilia Pentecostes, & deinceps quotidie vsque ad Oct. Corporis Christi.

Dicitur etiam in omnibus Dominicis per totũ annum, nisi in Aduentu, & in Septuages. & deinceps vsque ad Pascha exclusiue.

Dicitur etiam in omnibus Festis Simplicibus, nisi in Festo Innocentum quando euenerit extra Dominicam, & nisi in illis, quæ à Septuagesima vsque ad ramos Palmarum celebrantur.

In Festis vero Duplicibus, & Totis Duplicibus dicatur omni tempore, nisi in Vigilia Natalis Domini.

Dicitur etiam quotidie infra omnes Octauas, nisi in Missis de Vigilijs, si extra Dominicam occurrerint celebrandæ. Dicitur tamen in Vigilia beati Laurentij ob Octauæ beati Dominici solemnitatem.

Dicitur etiam in omnibus Sabbatis quando de B. Virgine celebratur, præterquam à Septuages. vsque ad Pascha, & præterquam in Vigilia Assumptionis quando in Sabbato euenerit.

Dicitur etiam in tertijs Ferijs quãdo de B. Dominico, & in quintis quando de Sacramento, & quando de Sanctis Ordinis nostri secundum consuetudinem Prouinciarum celebratur, præterquam infra Septuages. vsque ad Pascha. Quod si aliqua Missa, in die, qua cantandum est, *Gloria in excelsis*, occurrerit celebranda: dicatur etiam in illa die, nisi fuerit pro Defunctis, vel de Vigilia Sancti cum extra Dominicam celebratur, & nisi in Ieiunijs Quatuor Temporum, & in Quadragesima, & in tribus diebus Rogationum in Missis de Ieiunio: quando Festum Simplex, vel maius in Temporibus occurrerit supradictis. Quando vero in Profestis diebus Missa de Spiritu sancto, vel de Beata Virgine, vel de quocumque Sancto celebratur, non cantetur *Gloria in excelsis*.

DE NVMERO ORATIONVM in Missa.

IN Missa tres tantum Orationes dicantur, nisi Memoriarum necessitas exigat: in quo casu tot Orationes dicentur, quot Memoriæ in Laudibus factæ fuerint, & eodem ordine. In Duplicibus vero, & Totis Duplicibus præterquam in duobus diebus post Natale, & in die Circumcisionis, & vbicumque specialiter est signatum, vna sola Oratio est dicenda. Item vna sola Oratio dicatur per totam Hebdomadam Paschæ, & Pentecostes. Item infra Octauas & in Octaua Ascensionis, nisi Festum Simplex, & supra fuerit, vel Dominica. Item per Octau. Corporis Christi, nisi in Dominica, & in Festis SS. Ioannis Baptistæ, & Apostolorum Petri & Pauli, quando infra dictas Octauas euenerint. Item per Octauam B. Dominici, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, nisi Festa in ipsis occurrerint, de quibus solis dicendæ sunt Orationes in Missis sicut de ipsis celebratur, vel fit Memoria in Laudibus. Atque sane generaliter in Octauis Solemnibus, & Duplicibus, & supra si quæ Memoria facta fuerit in Laudibus, fiat etiam in Missa. Quando etiam duæ Missæ in Conuentu fuerint celebrandæ, in Missa, quæ solemnior fuerit, vna tantum Oratio dicatur, nisi quando altera ipsarum fuerit pro præsenti Defuncto. Tunc enim in Missa pro Defuncto vna tantum Oratio dicenda est, in alia vero tres, nisi fuerit de Duplici & supra, vel vbi aliter aliud specialiter sit notatum.

DE ORDINE ORATIONVM Ordinarie dicendarum in Missa præsertim Conuentuali.

ET primo per Aduentum in Dominicis diebus. Secunda Oratio, *Deus, qui de B. Maria*. Tertia, *Deus, qui charitatis*.

Quod si Vigilia B. Andreæ in prima Dominica Aduentus euenerit, in Missa de Vigilia. Secunda Oratio erit de Beato Saturnino. Tertia de Beata Virgine. In Missa vero de Dominica tantum vna Oratio dicatur.

Feria secunda. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*. vel *Pietate*.

Feria tertia. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia de B. Virgine. *Deus, qui de B. Maria*.

Feria quarta. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia de B. Virgine.

Feria quinta. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia de Beata Virgine.

Feria sexta. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia de Beata Virgine.

Sabbato. Secunda Oratio de Aduentu. Tertia *Ecclesiæ*.

Quando vero aliquo Festo Duplici, vel toto Duplici intra Aduentum celebratur, fiat in Missa Memoria de Aduentu.

Na-

A Natiuitate Domini, vsque ad Octauam Innocentium exclusiue, dicantur Orationes secundum ordinem Memoriarum, quæ diebus illis fieri in Vesperis, & in Laudibus dici consueuerunt.

In Octaua Innocentium. Secunda Oratio, *Deus, qui salutis æternæ*. Tertia, *Deus omnium*.

In Vigilia Epiphaniæ. Secunda Oratio, *Deus, qui salutis*. Tertia, *Corda famulorum*.

Per Ferias infra Oct. Epiphaniæ.

Feria secunda. Secunda Oratio de S. Raymundo. Tertia de B. Virgine.

Feria tertia. Secunda Oratio de B. Dominico. Tertia de B. Raymundo. Quarta de B. Virgine.

Feria quarta. Secunda Oratio de B. Raymundo. Tertia de B. Virgine. Si Missa fuerit de Dominica, secunda Oratio erit, *Deus, qui hodierna die Vnigenitum*. tertia de B. Raymundo, quarta de B. Virgine.

Feria quinta. Secunda de Sacramento. Tertia de B. Raymundo. Quarta de B Virgine.

Feria sexta. Secunda de B. Raymundo. Tertia de B. Virgine.

Sabbato. Secunda de B. Raymundo. Tertia de B. Virgine.

Dominica infra Octauam Epiphaniæ. Secunda Oratio erit de Epiphania. Tertia de B. Raymundo. Quarta de B. Virgine.

In Octaua Epiphaniæ. Secunda Oratio de B. Raymundo. Tertia de B. Virgine.

AB Octauis Epiphaniæ vsque ad caput Ieiunij exclusiue, dicantur hoc ordine Orationes.

Dominica. Secunda Oratio *Deus, qui charitatis*. vel de Dominica si Festum fuerit. Tertia, *A cunctis*.

Feria secunda. Secunda Oratio erit de Dominica. Tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Feria tertia. Secunda de B. Virgine, vel de B. Dominico si Festum fuerit. Tertia *Prætende*.

Feria quarta. Secunda de B. Virgine. Tertia *Corda famulorum*.

Feria quinta. Secunda de B. Virgine. Tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio*.

Feria sexta. Secunda *Deus à quo*. Tertia *A cunctis*.

Sabbato de B. Virgine. Secunda de Dominica, vel de B. Virgine, si de Festo Missa fuerit. Tertia *Ecclesiæ*.

Quando in prædictis diebus Memoria de aliquo occurrerit facienda. Secunda Oratio erit de eo. Tertia non mutabitur.

IN capite Ieiunij, & deinceps vsque ad Cœnam Domini exclusiue, dicantur Orationes hoc ordine.

Dominica, Oratio secunda, *Deus, qui charitatis*. Tertia *A cunctis*.

Feria secunda. Secunda Oratio, *Exaudi quæsumus Domine supplicum preces*. Tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Feria tertia. Secunda de B. Dominico. Tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio*.

Feria quarta. Secunda *Exaudi quæsumus Domine supplicum*. Tertia *A cunctis*.

Feria quinta. Secunda de sancto Sacramento, vel de Sancto Ordinis, de quo iuxta consuetudinem Prouinciæ facta est Memoria in Laudibus. vel *Ineffabilem*. Tertia *Prætende*.

Feria sexta. Secunda, *Exaudi quæsumus Domine supplicum*. Tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Sabbato. Secunda de B. Virgine. Tertia *Ecclesiæ*.

Quando autem in aliqua præcedentium Feriarum Festum aliquod occurrerit, in Missa de Festo vna tantum Oratio dicatur, in Missa vero de Ieiunio, secunda Oratio, & tertia dicantur, sicut in Ferijs prænotatum est, nisi in Annunciatione: nam tunc in Missa de Ieiunio. Secunda Oratio erit, *Deus, qui B. Mariæ Virginis*. Tertia non mutabitur.

Quod si in aliqua etiam die infra dictum tempus Memoria de Sancto aliquo euenerit. Secunda Oratio erit de ipso Sancto. Tertia non mutabitur, nisi in Feria tertia, in qua secunda erit de B. Dominico. Tertia de Sancto: & nisi Feria quinta, in qua secunda erit de Sacramento. Tertia de Sancto: & nisi in Sabbato, quia tunc secunda Oratio erit de B. Virgine. Tertia de Sancto.

TEMPORE PASCHALI.

AB Octaua Paschæ vsque ad Dominicam ante Ascensionem exclusiue, dicantur Orationes hoc ordine.

Dominica. Secunda Oratio erit de Cruce, *Deus, qui pro nobis*. vel de Dominica si Festum fuerit. Tertia. *A cunctis*.

Feria secunda. Secunda Oratio erit de Cruce. Tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Feria tertia. Secunda Oratio de Cruce. Tertia *Adesto Domine supplicationibus nostris*. In tertia Feria si Festum fuerit. Secunda erit de B. Dominico. Tertia de Cruce.

Feria quarta. Secunda Oratio de Cruce. Tertia de Spiritu sancto.

Feria quinta. Secunda Oratio de Cruce. Tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio*. Si Festum fuerit, secunda de Sacramento, tertia de Cruce.

Feria sexta. Secunda Oratio, *Deus, à quo sancta*. vel de Cruce si Festum fuerit. Tertia *Deus omnium*.

Sabbato. Secunda Oratio de Cruce. Tertia *Ecclesiæ*.

Si Missa de Festo fuerit. Secunda Oratio erit de B. Virgine. Tertia de Cruce.

Quando vero infra dictum tempus occurrerit Memoria de Sancto facienda. Secunda Oratio erit de Sancto. Tertia de Cruce; nisi in sexta Feria, quando Missa de Cruce celebrabitur, quia tunc tertia non mutatur.



M. P.   DO-

DOminica ante Ascensionem, secunda Oratio de Cruce, tertia *A cunctis*.

Feria secunda, secunda Oratio de Cruce, tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Feria tertia, secunda Oratio de B. Dominico, tertia de Cruce.

Feria quarta, secunda Oratio de Cruce, tertia de Spiritu sancto.

Quòd si in Dominica, vel in aliqua dictarum Feriarum Festum euenerit, in Missa de Festo, vna tantum Oratio dicatur. In Missa vero de Dominica, vel de Feria fient Memoriæ, vel vt prædictũ est.

Si vero Memoria tantum occurrerit, secunda erit de ipsa, tertia de Cruce, nisi in tertia Feria, in qua secũda erit de B. Dominico, tertia de Memoria.

TEMPORE ASCENSIONIS.

IN crastino Ascensionis vsque ad Octauam inclusiue, vna sola Oratio dicatur in Missa: quia sunt Octauæ solemnes, nisi sit aliqua Memoria in Kalendario notata, quæ facta fuerit in Laudibus: & nisi in Dominica, in qua secunda erit de Ascensione: & tertia non dicetur, nisi occurrat Memoria.

Feria sexta post Octauam Ascensionis Missa fiat pro Defunctis, nisi Festum impediat.

Si vero de Festo fiat, secunda Oratio erit *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis*. tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

POST TRINITATEM.

IN crastino Trinitatis, secunda Oratio, *Corda famulorum*. tertia *Omnipotens sempiterne Deus*.

Feria tertia, secunda de B. Dominico, tertia *Deus omnium fidelium*.

Feria quarta, secunda *Deus, qui charitatis*. tertia *A cunctis*. Si aliqua dictarum Feriarum Missa de Sancto fuerit celebranda, secunda Oratio erit de Octaua. Tertia non mutabitur, nisi in tertia Feria, in qua tertia erit de B. Dominico, quarta de Memoria, si occurrerit.

Feria sexta, & Sabbato post Festum Corporis Christi, secunda Oratio erit de Trinitate, & tertia non dicatur.

Dominica infra Octauas Corporis Christi, secunda Oratio erit de ipsa Octaua, tertia non dicatur.

Si vero Festa vel S. Ioannis Baptistæ, vel Apostolorum Petri & Pauli infra Oct. Corporis Christi venerint, secunda Oratio erit de Octaua: & quotidie etiam fiat Memoria de Octauis eorũdem Sanctorum, vt in Laudibus.

Feria sexta, post Octa. Corporis Christi, secunda Oratio erit de Cruce, tertia *Deus, à quo sancta desideria*.

Sabbato, secunda erit *Ineffabilem*: tertia *Ecclesia*.

A *Deus omnium*, vsque ad Aduentum exclusiue, sunt Orationes hoc ordine dicendæ.

Dominica, secunda Oratio erit de Trinitate, tertia *A cunctis*.

Feria secunda, si de Tempore, vel de Festo agatur, secunda Oratio erit *Prætende*, tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Feria tertia, si Missa fuerit de B. Dominico, secunda Oratio erit, *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt ad meliorem vitam*. nisi fuerit Memoria, quia tunc secunda Oratio erit de ea, tertia *Deus omnium*.

Feria quarta, secunda Oratio erit, *Deus qui charitatis*. tertia *A cunctis*.

Feria quinta, si Missa fuerit de Sacramento, secunda Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis*, nisi fuerit Memoria, quia tunc secunda Oratio erit de ea, tertia *Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio*.

Feria sexta, secunda Oratio de Cruce, tertia *Deus, à quo sancta*.

Sabbato, secunda Oratio, *Ineffabilem*. tertia *Ecclesia*.

Si à *Deus omnium*, vsque ad Aduentũ in Dominica aliqua Memoria occurrerit facienda, secunda Oratio erit de ea: tertia non mutabitur.

Si vero Missa de Festo fuerit, secunda Oratio erit de Dominica, tertia de Memoria, si cũ Festo occurrerit facienda, alioquin non dicatur tertia.

Quòd si Festum & Octaua simul euenerint, secunda Oratio erit de Octaua, tertia de Dominica.

Quando vero Feria secunda Missa de Sancto fuerit, secunda Oratio, & tertia non mutabũtur: quod si Feria quarta Missa de Sancto fuerit, secunda Oratio erit, *Deus, qui charitatis*. tertia non mutabitur.

Quod si cum Missa de Sancto occurrerit Memoria facienda, secunda Oratio erit de Memoria, tertia in Feria secunda non mutabitur, in Feria autem quarta, tertia Oratio erit de Spiritu sancto.

Si autem in tertia Feria Missa de Sancto, vel de Octaua fuerit, secunda Oratio erit de B. Dominico, tertia non mutabitur, nisi occurrerit Memoria, tunc tertia Oratio erit de ea. Si autem in v. Feria, vel vj. vel Sabbato Missa de Sancto, vel de tempore fuerit. In v. Feria, secunda Oratio erit de Sacramento. In Feria vj. de Cruce. In Sabbato de B. Virgine. Tertia non mutabitur, nisi Memoria fuerit facienda. Sabbato vero infra Octauas, si Missa fuerit de B. Virgine, secunda erit de Octaua, tertia *Ecclesia* vel de Memoria.

Item in Ieiunijs Quatuor Temporum Septembris, si Festum euenerit in Missa de Festo, vna tantum Oratio dicatur. In Missa autem de Ieiunio, secunda, & tertia Oratio, vt in Ferijs supra notatæ sunt. Excepta Octa. Natiuitatis B. Virginis: quæ si in quarta Feria Quatuor Temporum venerit, in Missa de Octaua, vna tantum Oratio dicatur. In Missa vero de Ieiunio, secunda erit de Octaua, tertia de S. Nicomede.

HOc ordine dicantur Orationes in Missis Cõuentualibus pro Defunctis. In die obitus, seu depositionis defuncti. Si Papa fuerit, prima Oratio,

Oratio, *Deus, qui inter summos.* & dicitur etiam in eius Anniuersario.

Si Episcopus, *Deus, qui inter Apostolicos*. Si Sacerdos, eadem Oratio: nisi quod vbi dicitur *Pontificali*, dicatur *Sacerdotali*.

Si vero alius fuerit, vel alia. *Deus, cui proprium est.* secunda, *Deus venia.* tertia, *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.*

In die tertio, septimo, & trigesimo depositionis defuncti, prima Oratio *Quæsumus Domine, vt animæ famuli*. secunda *Deus venia*, tertia, *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

Pro Fratribus, familiaribus, & benefactoribus. Prima, *Deus venia*. secunda, *Deus qui nos patrem*. tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum*.

In omni Anniuersario, prima, *Deus indulgentiarum.* secunda, *Deus venia.* tertia, *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.*

Si simul euenerit obitus, & Anniuersarium, dimittatur *Deus venia*, & tunc prima Oratio dicatur pro præsenti defuncto: secunda pro Anniuersario: tertia non mutetur.

Si vero pro aliquo vno defuncto specialiter celebretur, si fuerit Papa, vel Episcopus, vel Sacerdos. Prima Oratio, vt in die obitus istorum. secunda, *Deus venia largitor.* tertia *Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.* Si vero alius fuerit, prima, si vir *Inclina*. si femina. *Quæsumus Domine*. Duæ aliæ vt in prædictis.

Sciendum autem quòd in Missis pro Defunctis, siue in Conuentu, siue extra, non debent dici aliquæ Orationes, nisi pro Defunctis, vel communes pro viuis, & Defunctis. Similiter in Missis alijs non debent dici Orationes pro Defunctis, nisi præsens Defunctus fuerit.

VERSVS DE MODO TERMINANDI Orationes.

Cum Patrem postulas: Per Dominum dicere debes.
Cum Christo supplicas, dicas: Qui viuis, & regnas.
Si Christum præponas: Per eundem dicere debes.
Sed si postponas: Qui tecum viuit, & regnat.
Si Spiritum nominas: Per vnitatem eiusdem dicas.
Cum nominas Matrem: dicendo Dei genitricē.
In fine concludas: Qui tecum, vel Per eundem.

QVANDO DICENDVM EST CREDO in Missa.

Notandum, quòd Credo in Natiuitate Domini dicitur ad omnes Missas, & quotidie per Octa. & in Festis SS. in Circumcisione, & in Epiph. & in die Oct. Feria v. in Cœna Domini, in die Paschæ, & quotidie per Octa. in Ascensione, & in die Oct. in die Pentecostes, & quotidie per Hebdomadam ipsius. In Festo Corporis Christi, & quotidie per Octa. etiam in Missis SS. in diebus Dominicis ad omnes Missas, nisi fuerint pro Defunctis. In vtroque Festo S. Crucis, in vtroque Festo B. Dominici Patris nostri. In Festo Coronæ Domini, in Transfiguratione Domini, & in Assumptione B. Mariæ Virginis. Item dicatur in omnibus alijs Solemnitatibus B. Mariæ, & Apostolorum, & Euangelistarum, in Festo S. Barnabæ Apostoli, & Octaua Apostolorum Petri & Pauli, & in Festo S. Mariæ Magdalenæ, & in vtroque Festo S. Michaelis, in Festo Omnium SS. In Festis SS. Ordinis nostri, & Patronorum Ecclesiarum nostrarum, & non in Translationibus eorū.

Item in Festis Doctorum Ecclesiæ, vt in vtroq. Festo S. Ambrosij. In Festis S. Chrysostomi, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Basilij, Gregorij Papæ, Augustini, Hieronymi, S. Thomæ de Aquino, S. Bonauenturæ, in Festo Dedicationis Ecclesiæ, & in Anniuersario eiusdem dicendum est Credo. Alijs vero diebus, vel temporibus non dicatur.

DE PRÆFATIONIBVS.

In die Natalis Domini, ad omnes Missas, & quotidie per Octa. etiam in Missis Sanctorum: item in Circumcisione, dicatur Præfatio. *Quia per incarnati.* cum suo *Communicantes.*

In Epiphania, & quotidie per Octauas: in Missa de Octauis, & in Missa de Dominica infra Oct. & in Oct. dicatur Præfatio. *Quia cum Vnigenitus* cum suo *Communicantes*.

Feria quarta in capite ieiunij, & deinceps vsque ad Dominicam de Passione: etiam in Dominicis dicatur Præfatio, *Qui corporali* in Missis de Tempore.

In Dominica de Passione, & deinceps vsque ad Parasceuen in Missis de Tempore, & in vtroq. Festo S. Crucis, dicatur Præfatio. *Qui salutem.*

In Sabbato sancto Paschæ, & in die, & quotidie per Octauas, & in Octaua, dicatur Præfatio. *Te quidem Domine*, cum suo *Communicantes*, & *Hanc igitur*.

In die Ascensionis, & quotidie per Octa. & in Dominica infra Oct. & in Octa. in omnibus Missis etiam in Festis Sanctorum, dicatur Præfatio. *Qui post resurrectionem*, cum suo *Communicantes*, nisi in Festo S. Crucis, quando intra Octauas Ascensionis venerit, quia tunc dicitur Præfatio de Cruce, & *Communicantes* de Ascensione. Si vero fit Missa de B. Virgine, vel pro Defunctis, nec Præfatio, nec *Communicantes* dicantur.

In sexta vero Feria post Octauas, nec Præfatio de Ascensione, nec *Communicantes* dicantur.

In Vigilia Pentecostes, & in die quotidie per Hebdomadam, dicatur Præfatio. *Qui ascendens*, cum suo *Communicantes*; & *Hanc igitur*.

In Festo Trinitatis, & quotidie per Octauas in Missis de Trinitate, dicatur Præfatio. *Qui cum Vnigenito*.

In Festo Corporis Christi, & quotidie per Octauas, & in Octaua, in omnibus Missis etiam in Festis SS. & de B. Virgine, nisi pro Defunctis, dicatur Præfatio. *Quia per incarnati*.

In Festo Transfigurationis Domini dicatur Præfatio *Qui cum Vnigenito.*

In omnibus Festiuitatibus Apostolorum & Euangelistarum (præterquam in die S. Ioannis Euangelistæ, & in Festis Apostolorum cum intra Oct. Ascensionis, vel Corporis Christi inciderint) item in Octaua Apostolorum Petri & Pauli, & in Octaua Sancti Ioannis Euangelistæ, & in Festo S. Barnabæ, dicatur Præfatio. *Te Domine suppliciter.*

A Natiuitate Domini, vsque ad Purificationem, in Missis de B. Virgine, & in Festo Purificationis, dicatur Præfatio. *Quia per incarnati.*

In Sanctificatione, Annunciatione, Visitatione, Assumptione, Natiuitate, Præsentatione, & Solemnitate Rosarij, & quotidie per Octau. in Missis de Oct. *Et te in Sanctificatione*, vel Annunciatione, vel Visitatione, vel Assumptione, vel Natiuitate, vel Præsentatione, vel Solemnitate Rosarij. Infra Octauas Assumptionis in omnibus Missis, etiam Festi Dupl. & supra, præterquam pro Defunctis, dicatur Præfatio. *Et te in Assumptione.* A Festo Purificationis, vsque ad Natiuitatem Domini, & in Vigilia Assumptionis in omnibus Missis B. Virginis, siue in Conuentu siue extra, dicatur Præfatio. *Et te in veneratione.*


Sciendum autem quòd de Trinitate, siue de Spiritu sancto, siue de Cruce, non est propria dicenda Præfatio, tam in Conuentu, quàm extra, nisi in illis diebus, de quibus superius est notatum.

DE DALMATICA QVIBVS DIEBVS ea vtendum est.

DAlmatica vtendum est in Missis Conuentualibus omnibus Dominicis diebus ad omnes Missas, & in Festis Simplicibus, & supra ad omnes Missas, nisi in Quadragesima in Missis de Feria, & in Missis Rogationum, & Quatuor Temporum Aduentus, & Septembris, nisi quando aliquod Festum in ipsis occurrerit. Item in omnibus Sabbatis quando de B. Virgine, & tertijs Ferijs quando de B. Dominico, & quintis quando de Sacramento, & in alijs Ferijs quando de aliquo Sancto Ordinis nostri secundum morem Prouinciarum celebratur in Conuentu, & similiter in omnibus Octauis, de quibus fit Officium, Dalmatica est vtendum, nisi in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis B. Mariæ quando extra Dominicam euenerint. Item in obitu, & obsequijs Fratris defuncti, vel alterius nobilis personæ, vel excellentis conditionis, & in Missis de Anniuersario Ordinis, Dalmatica est vtendum. Alijs autem diebus non.

DE ALLELVIA POST EPISTOLAM.

QVotiescumque dicitur *Alleluia*, cum Versu post Epistolam, in Festis trium Lectionum, & infra Octauas Simplices, & quando fit de Feria infra Tempus Paschale, dicitur tantum semel ante Versum, aliàs dicitur bis semper: post Versum autem repetitur tantum semel, nisi aliter signetur.



DE

DE COLORIBVS IN ECCLESIASTICIS INDVMENTIS.

COLORES

Albo

- Vtimur à Vesperis Vigiliæ Natalis Domini, vsq. ad Oct. Epiph. inclusiue; præterquam in Festis Sanctorum Martyrum, quæ illo tempore interueniunt.
- Feria quinta in Cœna Domini ad Missam, & ad Euang. post Mandatum.
- In Sabbato sancto ad benedictionem Cerei, & ad Officiũ Missæ, & deinceps vsq. ad Octa. Ascens. Dñi inclusiue, quando de Tempore agitur, præterquã in diebus Rogationũ, & Festis Apostolorum, & Martyrũ illo tẽpore occurrentibus.
- In Festo, & per Octauas sanctæ Trinitatis.
- In Festo, & per Octauas Corporis Christi.
- In omnibus Festis, & per Oct. B. Mariæ Virginis, etiam in benedictione candelarũ, & Processione in Purificatione, & in Sabbatis quandocũq. de ea celebratur.
- In Festis, & per Octauam Angelorum.
- In Festo Sancti Ioannis Baptistæ, & per Octauas ipsius.
- In Conuersione Sancti Pauli.
- In Cathedra Sancti Petri, & Sancti Petri ad Vincula.
- In Festo Transfigurationis.
- In Festis Sanctorum Doctorum Ecclesiæ.
- In Festo Sancti Dominici P.N. & omnium Sanctorum Ordinis non Martyrum.
- In omnibus Festis Sanctarum Virginum, & non Virginum, siue sint Martyres, siue non.
- In Festo omnium Sanctorum, & per Octauas.
- In Dedicatione Ecclesiæ, & eius Octaua.
- In principali Festo Sancti Ioannis Euangelistæ.

Rubeo

- Vtimur à Missa Vigiliæ Pentecostes, vsque ad Sabbatum sequens inclusiue.
- In vtroque Festo Sanctæ Crucis.
- In omnibus Festis Apostolorum, & Euangelistarum, præterquam in principali Festo Sancti Ioannis Euangelistæ, Conuersionis Sancti Pauli, Cathedræ Sancti Petri, & ad Vincula eiusdem, in quibus vtimur albo.
- In omnibus Festis Sanctorum Martyrum.
- In Festo Sanctorum Innocentum, quando in Dominica venerit.
- Et in Octauis prædictorum Festorum.
- In Festo Coronæ Domini.

Viridi

- Vtimur ab Octaua Epiphaniæ exclusiue, vsque ad Septuagesimam exclusiue.
- A prima Dominica post Octauas Trinitatis, vsque ad Aduentum exclusiue in Missis, & Officijs de Tempore, exceptis diebus quibus vtimur violaceo.
- In omnibus Festis Sanctorum Confessorum. In quibus etiam vti possumus colore croceo.

Nigro

- Vtimur Feria sexta in Parasceue, & in Missis, & exequijs Defunctorum.

Violaceo


- Vti possumus tempore, quo nigro.
- Item à prima Dominica Aduentus, vsque ad Vigiliam Natiuitatis Domini.
- A Septuagesima vsque ad Vigiliam Paschæ, exceptis Festis intercurrentibus, & Cœna Domini, & Parasceue.
- In Missis Litaniarum, Rogationum, Vigiliarũ (excepta Pentecostes) & Ieiuniorũ.
- In Festo Sanctorum Innocentum, quando non venerit in Dominica.

Nota de Solemnitatibus. In diebus vero Solemnissimis, id est, qui habent Octauas Solemnissimas, vel Solemnes, vti possumus pretiosioribus paramentis, cuiuscumque sint coloris, dummodo non sint nigri.

Nota de Processionibus. In Processionibus quibuscumque vtimur colore ipso, quo etiam vtimur eo die ad Missas, vt supra, nisi in Processione de Sacramento, in qua vtimur albo, sicuti in benedictione Palmarum, & Processione.

EX ORDINATIONIBVS
DIVERSORVM CAPITVLORVM GENERALIVM.

Cæremoniæ omnes Ordinis nostri, tam in Altari, quàm in Choro, & in Diuino Officio conformiter, & vniformiter ab omnibus obseruentur.

1589 LTARIVM mappæ, necnon & strofiola, ac alia ad vsum Altarium, & Sacerdotum deputata sæpe lauentur. Sintq. purificatoria alba, & nitida: omnia denique in Ecclesijs nostris sint munda, eamque redoleant puritatem, & sanctitatem, quæ domum Domini decet.

1591 Altaris consecrati mensa decẽter strata, ornata, & munda sit, tribusq. mappis lineis, & mundis cooperta; quæ etiam habeat coopertorium coriacum, vel ex grossiori, & colorata tela, quod à puluere, & ab alijs immunditijs ipsas mappas præseruet. Neque sub ipsa mensa quidquam omnino reponatur.

Altaria portatilia ex perpolito lapide, integra, aut non pro maiori parte fracta, longitudinis vnius palmi cum dimidio, & latitudinis vnius palmi ad minus omnino erunt, non cõputato ornamento ligneo, crassitudinis vnciarum circiter duarum, quo circumquaque, & subtus ligari firmiter debebunt: quæ quidem mensæ altaris apte inserantur, atque ita, vt inter vtrumq. mensæ cornu, in medio collocatæ, ab ipsius fronte non longius distent spatio dimidij palmi. Sic vero illa inserta sint, vt è mensæ superficie vix paululum aliquid extet, quo Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit.

Corporalia è tela linea, pura, & candida sint, ac simplicia item, nihilq. elaborata, & nihil sericum intextum habeant: ab oris autem, acus opere simplici punctim solum retorta sint. Eadem non notabiliter parua, aut magna erunt, sed cõuenientis mensuræ, ita vt latitudo sit duorum palmorum, longitudo vero duorum cum dimidio ad minus. Numquam tamen tam magna, vt quatuor plicas in longũ, & tres in latum excedant. In bursis (quod dicitur) illæ super Calicem ad Altare deferantur, quæ Crucem, vel aliam sacram imaginem exvna parte intextam habebunt, ex altera vero (quæ ex eadem materia, & colore erunt) verba Consecrationis in chartula impressa esse debebunt. Intrinsecus demum subserico, aut tela tenui candida circumuestita.

Ampullæ non ex argento, stanno, aurichalco, alioue metalli genere, sed è crystallo, aut vitro pellucido, non pictæ, & denique ab omni parte sordibus puræ, & suo quæque operculo stanneo, argenteoue apte contectæ sint.

In sacro celebrando (etiam non solem- 1589
ni, vel maiori) accendatur Cereus in consecratione, & eleuatione Sanctissimi Sacramenti: & sit accensus vsque ad concionem peractam. Etiã aliquot ictibus campanulæ tunc admoneatur populus.

Item in Missa tam priuata, quàm cõ- 1551
muni, nihil quod notatum non est in nostro Ordinario interponatur, sicut versus quidã inter *Kyrie eleison, Cunctipotens Genitor*, &c. Cũ sequentibus. Et in *Gloria in excelsis*, in Missis de Beata Virgine post versum *Tu solus sanctus Mariã sanctificãs. Tu solus Dominus Mariam gubernans*, &c. quæ in alijs Capitulis proposita, nequaquam approbata fuerunt. Sed neq. post Communionem interponat Sacerdos (sicut quidam faciunt) *Nunc dimittis*, vel *O Sacrum conuiuium*, vel alia huiusmodi; sed simpliciter, *Quod ore sumpsimus*, &c. expediat, & ad Missam perficiendam, plicationem Corporalis reseruans post benedictionem, quando Euangelium *In principio erat*, &c. dicitur; post quod etiam alia non addantur.

ORA-

ORATIO
ANTE CONFESSIONEM SACRAMENTALEM.



SVSCIPE confessionem meam pientissime, ac clementissime Domine Iesu Christe, vnica spes salutis meæ: & da mihi obsecro contritionẽ cordis, & lacrymas oculis meis, vt defleam diebus, ac noctibus omnes negligentias meas, cum humilitate, & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in cõspectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me: quem adiutorem quæram? Quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento Domine, quòd Cananæam, & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lacrymantẽ suscepisti. Domine Deus meus suscipe preces meas Saluator mundi Iesu bone, qui te crucis morti dedisti, vt peccatores saluares. Respice me miserum inuocantem nomen tuum: & noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. Et si commisi vnde me damnare potes: tu non amisisti vnde saluare soles. Parce ergo mihi qui es Saluator meus, & miserere peccatrici animæ meę. Solue vincula eius, sana vulnera. Domine Iesu, te desidero, te quæro, te volo: ostende mihi faciem tuam, & saluus ero. Mitte igitur pijssime Domine meritis purissimæ, & immaculatæ semper Virginis Mariæ lucem tuam, & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atque iuuet, & doceat ipsos plene, & cum debita contritione explicare. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Peracta pœnitentia per Confessarium imposita, dicat sequentem Orationem.

SIt tibi Domine obsecro meritis sanctissimæ Matris tuæ semper Virginis Mariæ grata, & accepta ista confessio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, & integritate confessionis, suppleat pietas, & misericordia tua, quæ dignetur me habere plenius, & perfectius absolutum in cælo. Qui viuis.

Oratio Sancti Thomæ de Aquino, ad Deum Patrem, dum Sacerdos est accessurus ad Altare.

OMnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum vnigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi. Accedo tamquã infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli, & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, vt panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reuerentia, & humilitate, tanta contritione, & deuotione, tanta puritate, & fide, tali proposito, & intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso Dominici corporis & sanguinis nõ solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem, & virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, quod traxit de Vir-

gine Maria sic suscipere, vt corpori suo mystico merear incorporari, & inter eius membra communerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, reuelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum &c.

Ad Sanctum, vel Sanctam, cuius ea die Festum celebratur. Oratio.

O Sancte N, vel Sancta N, ecce ego miser peccator de tuis meritis confisus offero nunc sacratissimum Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi pro tuo honore, & gloria: precor te humiliter, & deuote, vt pro me hodie intercedere digneris, vt tantum sacrificium digne, & acceptabiliter offerre valeam, & eum tecum, & cum omnibus electis eius æternaliter laudare, & cum eo regnare valeam. Amen.

Sacerdos in Missa Conuentuali, dum, Kyrie eleison, vel Gloria in excelsis Deo, cantatur in Choro, potest, si vult, dicere sequentem Orationem.

Oratio Sancti Ambrosij Archiepiscopi.

SVmme Sacerdos, & vere Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiã puram, & immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, quique dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum. Et posuisti mysterium illud in virtute Spiritus sancti, dicens: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo te per sanguinem tuum pretiosum, magnũ salutis nostræ pretium. Rogo per hanc mirabilem, & ineffabilem charitatem tuam, qua nos miseros, & indignos sic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me indignum seruum tuum, quem inter cetera dona tua ad officium Sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ. Doce me quæso per Spiritum sanctum tuum tantum tractare mysterium, ea reuerentia, & timore, quibus oportet, & decet, Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere, & intelligere: dicere, & cogitare, sentire, & firmiter retinere, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum loquatur veritatem tantorum mysteriorum: profunda sunt quippe nimis, & sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam Deus, concede mihi Missarum solemnia puro corde, & munda mente celebrare. Libera cor meum ab immundis, nefandis, & noxijs cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia, & fida tutela, atque fortissima custodia, vt hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterij: & per manũ sancti Angeli tui repelle à me, & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbiæ, & cænodoxiæ, inuidiæ, & blasphemiæ, fornicationis, & immunditiæ, & dubietatis, & diffidentiæ. Confundantur qui me persequuntur: pereant illi qui perdere cuncta festinant. Rex virtutum, amator castitatis, & integritatis Deus, cælesti rore benedictionis tuæ extingue in me, & in corpore meo totum fomitem ardentis libidinis, vt maneat in me tenor totius castitatis animæ, & corporis. Mortifica in membris meis carnis stimulos: omnesque libidinosas commotiones, & da mihi veram, & perpetuam castitatẽ cum ceteris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt sacrificium laudis casto corpore, & mundo corde quotidie valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate & animæ puritate, hoc diuinum, & cæleste sacrificium est celebrandum Domine? vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima coniungũtur, vbi adest sanctorum præsentia Angelorum, vbi tu es Sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter. Quis digne hoc celebrare mysterium potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio & vere scio, quòd non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio & veraciter credo, & ex toto corde meo & ore confiteor, quia tu potes me facere di-

re di-

re dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus iustos facis, & sanctos. Per hanc omnipotentiã tuam te rogo, concede mihi peccatori hoc cęleste sacrificium celebrare, cũ timore, & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarũ fonte, cum lætitia spirituali, & cælesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinẽ beatissimæ præsentiæ tuæ, & excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo. Ego enim Domine memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum licet peccator, vt offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Peto clementiam tuam, vt descendat super hunc panem, & calicem plenitudo tuæ diuinitatis. Descendat etiam Domine illa Spiritus sancti tui inuisibilis, incomprehensibilisque maiestas, sicut quondam in patrum hostias descẽdebat: quæ & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat: & me indignum Sacerdotem tuum doceat, tantum tractare mysterium, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum reuerentia, & tremore: ita vt placide, & benigne suscipias sacrificiũ de manibus meis, ad salutem omnium tam viuorum, quàm defunctorum. Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum, & viuificum mysterium corporis, & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur, & potamur, atque vnius diuinitatis participes efficimur: da mihi virtutes sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita vt hæc cælestia Sacramenta efficiantur mihi salus, & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto, & benedicto: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et qui manducat me, vita viuet propter me, ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis dulcissime sana palatum cordis mei, vt sentiam suauitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, vt nullam præter te sentiat dulcedinem: nullum præter te quærat amorem: nullam præter te amet pulchritudinem. Panis candidissime, habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem: qui nos de te semper reficis, comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus pleno ore in patria: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via tali recreatus viatico. Panis sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis, & spiritus. Intra in animam meam: sana & sanctifica me interius, & exterius. Esto tutamen, & perpetua salus corporis, & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi hostes. Recedant procul à potentia præsentiæ tuæ, vt foris & intus munitus, per te recto tramite ad regnum tuum perueniam, vbi non in mysterijs sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo Patri, & Deus eris omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica: ita vt neque esuriam, neque sitiam in æternum. Amen.

Alia Oratio.

ANima Christi sanctissima, sanctifica me. Corpus Christi sacratissimum salua me. Sanguis Christe pretiosissime inebria me. Aqua lateris Christi purissima munda me. Sudor vultus Christi virtuosissime sana me. Passio Christi pijssima conforta me. O bone Iesu custodi me, intra vulnera tua absconde me. Non permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis voca me. Iube me venire ad te, & pone me iuxta te: vt cum Angelis, & Archãgelis tuis laudem te per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Post Missam potest dicere Sacerdos sequentes orationes. Oratio Sancti Thomæ ad Deum Patrem.

GRatias tibi ago Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore, & sanguine Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Et precor vt hæc sancta communio

non

non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum euacuatio, concupiscentiæ, & libidinis exterminatio, charitatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ augmẽtatio: contra insidias inimicorum omnium tam visibilium, quàm inuisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quàm spiritualium perfecta quietatio, in te vno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum Filio tuo, & Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, & iucunditas consummata, & felicitas perfecta. Per eundem Dominum.

Oratio ad beatissimam Virginem Mariam.

O Serenissima, & inclyta Mater Domini nostri Iesu Christi Virgo Maria, Regina mundi, quæ eundem Creatorem omnium creaturarum in tuo sanctissimo vtero fuisti digna portare; cuius idem sacratissimum corpus, & sanguinem sumpsi, ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, vt quidquid in hoc ineffabili Sacramento ignoranter, negligenter, irreuerenter, accidentaliter omisi; tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur. Qui viuit & regnat &c.

Oratio sancti Thomæ de Aquino.

ADoro te deuote latens Deitas, quæ sub his figuris vere latitas. Tibi se cor meum totum subijcit, quia te contemplans totum deficit. Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed auditu solo tute creditur. Credo quidquid dixit Dei Filius, nihil veritatis hoc verbo verius. In cruce latebat sola deitas, sed hic latet simul & humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, peto quod petiuit latro pœnitens. Plagas sicut Thomas non intueor: Deũ tamen meum te confiteor. Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere. O memoriale mortis Domini panis verus, vitam præstans homini! Præsta meæ menti de te viuere, & te illi semper dulce sapere. Pie Pellicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine. Cuius vna stilla saluum facere totum mundum quit ob omni scelere. Iesu, quem velatum nunc aspicio, quando fiet illud quod tam sitio, vt te reuelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ? Amen.

Oratio deuotissima dicenda à Sacerdote ante, vel post celebrationem Missæ.

PAter cælestis, clementissime Domine, Pater misericordiarum; suscipe hodie per manus serui tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus, & sanguinem vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi in satisfactionẽ, & remissionem omnium peccatorum meorum, in salutem, & fortitudinem animæ meæ, & totius domus meæ, & omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor, & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religiosorum Catholicæ fidei: vt eis gratiam Spiritus sancti impartiri digneris ad salutẽ animarum suarum, & regimen totius populi Christiani, & omnium peccatorum huius mundi; vt eos conuertas, & ducas ad viam salutis: in consolationem omnium tribulatorum; vt eis adiutorium, & veram patientiam tribuas: in refrigerium, & liberationem omnium animarum existentium in Purgatorio, & maxime illarum, quæ auxilium à me iure expectant: & ad illuminationem, & conuersionem omnium gentiũ infidelium, & hæreticorum, & schismaticorum, vt cognoscant, & ament te summam veritatem, Patrem omnipotentem. Qui cum Filio, & Spiritu sancto es laudabilis Deus, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio ad Deum Filium.

TRansfige dulcissime Iesu medullas animæ meæ suauissimo vulnere amoris tui, vulnera viscera animæ meæ vera, fraterna, & Apostolica charitate, vt vere ardeat, langueat, & liquefiat anima mea solo semper

per

per amore, & desiderio tui, cupiat dissolui, & esse tecum. Da vt anima mea te solum semper esuriat panem Angelorum, panem vitæ cælestis, qui de cælo descẽdisti, & das vitam mundo, panem nostrum quotidianũ, supersubstantialem, habentem omne delectamentum, & omnem suauitatis saporem. Te in quem desiderant Angeli prospicere, te semper sitiat cor meum fontem vitæ, fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, vbertatem domus Dei: te cupiat, te cogitet, te somniet, te suspiret, te ambiat, te quærat, ad te perueniat, te meditetur, te loquatur. Omnia operetur in laudem, & honorem nominis tui cum humilitate, & discretione, cũ dilectione, profectu, & perseuerantia vsque in finẽ. Et tu sis mihi semper tota spes mea, salus mea, fiducia mea, diuitiæ meæ, dignitas mea, deliciæ meæ, dilectio mea, oculus meus, amor meus, honor meus, thesaurus meus, in quo solo fixa, & firma, & radicata sit semper mẽs mea, & cor meũ. Amen.

Sanctus Augustinus de dignitate Sacerdotum sic ait.

O Veneranda Sacerdotum dignitas! In quorum manibus Dei Filius, velut in vtero Virginis incarnatur. O felices Sacerdotes (si sacerdotaliter vixeritis!) O cæleste mysterium, quod per vos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tam mirabiliter operatur, sub tam ineffabili mysterio vestro, quod vno eodemq. momento, idem Deus qui præsidet in cælo, in manibus vestris est in sacrificio. Cælum miratur, horrescit infernus, contremiscit diabolus, reueretur quàm plurimũ Angelica celsitudo. Quid retribuam Domino (vt taceã de ceteris) pro his quæ retribuit mihi: pro tam singulari dono sacrificij mihi impenso, quod est datum optimũ, & omne donum perfectum? O venerabilium sanctitudo manuum! O felix exercitium: vbi tractat Sacerdos Christum Dei Filium, cuius deliciæ sunt, esse cum filijs hominum! O Sacerdotes, attendite, maior est dignitas vobis collata, quàm Angelis, qui adorãt quod vos conficitis: quod nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiæ Dei! O ineffabilis clemẽtia Saluatoris, quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc Sacramentum ineffabile conficit, Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit. O quàm venerabile, quàm gloriosum, quàm insigne fuit apud antiquos nomen Sacerdotij! sed hodie quid abiectius, aut quid vilius? O Sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes Dei est: multo magis sedes & templum Dei esse debetis mundum, & immaculatum. Si beatus est venter, qui nouem mensibus Christum portauit, ita etsi non tantum, tamen beata debent esse corda vestra, in quibus quotidie elegit sibi hospitium Filius Dei. Si beata sunt vbera, quæ Paruulus suxit, ita debet & os esse beatum, quod carnem eius sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras, cum timore eius confringite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo Filium Dei, contra Dominum loquatur. Et ne manus quæ intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccati.

Quàm grauiter peccat Sacerdos suscipiens corpus Christi in peccato.

Sanctus Ambrosius ait: Qui indigne Christum sumit, idem est ac si eũ interficiat. Et Sanctus Augustinus: Magis peccant qui Christum tradunt peccatricibus membris: quàm qui tradiderunt eum Iudæis crucifigendum. Sicut enim Iudas tradidit Christũ indigne persecutoribus, sic sumens corpus Christi indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini, vt inquit Apostolus. Et talis tradit Christum quantum in se est dæmonibus, dũ ponit eum in loco, qui est in potestate dæmonum. Malus enim Sacerdos similis est ipsi Datan, & Abiron, atque Antiocho, quos diuina vltio præcipitauit in infernum. Similiter Nadab, & Abiu in thuribulo ignem posuerunt alienum: & ab igne consumpti sunt. Sic mali Sacerdotes ignem luxuriæ, & cupiditatis in sui cordis thuribulo ponentes, ab igne infernali finaliter succendentur. Mali Sacerdotes etiam sunt Antiocho similes, qui templum Domini violauit, & vasa templi in vsus prophanos conuertit, tandem vermibus consumptus, pessima morte inte-

interijt. Sic mali Sacerdotes templum Domini, idest, conſcientias proprias (Ad Cor. 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos) violant, malum exemplum dando laicis. Incendunt per luxuriam, ſpoliant per virtutum expulſionem, & vaſa templi, ideſt, intellectum, memoriã, & voluntatem conuertunt in prophanos vſus, dum his abutuntur, & in peccatorum abyſſum ſeipſos præcipitant. Quid Antiocho acciderit, ſæpe conſiderare debent.

Salutiferum documentum, ad conſcientiæ expiationem: ad iucunde viuendũ in Dei obſequio, & digne celebrandum: ac tandem bene moriendum.

SI deſideras perfecte mundari à vitijs, ſi nobiliter ditari in virtutibus, ſi altiſſime illuſtrari in Scripturis, ſi glorioſe triũphare de inimicis, ſi copioſe conſolari in aduerſis, ſi deuote conuerſari in terris, ſi frequenter compungi in cubilibus, ſi dulciter flere in orationibus, ſi feruenter accendi in meditationibus, ſi perſeuerare in bonis actibus, ſi repleri ſpiritualibus gaudijs, ſi rapi in exceſſu mentis, ſi diuinis frui ſecretis, ſi feliciter mori in extremis, ſi perenniter regnare in cælis; exerce te in vita, & paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti Filij Dei, quem Pater miſit in mundum, vt omnibus præberet perfectionis exẽplum, & ſequaces ſuos ad æternum perduceret regnum. Ama igitur Chriſtũ, ſequere Ieſum, amplectere Crucifixum, memor ſis quamdiu fueris, laborum, & dolorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarũ in compatiendo. Recordare etiam dolorum eius, conuitiorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clauorum, horumque ſimilium, &c.



IN-

INDEX
MISSARVM
VOTIVARVM,

Quæ habentur ad finem Missalis.





AD ASPERSIONEM AQVAE BENEDICTAE IN DIEBVS DOMINICIS.

Ante Missam extra Tempus Paschale, Antiphona.

Psal. 50.



SPERGES me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. ℣. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sęculorũ. Amen. & repetitur. Asperges. vsque ad Miserere exclusiue.

Dominica in Passione, & in Ramis loco Gloria Patri. dicitur ℣. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Asperges. Tẽpore Paschali, Aña. Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluia. Et omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt, & dicent Alleluia, Alleluia. In die Paschæ ℣. Hæc dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Gloria Patri &c. Et omnes. In alijs Dominicis vsque ad Pentecosten exclusiue. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Et omnes ad quos. In die Pentecostes. ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Gloria Patri. Et omnes. Postea dicat Sacerdos. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Tempore Paschali. Alleluia. ℟. Et salutare tuum da nobis. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotẽs, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Benedictionem aquæ reperies ad finem Missalis. Pagina 75.

MIS-





MISSALE IVXTA RITVM

Sacri Ordinis Prædicatorum.

DOMINICA I. IN ADVENTV Domini. Officium.

Psal. 24. D te leuaui animam meã: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideãt me inimici mei: etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur. ℣. Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. & reincipiatur. Ad te leuaui. vsque ad ℣. exclusiue. Non dicatur Gloria in excelsis. per Aduentum, nisi in Festis Sanctorum. Oratio.

EXcita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & veni: vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante saluari. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Secunda Oratio de B. Virgine.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero, Verbum tuum Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis: vt qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Tertia Oratio.

DEus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorũ cordibus fidelium infudisti, da famulis & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis, & corporis: vt te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Dñm. Et sic in Dominicis Aduentus dicantur, nisi alia Memoria occurrat.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

FRatres: Scientes, quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum Iesum Christum. ℟. Vniuersi qui te expectant, non confundentur Domine. ℣. Vias tuas Domine notas fac mihi: & semitas tuas edoce me. Alleluia. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare

Rom. 13.

Psal. 24.

Psal. 84.

tuum da nobis.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 21. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in sole, & luna, & stellis: & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur: & tūc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniā prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum, & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. Credo. Offert.

Psal. 24. Ad te leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi, qui te expectant, non confundentur. Secreta.

HAec sacra nos Domine potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum. Secunda Secreta.

IN mentibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei sacramenta confirma: vt qui conceptum de Virgine Deum verum & hominem confitemur, per eiusdem salutiferæ resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur peruenire lætitiam.

Tertia Secreta.

MIserere, quæsumus Domine, famulis & famulabus tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus maiestati: vt per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per Dominum.

Communio. Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. Psal. 84. Postcommunio.

SVscipiamus Domine misericordiam tuam in medio templi tui: vt reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus. Per Dominum.

Secunda Postcommunio.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; vt qui Angelo nunciante, Christi Filij tui incarnationem cognouimus: per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur.

Tertia Postcommunio.

DIuina libantes mysteria, quæsumus Domine, vt hæc salutaria sacramēta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum, quarumq. dilectione, hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

Benedicamus Domino. Et dicatur quoties non præcessit: Gloria in excelsis.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Officium.

POpulus Sion, ecce Dominus veniet ad saluandas gentes: & auditam faciet Dominus gloriā vocis suæ in lætitia cordis vestri. ℣. Qui regis Israel, intende: Isaia 30. Psal. 79.

qui

qui deducis velut ouē Ioseph. Gloria Patri. Oratio.

EXcita Domine corda nostra ad præparandas Vnigeniti tui vias: vt per eius aduentum, purificatis tibi mentibus seruire mereamur. Qui tecum viuit & regnat. Aliæ Orationes vt in j. Dominica.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 15. FRatres; Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ, & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrũ secundum Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrũ. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum: & magnificate eũ omnes populi. Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abũdetis in spe, & virtute Spiritus sancti.

Psal. 49. ℞. Ex Sion species decoris eius: Deus manifeste veniet. ℣. Congregate illi Sanctos eius: qui ordinauerunt testamentum eius super sacrificia.

Alleluia. ℣. Lætatus sum in his Psal. 121. quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Cum audisset Cap. 11. Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes, renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Credo. Offert. Deus Psal. 84. tu conuertēs viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te: ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Secreta.

PLacare, quæsumus Domine, humilitatis nostræ precibus, & hostijs: & vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidijs. Per Dominum. Communio. Ierusalem surge, & sta in excelso: & Bar. 4. vide iucunditatem, quæ veniet tibi à Deo tuo.

Postcommunio.

REpleti cibo spiritualis alimoniæ, supplices te Domine deprecamur: vt huius participatione mysterij doceas nos terrena despicere, & amare cælestia. Per Dominum.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Officium.

Phil. 4 
Audete in Domino semper: iterum dico, Gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum. ℣. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Gloria Patri. Oratio.

AVrem tuam, quæsumus Domine, precibus nostris accommoda: & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui viuis.

Aliæ Orationes vt in j. Dominica.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Cap. 4. FRatres: Gaudete in Domino semper: iterum dico, Gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescãt apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu Domino nostro. ℟. Qui sedes Domine super Cherubim, excita potentiam tuam, & veni. ℣. Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph. Alleluia. ℣. Excita Domine potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos. (Psal. 79.)

Sequentia Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore: Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit: & confessus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus ijs, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiã calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. (Cap. 1.)

Credo. Offert. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob: remisisti iniquitatem plebis tuæ. (Psal. 84.) Secreta.

DEuotionis nostræ tibi, quæsumus Domine, hostia iugiter immoletur: quæ & sacri peragat instituta mysterij, & salutare tuum in nobis mirabiliter operetur. Per Dominum nostrum.

Communio. Dicite, Pusillanimes confortamini, & nolite timere: ecce Deus noster veniet, & saluabit nos. (Isaia 35.)

Post-

Postcommunio.

IMploramus, Domine, clementiã tuam: vt hæc diuina subsidia, à vitijs expiatos ad festa ventura nos præparent. Per Dominum.

FERIA IIII. QVATVOR Temporum Aduentus. Officium.

Isaia 45.

Orate cæli desuper,& nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem. ℣. Et iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum. Gloria Patri. Oremus. sine Dominus vobiscum. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt redemptionis nostræ ventura solemnitas & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isa. 2. IN diebus illis: Dixit Isaias Propheta: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium,& eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite,ascendamus ad montem Domini,& ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalẽ. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium,nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini Dei

Ps. 23. nostri. ℟. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. ℣. Quis ascendet in montẽ Domini: aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus,& mundo corde. Dominus vobiscum. Oratio.

FEstina, quæsumus Domine, ne tardaueris,& auxilium nobis supernæ virtutis impende: vt aduentus tui consolationibus subleuentur, qui in tua pietate confidunt. Qui viuis & regnas. Secunda Oratio. Deus, qui de beatæ. Tertia. Prætende.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet,& pariet filium,& vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in veritate. ℣. Laudem Domini loquatur os meum: & benedicat omnis caro nomen sanctum eius. Is. 7. Psal. 144.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid; & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta Luc. 1.

tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respõdens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoq. & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbũ. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum

Luc. 1 tuum. Offert. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui.

Secreta.

ACcepta tibi sint, quæsumus Domine, nostra ieiunia: quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad promissa sempiterna perducant. Per Dominum.

Isa. 7 Communio. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.

Postcommunio.

SAlutaris tui Domine munere satiati, supplices deprecamur: vt cuius lætamur gustu, renouemur effectu. Per Dominum.

FERIA VI. QVATVOR TEMP.

Officium.



PRope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas: initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum tu es. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Psal. 118.

Oratio.

EXcita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & veni: vt hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius aduersitate liberentur. Qui viuis & regnas. Secũda Oratio. Deus, qui de beatæ Mariæ. Tertia. Adesto supplicationibus nostris.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus Deus: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eũ spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorũ interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. ℟. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Isa. 11 Psal. 84

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Exurgens Maria abijt Luc. 1.

abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elizabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominũ: & exultauit spiritus meus in Deo sa-
Ps. 84. lutari meo. Offert. Deus tu conuertens viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuũ da nobis. Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus Domine, precibusq. susceptis, & cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dñm.

Zac. 14. Communio. Ecce Dominus veniet, & omnes Sancti eius cum eo: & erit in die illa lux magna. Postcõio.

TVi nos Domine sacramenti libatio sancta restauret: & à vetustate purgatos, in mysterij salutaris faciat transire consortium. Per.

SABBATO QVATVOR TEMP.

Officium.

Ps. 79. 

Eni, & ostende nobis faciem tuam Domine, qui sedes super Cherubim, & salui erimus. ℣. Qui regis Israel, intẽde: qui deducis velut ouem Ioseph. Gloria. M. P.

Quinque sequentes Orationes dicantur sine Dominus vobiscum. Non dicatur. Flectamus genua. sed.

Oremus. Oratio.

DEus, qui conspicis, quia ex nostra prauitate affligimur: concede propitius, vt ex tua visitatione consolemur. Qui viuis & regnas.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Clamabunt ad Cap. 19.
Dominum à facie tribulantis: & mittet eis saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto: & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eũ in hostijs & muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent. Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, & sanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis; & sanabit eos, Dominus Deus noster. ℟. A summo cælo egressio Ps. 18.
eius: & occursus eius vsque ad summum eius. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Oremus. Oratio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt qui sub peccati iugo, ex vetusta seruitute deprimimur, expectata vnigeniti Filij tui noua Natiuitate liberemur. Qui tecum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus: Lætabitur Isa. 35
deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, & Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.

Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere. Ecce Deus noster vltionẽ adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum: & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus: & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum, Ait Dominus omnipotens. ℟. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tãquam sponsus procedens de thalamo suo. ℣. A summo cælo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius.

Ps. 18

Oremus. Oratio.

INdignos nos, quæsumus Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat, vnigeniti Filij tui aduentu lætifica. Qui tecum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 40.

HAec dicit Dominus: Super mõtem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram ipso. Sicut pastor gregẽ suum pascet: & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit eos, Dominus Deus noster. ℟. Domine Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus. ℣. Excita Domine potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos.

Ps. 79

Oremus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt Filij tui ventura solemnitas & præsentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eundem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 45.

HAec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius Gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas: & portæ non claudentur. Ego ante te ibo: & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel: propter Iacob seruum meum, & Israel electum meum. Et vocaui te nomine tuo: assimilaui te, & non cognouisti me. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus. Accinxi te, & non cognouisti me: vt sciãt hi, qui ab Ortu solis, & qui ab Occidente, quoniã absque me non est Deus. Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem: & iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum. ℟. Excita Domine potentiã tuam, & veni: vt saluos facias nos. ℣. Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph: qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.

Ps. 79

Oremus. Oratio.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Qui

Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 3. IN diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem: & excussit flammã ignis de fornace: & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffusa est super fornacem cubitis quadraginta nouem: & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros regis, qui eam incendebant. Illos autem omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes:

Hymnus.

Dan. 3. BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudabile, & gloriosum in sæcula. ℣. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super sceptrum diuinitatis tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es, qui sedes super Cherubim, intuens abyssos. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedicant te omnes Angeli, & Sancti tui. Laudabilem, & gloriosum in sæcula.

℣. Benedicant te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Laudabilem, & gloriosum in sæcula. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Laudabili, & glorioso in sæcula. ℣. Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen. Et laus, & honor, & potestas, & imperiũ. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. Postea. Dominus vobiscum. Oratio.

DEus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum.

Secunda Oratio de S. Maria.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero, Verbum tuũ, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis: vt qui veream genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur.

Tertia Oratio.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

FRatres: Rogamus vos per aduentum Domini nostri Iesu Christi, 2 Thess. 2. & nostræ congregationis in ipsum: vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.

Non

Non retinetis, quòd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysteriũ iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Tractus. Qui
Ps. 79. regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph. ℣. Qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. ℣. Excita Domine potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos. Euangeliũ. Anno quintodecimo. vt in sequenti Missa.
Zac. 9. Offertor. Exulta satis filia Sion, prædica filia Ierusalem: ecce Rex tuus venit tibi sanctus, & saluator.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum.

De Sancta Maria.

IN mentibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei sacramenta confirma: vt qui conceptum de Virgine Deum verum, & hominem confitemur, per eiusdem salutiferæ resurrectionis potentiam ad æternam mereamur peruenire lætitiam.

Tertia Secreta.

PRotege nos Domine tuis mysterijs seruientes: vt diuinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur, & mente. Per Dominum.

Ps. 18. Communio. Exultauit vt gigas ad currendã viam: à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.

Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster: vt sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurũ. Per Dominum. De Sancta Maria.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: vt qui, Angelo nunciante, Christi Filij tui incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur.

Tertia Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster: vt quos diuina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subiacere periculis. Per.

DOMINICA IIII. Aduentus. Officium.



MEmento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate electorũ tuorum, in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hereditate tua. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Psal. 105.

Oratio.

EXcita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute succurre: vt per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui viuis.

Aliæ Orationes, vt in j. Dominica.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iã quæritur 1. Cor. 4.

ritur inter dispēsatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. ℟. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eū, omnibus qui inuocant eum in veritate. ℣. Laudem Domini loquatur os meum: & benedicat omnis caro nomen sanctum eius. Alleluia. ℣. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ Israel. Psal. 144.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 3. ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraæ & Thraconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicās baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa: & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Credo. Offert. Confortamini, & iam nolite timere: ecce enim Deus noster retribuet iudiciū: ipse veniet, & saluos nos faciet. Isa. 35

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum. Cōio. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Isa. 7

Postcommunio.

SVmptis muneribus, quæsumus Domine, vt cum frequentatione mysterij crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum.

IN VIGILIA NATIVITATIS Domini. Officium.



HOdie scietis, quia veniet Dominus, & saluabit nos: & mane videbitis gloriam eius. ℣. Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Gloria. Oratio. Exod. 16. Psal. 23.

DEus, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas: præsta, vt Vnigenitum tuum, quem redemptorem læti suscipimus, venientē quoque iudicem securi videamus, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Hæc Oratio sola dicatur.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isa. 62. HAec dicit Dominus Deus: Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum: & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ

gloriæ in manu Domini, & diademà regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata: quia complacuit Domino in te.

Deinde sine interuallo dicatur.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 1. PAulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, (quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis) de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnẽ: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Per quem accepimus gratiã, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gẽtibus pro nomine eius: in quibus estis & vos vocati Iesu Christi Domini nostri. ℟. Hodie scietis,
Exod 16. quia veniet Dominus, & saluabit nos: & mane videbitis gloriam eius. ℣. Qui regis Israel, intende: qui deducis
Psal. 79. velut ouem Ioseph: qui sedes super Cherubim, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Si Dominica fuerit. Alleluia. ℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ: & regnabit super nos Saluator mundi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 1. CVm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autẽ vir eius cũ esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cõiugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Offertor. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. Psal. 23.

Secreta.

DA nobis, quæsumus omnipotens Deus, vt sicut adoranda Filij tui natalitia præuenimus: sic eius munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum. Communio. ℟euelabitur gloria Domini: & videbit omnis caro salutare Dei nostri. Isaia 40.

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus Domine, vnigeniti Filij tui recẽsita Natiuitate respirare: cuius cælesti mysterio pascimur, & potamur. Per eundẽ.

IN NOCTE NATIVITATIS. Domini. Officium.

DOminus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. ℣. Quare fremuerũt gẽtes: & populi meditati sunt inania? Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. Psal. 2.

Oratio.

DEus, qui hanc sacratissimã noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da quæsumus, vt cuius lucis mysteria in terra cognouimus: eius quoque gaudijs in cælo perfruamur. Qui tecum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus: Populus qui ambulabat in tenebris, vi- Isaia 9.

dit

dit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsque in sempiternū. Deinde sine interuallo dicatur.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Titum.

Tit. 2. CHarissime: Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegātes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spē, & aduentū gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate: & emundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Tecum princi-
Psal. 109. pium in die virtutis tuæ: in splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellū pedum tuorum. Alleluia. ℣. Domi-
Psal. 2. nus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 2. IN illo tempore: Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erāt in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudiū magnū, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signū: Inuenietis infantē pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonævolūtatis. Credo. Offertorium. Lætentur cæli, & Psal. 95.
exultet terra ante faciem Domini: quoniam venit. Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine quæsumus, hodiernæ festiuitatis oblatio: vt tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia in illius inueniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecū. Præfatio.

Quia

Quia per incarnati. & Communicantes, & noctem. Sacerdos tres Missas celebraturus in hac die, postquam Christi Corpus, & Sanguinē sumpserit in prima & secunda Missa, digitos abstergendo ablutionem infundat: caueat nihilominus ne illā sumat, sed ponet in aliquo vase in altari existente, ibi à Sacrista præparato. Purificatorio calicē non detergat, sed more solito vino, & aqua calicē pro sequēti Missa præparet. Quo facto, Cōmunio dicetur, & alia quæ sequuntur. In vltima Missa loco ablutionis solitæ, accipientur illæ, quæ in vase asseruatæ existunt, vt dictum est. Cōmunio. In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.


Psal. 109

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster: vt qui Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi mysterijs nos frequētare gaudemus, dignis cōuersationibus ad eius mereamur peruenire consortiū. Qui tecū. In fine primæ & secundæ Missæ, dicto. Ite Missa est, & responso Deo gratias, & data Benedictione, ac dicto Euangelio. In principio Sacerdos vertat se ad altare, & aliis omnibus quæ dici solent prætermissis, stās signet se signo Crucis, ac more solito incipiat aliam. In tertia vero idē modus seruetur pro illius fine, qui in alijs consuetus est, excepto quòd loco Euangelij In principio erat Verbum. dicetur Euang. Cum natus esset Iesus. pagina. 21. Similiter quomodocumque hac die celebrabitur, non immediate, sed secundum interstitia mediæ noctis, auroræ, & diei, supradictus modus erit seruandus; nisi quòd quælibet Missa terminabitur vt moris est aliis diebus; at in Missa iij. dicetur Euang. Cum natus. Hac nocte, dicta Cōpletorio, si fuerit Missa Conuentualis, dicuntur Laudes Matutinales: Antiph. Quem vidistis pastores dicite, annūciate nobis, in terris quis apparuit? Natum vidimus, & choros Angelorum collaudantes Dominum, alleluia, alleluia. Psal. Dominus regnauit. Antiph. Genuit puerpera Regē, cui nomen æternū, & gaudia matris habens cū virginitatis honore: nec primam similem visa est, nec habere sequētem, alleluia. Psal. Iubilate Deo. Antiph. Angelus ad pastores ait: Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator mundi, alleluia. Psal. Deus Deus meus. Antiph. Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium Deum, & dicētium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia. Canticum Benedicite. Aña. Paruulus filius hodie natus est nobis: & vocabitur Deus fortis, alleluia, alleluia. Psal. Laudate Dominum.

Ps. 92.
Psal. 99.
Psal. 62.
Dan. 3.
Psal. 148.

Ad Benedictus, Antiphona.



in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, alleluia. Cantic. Benedictus. Postcōmunio. Da nobis, quæsumus &c. vt sup. & terminetur per Ite Missa est.

Luc. 1.

IN

IN AVRORA AD MISSAM.

Officium.

Isai. 9. LVx fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus: & vocabitur Admirabilis, Deus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi: cuius regni non erit finis. ℣. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Ps. 92.

Gloria. Gloria in. Oratio.

DA nobis, quæsumus omnipotens Deus, vt qui noua incarnati Verbi tui luce perfundimur: hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidē fulget in mente. Per eundē.

Memoria de S. Anastasia. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beatæ Anastasiæ martyris tuæ solemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isa. 61. HAec dicit Dominus: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandū mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarē captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino, & diē vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion: & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris: & vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti à Domino Deo nostro. Isa. 62.

Deinde sine interuallo dicatur.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Titum.

CHarissime: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ, in Christo Iesu Domino nostro. ℟. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis. ℣. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. Tit. 3. Psal. 117. Ps. 92.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Pastores loquebantur adinuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerūt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autē cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati sunt: & de iis, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, Luc. 2.

audierant, ſicut dictum eſt ad illos. Credo. Offertor. Deus firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata ſedes tua Deus ex tunc, à ſæculo tu es. Secreta.

MVnera noſtra, quæſumus Domine, Natiuitatis hodiernæ myſteriis apta proueniant, & pacem nobis ſemper infundant: vt ſicut homo genitus idem refulſit Deus, ſic nobis hæc terrena ſubſtantia conferat quod diuinum eſt. Per eundem Dominum noſtrum.

De ſancta Anaſtaſia. Secreta.

ACcipe, quæſumus Domine, munera dignanter oblata: & beatæ Anaſtaſiæ martyris tuæ ſuffragantibus meritis, ad noſtræ ſalutis auxilium prouenire concede. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ. Præfatio. Quia per incarnati Verbi myſterium. & Communicantes.

Zach. 9. Communio. Exulta filia Sion, lauda filia Ieruſalem: ecce Rex tuus venit ſanctus, & ſaluator mundi.

Poſtcommunio.

HVius nos Domine ſacramenti ſemper nouitas natalis inſtauret: cuius Natiuitas ſingularis humanam repulit vetuſtatem. Per eundẽ.

De S. Anaſtaſia. Poſtcommunio.

SAtiaſti Domine familiam tuam muneribus ſacris: eius quæſumus interuentione nos refoue, cuius ſolemnia celebramus. Per Dominum.

AD MISSAM MAIOREM.

Officium.



Iſaia. 9. PVer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: cuius imperium ſuper humerum eius: & vocabitur nomẽ eius magni conſilij Angelus. Pſal. 97. Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelſis Deo.

Oratio.

COncede quæſumus omnipotẽs Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per carnem Natiuitas liberet: quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet. Per eundem Dominum noſtrũ.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus: Propter hoc ſciet populus meus nomẽ meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem: annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum cõuerterit Dominus Sion. Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalẽ: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem. Parauit Dominus brachiũ ſanctum ſuum, in oculis omnium gentium: & videbũt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Deinde ſine interuallo dicatur.

Iſai. 52.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Heb. 1. MVltifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſime, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem vniuerſorum: per quem fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorũ faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis

tis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad Filium autē: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiā, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et: Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascēt: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, &
Psal. 97. anni tui non deficient. ℟. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: iubilate Deo omnis terra. ℣. Notum fecit Dominus salutare suū: ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam. Alleluia. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominum: quia hodie descendit lux magna super terram.

Sequentia.

Laetabūdus exultet fidelis chorus, Alleluia.

Regem regum intactæ profudit thorus, res miranda.

Angelus consilij natus est de Virgine, sol de stella.

Sol occasum nesciens: stella semper rutilans, semper clara.

Sicut sidus radium, profert Virgo Filium pari forma.

Neque sidus radio, neque Mater Filio fit corrupta.

Cedrus alta Libani conformatur hyssopo valle nostra.

Verbum ens Altissimi corporari passum est, carne sumpta.

Isaias cecinit, Synagoga meminit, numquam tamen desinit esse cæca.

Si nō suis Vatibus, credat vel gentilibus Sibyllinis versibus hæc prædicta.

Infelix propera, crede vel vetera: cur damnaberis gens misera?

Quem docet littera, natum considera: ipsum genuit puerpera, Alleluia.

Initium Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factū est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominū: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eā non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius:

qui non ex sanguinibus, neq. ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. Credo. Offertor.

*Hic genuflectitur.

Psal. 88. Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem terrarum, & plenitudinē eius tū fundasti: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Secreta.

OBlata Domine munera noua, Vnigeniti tui Natiuitate sanctifica: nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eundem. Præfatio. Quia per incarnati Verbi mysteriū. & Communicantes, & dic.

Psal. 97. Cōio. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Postcommunio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, vt natus hodie Saluator mundi, sicut diuinæ nobis generationis est auctor; ita & immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum viuit.

DOMINICA

Infra Octa. Natiuitatis Domini.

Officium.

Sap. 18. DVM medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, de cælis à regalibus sedibus venit.

Psal. 92. ℣. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinē, & præcinxit se. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Dominū nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Memoria de Natiuitate, postea de Sanctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

FRatres: Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionē filiorum reciperemus. Quoniā autem estis filij Dei, misit Deus Spiritū Filij sui in corda vestra clamantē: Abba, Pater. Itaque iā non est seruus, sed filius Quod si filius: & heres per Deū. Gala. 4

Psal. 44. ℟. Speciosus forma præ filiis hominū: diffusa est gratia in labiis tuis. ℣. Eructauit cor meū verbum bonū: dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Psal. 92. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 2. IN illo tempore: Erant Ioseph & Maria mater Iesu, mirantes super ijs, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum, cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius: vt reuelentur

lentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octogintaquatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autẽ crescebat, & cõfortabatur plenus sapiẽtia: & gratia Dei erat in illo. Credo.

Ps. 92. Offertor. Deus firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es.

Secreta.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, vt oculis tuæ maiestatis munus oblatum, & gratiam nobis piæ deuotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum.

Præfatio. Quia per incarnati Verbi mysterium. & Communicantes, & diem. Communio. Tolle puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Postcõmunio.

Per huius Domine operationem mysterij, & vitia nostra purgentur, & iusta desideria compleantur. Per Dominum nostrum.

Si Festum Natiuitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis, SS. Innocentiũ, vel S. Thomæ venerit in Dominica, ipsa die nihil fiat de Dominica; sed die proximo post Festum S. Thomæ dicitur Missa de Dominica. Quando vero Festum S. Siluestri venerit in Dominica, quia illo anno dimittitur Missa Dominicæ infra Octauas Natiuitatis Domini, tunc in crastino Sancti Thomæ dicatur Missa maior Natalis, scilicet. Puer natus est nobis cum Epistola Auroræ, scilicet, Apparuit benignitas. & Euangel. Pastores loquebantur. & dicatur Credo. Et Præfatio. Quia per incarnati. & Communicantes.

IN CIRCVMCISIONE Domini.

Officium.



Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius, magni consilij Angelus. ℣. Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Isaia 9. Psal. 97.

Oratio.

Deus, qui nobis nati Saluatoris diem celebrare concedis octauum: fac nos quæsumus, eius perpetua diuinitate muniri, cuius sumus carnali cõmercio reparati. Qui tecũ. Memoria de Sanctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Titum.

Charissime: Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo: expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Chri- Tit. 2.

sti: qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate: & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: iubilate Deo omnis terra. ℣. Notum fecit Dominus salutare suum: ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam. Alleluia. ℣. Multifarie olim Deus loquens patribus, in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio suo. *Psal. 97.* *Heb. 1.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Credo. Offertorium. Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem terrarum, & plenitudinem eius tu fundasti: iustitia, & iudiciũ præparatio sedis tuæ. *Luc. 2.* *Psal. 88.*

Secreta.

PRæsta, quæsumus Domine, vt per hæc munera, quæ Domini nostri Iesu Christi arcanæ Natiuitatis mysterio gerimus, purificatæ mẽtis intelligentiam consequamur. Per eundem Dominũ nostrum. Præfatio. Quia per incarnati, & Communicãtes. Communio. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. *Psal. 97.*

Postcommunio.

PRæsta, quæsumus Domine, vt quod Saluatoris nostri iterata festiuitate percepimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

IN VIGILIA EPIPHANIAE Domini. Officium.



LVx fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus: & vocabitur Admirabilis, Deus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi: cuius regni non erit finis. ℣. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Gloria. Gloria in excelsis Deo. *Isaia 9.* *Psal. 92.*

Oratio.

COrda nostra, quæsumus Domine, venturæ Festiuitatis splendor illustret: quo mundi huius tenebris carere valeamus, & perueniamus ad patriam claritatis æternæ. Per Dominum. Secunda Oratio. Deus, qui salutis. Tertia. Corda famulorum. Epistola. Quanto tempore heres. Dominica infra Octauas Natiuitatis pag. 18. ℟. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis. ℣. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. *Psal. 117.* *Psal. 92.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quòd Archelaus regnaret *Matt. 2.*

ret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictũ est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur. Non dicatur Credo. nisi Dominica fuerit.

Psal. 92. Offertorium. Deus firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es.

Secreta.

Tribue, quæsumus Domine, vt eum præsentibus immolemus sacrificijs & sumamus, quem venturæ Solemnitatis pia munera præloquuntur, Dominum nostrum Iesum Christum.


Matth. 2. Communio. Tolle puerũ, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

Postcommunio.

Illumina, quæsumus Domine, populum tuum, & splendore gratiæ tuæ cor eius semper accende: vt Saluatorem suum & incessanter agnoscat, & veraciter apprehendat, Dominum nostrum Iesum Christum.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Officium.



Mal. 3. Ecce aduenit dominator Dominus: & regnum in manu eius, & potestas, & imperium. ℣. Psal. 71. Deus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

Deus, qui hodierna die Vnigenitum tuum Gentibus stella duce reuelasti: concede propitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaiæ 60. Svrge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. ℟. Isaiæ 60. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. ℣. Surge, & illuminare Ierusalem: quia gloria Domini super te orta est. Alleluia. ℣. Matth. 2. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. Sequentia. Lætabundus exultet. vt in 3. Missa diei Natiuitatis. pagina 17.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Matthæum.

Matth. 2. Cvm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus

dimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetã: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittẽs illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dũ veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: * & procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Credo. Offertoriũ.

* Hic genuflectitur.

Psal. 71. Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, dona propitius intuere, quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur. Per. Præfatio. Quia cum Vnigenitus. & Communicantes. Communio. Matt. 2. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: vt quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per Dominũ.

Infra Octauam Epiphaniæ omnia fiũt sicut in die, exceptis Sequentia & Credo. Si Epiphania in Dominica euenerit, in sequenti Missa dicatur feria infra Octauas, & in Octaua nihil de Dominica fiat.

DOMINICA

Infra Octau. Epiphaniæ. Officium.

In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum, psallentes in vnum: Ecce cuius imperij nomen est in æternum. Psal. 99. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

Vota, quæsumus Domine, supplicantis populi cælesti pietate prosequere: vt & quæ agenda sunt, videant, & ad implenda quæ viderint, conualescant. Per Dominũ. Secunda de Epiphania. Tertia de B. Raymundo. Quarta de B. Virgine. Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Roma. 12. Fratres: Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformami-

ni in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et vnicuique, sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus à sæculo. *Psal. 71.* ℣. Suscipiant montes pacem populo tuo, & colles iustitiam. Alleluia. ℣. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. *Psal. 99.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 2 Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in téplo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in ijs quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Credo.

Offertorium. Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia: intrate in conspectu eius in exultatione, quia Dominus ipse est Deus. *Psal. 99.* Secreta.

Oblatum tibi Domine sacrificiũ viuificet nos semper, & muniat. Per Dominum. Præfatio. Quia cum Vnigenitus. & Communicantes.

Communio. Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in ijs quæ Patris mei sunt, oportet me esse? *Luc. 2.* Postcommunio.

Supplices te rogamus omnipotẽs Deus: vt quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deseruire concedas. Per.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

Officium.

Ecce aduenit dominator Dominus: & regnum in manu eius, & potestas, & imperium. *Mal. 3.* ℣. Deus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. *Psal. 71.* Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

Deus, cuius Vnigenitus in substantia nostræ carnis apparuit: præsta quæsumus, vt per eum, quem similem nobis foris agnouimus, intus refor-

reformari mereamur. Qui tecum.
Secunda Oratio de B. Raymundo.
Tertia de B. Virgine. Epist. vt in die
Epiph. Surge, illuminare. pag. 21.
Isaia. 60. ℟. Omnes de Saba venient, aurum
& thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. ℣. Surge, & illuminare Ierusalem: quia gloria Domini super te orta est. Alleluia. ℣.
Mat. 2. Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioā. 1. IN illo tempore: Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat, & ego nesciebam eum. Sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizās. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicēs: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. Credo. Offert. Reges Tharsis,
Psal. 71. & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes seruient ei. Secreta.

HOstias tibi Domine pro nati Filij tui apparitione deferimus, suppliciter exorantes: vt sicut ipse nostrorum auctor est munerum; ita sit ipse misericors, & susceptor, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit. Præfatio sicut in Die, & Communicantes. Communio.
Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. Matth. 2. Postcommunio.

CAelesti lumine, quæsumus Domine, semper & vbiq. nos præueni: vt mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu. Per Dominum nostrum.

Si ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam tempus ita breue fuerit, vt Dominicalia Officia suis diebus expleri nequeant: Officia residuarum Dominicarum post Dominicam primam post Octauas Epiphaniæ, eo anno omittuntur, & resumitur (quo ad Orationem, Epistolam, & Euangelium dumtaxat) post vigesimam primam Dominicam post Oct. Trinitatis, vt ibi in Rubrica dicitur. Si Dominica Septuagesimæ venerit Dominica prima post Octauas Epiphaniæ, Missa Dominicæ primæ post Octauas Epiphaniæ dicitur prima vacanti die earum, quæ erunt inter Octauam Epiphaniæ, & Dominicam Septuagesimæ illo anno.

DOMINICA PRIMA POST Octa. Epiphaniæ. Officium.

OMnis terra adoret te Deus, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Altissime. ℣. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis. Oratio. Psal. 65.

OMnipotens sempiterne Deus, qui cælestia simul, & terrena mo-

moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi: & pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum. Secunda Oratio. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 12. FRatres: Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes: Honore inuicem præuenientes: Sollicitudine non pigri: Spiritu feruentes: Domino seruientes: Spe gaudentes: In tribulatione patientes: Orationi instantes: Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cũ flentibus: idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Psal. 106. ℟. Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de interitu eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominũ.

Psal. 148. Alleluia. ℣. Laudate Dominum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Io. 2. IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi: vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nũc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autẽ gustauit architriclinus aquam vinum factam, & nõ sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquã; vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tũc id quod deterius est: tu autem seruasti bonũ vinum vsque adhuc. Hoc fecit initiũ signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius. Credo.

Offertorium. Iubilate Deo vniuersa terra, psalmum dicite nomini eius: venite & audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Deũ, quanta fecit Dominus animæ meæ, alleluia. Psal. 65.

Secreta.

OBlata Domine munera sanctifica, nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum.

Communio. Dicit Dominus: Implete hydrias aqua, & ferte architriclino. Dum gustauit architriclinus aquam vinum factam, dicit sponso: Seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc signum fecit Iesus primum coram discipulis suis. Ioan. 2.

Post-

Postcommunio.

AVgeatur in nobis, quæsumus Domine, tuæ virtutis operatio: vt diuinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemnr. Per Dominum.

DOMINICA II.

Post Oct. Epiphaniæ. Officium.

Ps. 96. Dorate Deum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion: & exultauerunt filiæ Iudæ. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende. Per. Secunda Oratio. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 12. FRatres: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona nō tantum coram Deo, sed etiam corā omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes charissimi: sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis cōgeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. ℟. Timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. ℣. Quoniam ædificauit Dominus Sion: & videbitur in maiestate sua. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Ps. 96.

Psal. 101.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 8. IN illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eū turbæ multæ: & ecce leprosus veniēs, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum Iesus, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostēde te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eū, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alio: Veni, & venit: & seruo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantā fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abrahā, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Credo.

Offer-

Psal. 117. Offertorium. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini. Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per. Communio. Mirabantur omnes de ijs, quæ procedebant de ore Dei. Postcommunio. (Luc. 4.)

QVos tantis Domine largiris vti mysterijs, quæsumus, vt effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per Dominum.

DOMINICA III.

Post Octa. Epiphaniæ. Officium.

Psal. 96. ADorate Deũ omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion: & exultauerũt filiæ Iudæ. ℣. Dominus regnauit, exultet terra; lætentur insulæ multæ. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis: vt ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante, vincamus. Per Dominum nostrum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Cap. 13. FRatres; Nemini quidquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam; Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Psal. 101. Gr. Timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. ℣. Quoniam ædificauit Dominus Sion: & videbitur in maiestate sua. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. (Psal. 96.)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 8. IN illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. Et accesserunt discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Credo. Offertorium.

Psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam: & narrabo opera Domini. Secreta.


COncede, quæsumus omnipotẽs Deus, vt huius sacrificij munus oblatum fragilitatem nostrã ab omni malo purget semper, & muniat. Per Dominum. Communio. Mirabantur omnes de ijs, quæ procedebant de ore Dei. Postcommunio. (Luc. 4.)

MVnera tua nos Deus à delectationibus terrenis expediãt: & cælestibus semper instaurent alimentis. Per Dominum nostrum.

DO-

DOMINICA IIII.

Post Octa. Epiphaniæ. Officium.

Psal. 96. Dorate Deum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion: & exultauerũt filiæ Iudæ. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Col. 3. FRatres: Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis: ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia: docentes, & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri, per Iesum Christum Dominum nostrum.

℟. Timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. ℣. Quoniam ædificauit Dominus Sion: & videbitur in maiestate sua. Alleluia. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Psal. 101. Psal. 96.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirẽt homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait, Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Credo. Offertorium. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Psal. 117.

Secreta.

HOstias tibi Domine placationis offerimus: vt & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Communio. Mirabantur omnes de Luc. 4. ijs,

ijs, quæ procedebant de ore Dei.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dñm.

DOMINICA V.

Post Octauas Epiphaniæ. Officium.

Psal. 97. Dorate Deum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion: & exultauerunt filiæ Iudæ. ℣. Dominus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis. Per Dominum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

1. Th. 1. FRatres: Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinẽtiæ spei Dñi nostri Iesu Christi, ante Deũ & Patrem nostrũ. Scientes fratres dilecti, à Deo electionem vestram: quia Euangeliũ nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Dñi, excipientes verbum in tribulatione multa cũ gaudio Spiritus sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Dñi, non solum in Macedonia, & in Achaia, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita vt nõ sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitũ habuerimus ad vos: & quomodo cõuersi estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero: & expectare Filium eius de cælis (quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura. ℟. Timebunt gentes nomẽ tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. ℣. Quoniam ædificauit Dñs Sion: & videbitur in maiestate sua. Alleluia. ℣. Dñs regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Psal. 101. Psal. 96.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnũ cælorũ grano sinapis; quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidẽ est omnibus seminibus: cum autẽ creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorũ fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à cõstitutione mundi. Credo. Offertorium. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam: Mat. 13. Psal. 117.

&

& narrabo opera Domini. Secreta.

HAec nos oblatio Deus mundet quæsumus,& renouet, gubernet,& protegat. Per Dominum.


Luc 4 Communio. Mirabantur omnes de ijs, quæ procedebant de ore Dei.

Postcommunio.

CAelestibus Domine pasti delicijs, quæsumus: vt semper eadem, per quæ veraciter viuimus, appetamus. Per Dominum nostrum.

D O M I N I C A

In Septuagesima. Officium.

Psal. 17. Ircumdederũt me gemitus mortis: dolores inferni circũdederũt me: & in tribulatione mea inuocaui Dominum: & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. ℣. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum,& liberator meus. Gloria Patri. In hac die, & deinceps vsque ad Vigiliam Paschæ exclusiue, non dicatur Gloria in excelsis. nisi in Duplicibus,& Totis Duplicibus. Oratio.

PReces populi tui,quæsumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur: pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per.. Secunda. Deus, qui charitatis.. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Co. 9. FRatres: Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt: sed vnus accipit brauium? Sic currite,vt comprehendatis.Omnis autem qui in agone contendit,ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum,& in seruitutem redigo:ne forte cum aliis prædicauerim,ipse reprobus efficiar.Nolo enim vos ignorare,fratres, quoniã 1. Co. 10. patres nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberũt: (bibebant autem de spirituali,consequente eos, petra: petra autem erat Christus) sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo. ℟. Adiutor Ps. 9. in opportunitatibus,in tribulatione: sperent in te, qui nouerunt te: quoniam non derelinquis quærentes te Domine. ℣. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in æternum:exurge Domine, non præualeat homo.

Tractus. De profundis clamaui ad Psal. 129. te Domine: Domine exaudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui. ℣. Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? ℣. Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 20. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias,qui exijt primo mane cõducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno,misit eos in vineam suam. Et egressus circa horã

tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam: & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stãtes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meã. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Veniẽtes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autẽ & ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant aduersum patrẽfamilias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus. At ille respondens vni eorũ, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario cõuenisti mecũ? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erũt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Credo. Offertorium. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. Psal. 91.

Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis, & cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dñm.


Communio. Illumina faciem tuam super seruum tuum: & saluum me fac in tua misericordia: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Ps. 30.

Postcommunio.

FIdeles tui Deus per tua dona firmentur: vt eadem & percipiendo requirant, & quærendo sine fine percipiant. Per Dominum nostrum Iesum Christũ. Benedicamus Dño.

D O M I N I C A

In Sexagesima. Officium.



EXurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam auertis, obliuisceris tribulationem nostram? adhæsit in terra venter noster: exurge Domine, adiuua nos, & libera nos. ℣. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis. Gloria. Oratio. Ps. 43.

DEus, qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, vt contra aduersa omnia, Doctoris gentium protectione muniamur. Per Dominum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Libenter suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapiẽtes. Sustinetis enim si quis vos in seruitutẽ redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur: si quis in faciẽ vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego. Ministri 2. Co. 11.

Chri-

Christi sunt, & ego: vt minus sapiẽs dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior.

Diuisio p hebdomadam. Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. 2. Cor 12. Si gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælũ. Et scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit: quoniam raptus est in Paradisum: & audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatẽ enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. ℟. Sciant gentes, Ps. 82. quoniam nomen tibi Deus: tu solus Altissimus super omnem terram. ℣. Deus meus pone illos vt rotam: & sicut stipulã ante faciem venti. Tractus Commouisti Domine terram, Ps. 59. & conturbasti eam. ℣. Sana contritiones eius, quia mota est. ℣. Vt fugiant à facie arcus: vt liberentur electi tui.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Cum turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per Luc. 8. similitudinem: Exijt qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructũ centuplum. Hæc dicens, clamabat:

Qui

Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam quod supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autē in spinis decidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Credo.

Psal. 16. Offertorium. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea: inclina aurē tuam, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te Domine. Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificiū viuificet nos semper, & muniat. Per Dominum. Communio. Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Psal. 42.

Postcommunio.

SVpplices te rogamus omnipotēs Deus: vt quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deseruire concedas. Per Dominum nostrum.

DOMINICA

In Quinquagesima. Officium.



ESto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias: quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. Gloria. Oratio. Psal. 30.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: atque à peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos aduersitate custodi. Per Dominum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniēs. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat; omnia sustinet. Charitas numquam 1. Cor. 13.

excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cũ autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autẽ cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. ℟. Tu es Deus qui facis mirabilia solus: notam fecisti in gentibus virtutem tuam. ℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Israel, & Ioseph. Tractus. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. ℣. Intrate in conspectu eius in exultatione. ℣. Scitote quòd Dominus ipse est Deus. ℣. Ipse fecit nos, & non ipsi nos: nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.

Psal. 76

Psal. 99

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 18.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam: & cõsummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat autem verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebãt quæ dicebantur. Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et dixit illi Iesus: Respice: fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Credo. Offertorium. Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas: in labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Secreta.

Psal. 118.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum. Communio. Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis Dominus: non sunt fraudati à desiderio suo. Postcommunio.

Psal. 77.

QVæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimẽta percepimus, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dñm.

FEria quarta in capite Ieiunij, quando Missa fuerit celebranda, Prior induat superpelliceum cum stola, & Hebdomadarius cum Ministris præparent se ad Missam celebrandam, sicut in Ferialibus diebus.

Et

Et præcedentibus Acolytho sine cereo, & Subdiacono, & Diacono deferente Missale, subsequatur Hebdomadarius sine casula, deinde Prior. Cumque ad gradus Presbyterij peruenerint, Hora Missam præcedente finita, prosternat se Prior ibidem super aliquem pannum à Sacrista præparatum, & iuxta eum Hebdomadarius à sinistris, & Diaconus à dextris, & Subdiaconus, & Acolythus à sinistris. Tunc incipiente Priore Antiphonam Ne reminiscaris, sine cantu, prosternant se Fratres, qui in Choro sunt, super formas: & Cantor, ex cuius Choro fuerit Hebdomada, incipiat Psalmum. Domine ne in furore. Et vterque Chorus ipsum, & reliquos Pœnitentiales prosequantur alternatim dicendo Versus, & terminando quemlibet Psalmum per Gloria Patri. Post Psalmos subiungatur Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Quo finito surgat Prior, & stans supra gradus Presbyterij, versa facie ad Meridiem, & dexteram manum erectam habens ad Conuentum, Diacono coram eo tenente librum, dicat. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis: vt quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Finita prædicta Oratione faciat absolutionem absque Dominus vobiscum. & absque Oremus. hoc modo.

Dominus Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo suo potestatem dedit ligandi, atque soluendi, ipse vos absoluat ab omni vinculo delictorum: & quantum meæ fragilitati permittitur, sitis absoluti ante tribunal eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab omnibus peccatis & negligentijs vestris: habeatisque vitam æternam, & viuatis in sæcula sæculorum. ℟. Amen. Facta absolutione, Subdiaconus accipiens cineres à Sacrista præparatos, teneat illos ad dexteram Prioris: & Diaconus librũ ante eum: Acolythus vero aquam benedictam, & asperforium; & Prior stans ante gradus Presbyterij, verso vultu ad altare, cineres benedicat eo modo, quo dicuntur Orationes ad Horas. Benedictio cinerum. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & qui etiam subuenis in necessitate laborantibus: bene ✠ dicere, & sanctificare dignare hos cineres, quos causa humilitatis, & sanctæ religionis, ad emundanda nostra delicta, super capita nostra ferre constituisti more Niniuitarum: & da per inuocationem tui nominis, vt omnes, qui eos ad deprecandam misericordiam tuam, super sua ca-

pita tulerint, à te mereantur omnium delictorum suorum veniam accipere, & hodie sic ieiunia inchoare sancta, vt in die Resurrectionis, purificatis mentibus, ad sanctum mereantur accedere Pascha, & in futuro perpetuam percipere gloriam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.
Finita benedictione cinerum, aspergat eos aqua benedicta, & cantetur sequens Antiphona.

EXaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.
Psal. 68. ℣. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Cum sequentibus Versibus, quotquot sunt necessarij. Et repetatur Antiphona post quemlibet Versum: post vltimum autem Versum qui dicendus est, dicatur Gloria Patri. & repetatur Antiphona prædicta: deinde dicatur Antiphona.
Ioel. 2. Iuxta vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes, & Leuitæ ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne claudas ora clamantium ad te Domine. Antiph.
Ioel. 2. Immutemur habitu in cinere & cilicio: ieiunemus & ploremus ante Dominum: quia multum misericors est dimittere peccata nostra Dominus Deus noster.
Postquam vero Prior cineres asperserit aqua benedicta, accedens ad gradus Presbyterij, flexis genibus recipiat cineres ab Hebdomadario stante super gradus: qui etiam aspergat eum aqua benedicta. Deinde surgat Prior, & stet supra gradus prædictos, versus ad Chorum, & à dextris eius Subdiaconus cum cineribus, & Diaconus cum libro: à sinistris vero Hebdomadarius, & iuxta illum Acolythus cum aqua benedicta. Et venientibus Fratribus eo ordine quo itur ad Communionem, genua flectentibus, Prior cineres singulis imponat, incipiens ab Hebdomadario, & Ministris. Hebdomadarius, postquam cineres receperit, tenens aspersorium, singulos, cineribus impositis, aspergat aqua benedicta. Cineres autem ponendi sunt in modum crucis super caput, & dum imponuntur, dicatur.

MEmento quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

Finita cinerum impositione, Prior verso vultu ad altare, Hebdomadario, & Subdiacono, & Acolytho similiter versis, Diacono coram eo tenente librum, dicat mediocri voce. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

COncede nobis Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare ieiunijs: vt contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilijs. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.
Hac Oratione finita, Prior, & Hebdomadarius cum Ministris redeant ad Sacristiam, eo ordine quo venerunt. Et Hebdomadarius accipiens casulam, inchoata Missa, procedat ad altare cum Ministris more solito. Prior vero deposita stola & superpelliceo, resumat vestes suas.

AD

AD MISSAM.

Officium.

Sap. 11. MIsereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti: dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam: & parcens illis, quia tu es Dominus Psal. 56. Deus noster. ℣. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Dicatur Flectamus genua. Leuate, quotidie in Quadragesima in Missa de Ieiunio, exceptis Dominicis, & die Cœnæ, & Sabbato Paschæ: extra vero Quadragesimam nunquam dicatur. Oratio.

PRæsta Domine fidelibus tuis: vt ieiuniorum veneranda solemnia, & congrua pietate suscipiant, & secura deuotione percurrant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. A cunctis.

Lectio Ioelis Prophetæ.

Ioel. 2. HAec dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus: & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo nostro? Canite tuba in Sion: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum, & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobriū, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Vbi est Deus eorum? Zelatus est Dominus terram suam: & pepercit populo suo. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis: & non dabo vos vltra opprobrium in gentibus, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Miserere mei Psal. 56. Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. ℣. Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me. Tractus. Domine, non secundum peccata Psal. 102. nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquita- Ps. 78. tum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum ieiunatis, nolite Matt. 6. fieri sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amē dico vobis, quia receperunt mercedem suā. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum,

tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunãs: sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

Psal. 29. Offertorium. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me: Domine clamaui ad te, & sanasti me.

Secreta.

FAc nos, quæsumus Domine, his muneribus offerendis conueniẽter aptari, quibus ipsius venerabilis sacramenti celebramus exordium. Per. Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Psal. 1. Communio. Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte, dabit fructum suum in tempore suo.

Postcommunio.

PErcepta nobis Domine præbeat sacramenta subsidium: vt & tibi grata sint nostra ieiunia, & nobis proficiant ad medelam. Per Dominum. Dicto secundo, Per Dominum. & responso, Amen, dicat Sacerdos. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Oratio super Populum.

INclinantes se Domine maiestati tuæ propitiatus intende: vt qui diuino munere sunt refecti, cælestibus semper nutriantur auxilijs. Per Dominum. Humiliate capita vestra Deo. dicatur semper, quando Flectamus genua. dicitur, excepto Sabbato Quatuor Temporum, & die Parasceues.

FERIA QVINTA.

Officium.



DVm clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab ijs, qui appropinquant mihi: & humiliauit eos, qui est ante sæcula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. ℣. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 54.

Oratio.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auerte. Per Dominum. Secunda de Sacramento. Tertia. Prætende.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Aegrotauit Ezechias vsque ad mortem: & introiuit ad eum Isaias filius Amos Propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacry- Isaiæ 38.

lacrymas tuas: ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos: & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam, Ait Dominus omnipotens. ℟. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. ℣. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam, ab ijs, qui appropinquant mihi.

Psal. 54.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 8.

IN illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicẽs: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alio: Veni, & venit: & seruo meo: Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Psal. 24.

Offertorium. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, Domine quæsumus, intende placatus: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum nostrum Iesum.

Præfatio. Qui corporali. Cõmunio. Acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta super altare tuum Domine. Psal. 50.

Postcommunio.

CAelestis doni benedictione percepta, supplices te Deus omnipotens deprecamur: vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit, & salutis. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

PArce Domine, parce populo tuo: vt dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA.

Officium.



AVdiuit Dominus, & misertus est mihi: Dominus factus est adiutor meus. ℣. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 29.

Oratio.

INchoata ieiunia, quæsumus Domine, benigno fauore prosequere: vt obseruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum.

Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Isaiæ Prophetæ

HAec dicit Dominus Deus: Clama, ne cesses: quasi tuba exal- Isaia 58.

ta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ: & appropinquare Deo volũt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: & omnes debitores vestros repetitis: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis: & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Nũquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilẽ Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuũ, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eũ, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur: & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum. Quia misericors sum Dominus Deus tuus. ℟. Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini. ℣. Vt videam voluptatem Domini: & protegar à templo sancto eius. Tractus. Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Psal. 26. | Psal. 101. | Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suũ oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligũt, quã mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificẽtur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosy-

Matth. 5.

mosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Of-
Psal. 118. fertorium. Domine, viuifica me secundum eloquium tuum: vt sciam testimonia tua. Secreta.

SAcrificium Domine obseruantiæ Quadragesimalis quod offerimus, præsta quæsumus, vt tibi & mētes nostras reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem. Per. Præfatio. Qui corpo-
Ps. 2. rali. Communio. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam, ne pereatis de via iusta. Postcommunio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos vno pane cælesti satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum. eiusdem. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

TVere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia ei nulla nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum nostrum.

SABBATO.

Officium.

Ps. 29. Vdiuit Dominus, & misertus est mihi: Dominus factus est adiutor meus. ℣. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris: & concede, vt hoc solemne ieiunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus. Per Dominum. Secunda. de B. Virgine. Tertia. Ecclesiæ.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus Deus: Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris digitū extendere, & loqui quod non prodest: cum effuderis esurienti animam tuam, & animā afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animā tuā, & ossa tua liberabit: & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deserta sæculorū: fundamēta generationis & generationis suscitabis. Et vocaberis ædificator sepiū, auertens semitas in quietē. Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatū, & sanctum Domini gloriosum: & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ: & cibabo te hereditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est. ℟. Vnam petij à Psal. 26.
Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini. ℣. Vt videam voluptatem Domini: & protegar à templo sancto eius.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

IN illo tempore: Cū sero esset factum, erat nauis in medio mari, & Marc. 6.
Iesus

Ieſus ſolus in terra, & vidit diſcipulos ſuos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis. Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulãs ſupra mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cũ eis, & dixit illis: Confidite, ego ſum, nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum trãſfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. Cumque egreſſi eſſent de naui, continuo cognouerunt eum: & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe male habebant, circumferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant. Offert.

Pſal. 140. Domine viuifica me ſecundum eloquium tuum: vt ſciam teſtimonia tua.

Secreta.

PRæpara nos, quæſumus Domine, huius abſtinentiæ feſtiuis officijs: vt hæc ſacrificia veneranda ſobrijs ſemper mentibus celebremus. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio.

Pſ. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore: apprehendite diſciplinam, ne pereatis de via iuſta.

Poſtcommunio.

CAeleſtis vitæ munere vegetati, quæſumus Domine, vt quod eſt nobis in præſenti vita myſterium, fiat æternitatis auxilium. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Oremus. Humiliate capita veſtra Deo.

Super Populum. Oratio.

FIdeles tui Deus per tua dona firmentur: vt eadem percipiendo requirant, & quærendo ſine fine percipiant. Per Dominum.

DOMINICA PRIMA

In Quadrageſima. Officium.



INuocabit me, & ego exaudiam eum: eripiam eum, & glorificabo eũ: longitudine dierum adimplebo eũ. Pſ. 90. ℣. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuã annua Quadrageſimali obſeruatione purificas: præſta familiæ tuæ: vt quod à te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum noſtrum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

FRatres: Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Cor. 6. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſedi-

seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. ℟. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. Tractus. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. ℣. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum. ℣. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venatium, & à verbo aspero. ℣. Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis. ℣. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno. ℣. A sagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, à ruina, & dæmonio meridiano. ℣. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: tibi autem non appropinquabit. ℣. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus vijs tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem. ℣. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegã eum, quoniam cognouit nomen meum. ℣. Inuocabit me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione. ℣. Eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum adimplebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Psal. 90.

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo: & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tẽtator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus rursum: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Credo. Offertorium. Scapulis suis obũbrabit tibi Dominus, & sub pennis eius sperabis: scuto circumdabit te veri-

Mat. 4.

Psal. 90.

veritas eius. Secreta.

SAcrificium Quadragesimalis initij solemniter immolamus, te Domine deprecantes: vt cum epularum restrictione carnalium, à noxijs quoque voluptatibus temperemur. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Psal. 90. Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pennis eius sperabis: scuto circumdabit te veritas eius.

Postcommunio.

TVi nos Domine sacramenti libatio sancta restauret: & à vetustate purgatos, in mysterij salutaris faciat transire consortium. Per Dominum nostrum.

FERIA SECVNDA.

Officium.

Psal. 124. SIcut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum, donec misereatur nobis: miserere nobis Domine, miserere nobis. ℣. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

COnuerte nos Deus salutaris noster: & vt nobis ieiunium Quadragesimale proficiat, mentes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per Dominum nostrum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Ezec. 34. HAec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requirã oues meas, & visitabo illas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascã oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducã, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiã. Et pascam illas in iudicio, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Protector noster aspice Deus: & respice super seruos tuos. ℣. Domine Deus virtutum exaudi preces seruorum tuorum. Psal. 83.

Tractus. Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarũ, cito anticipẽt nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriã nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuũ. Psal. 102. Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Filius hominis Matth. 25.

minis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitē, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis: Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & ijs, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmū, vel in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu nō fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. Offertorium. Leuabo oculos meos, & considerabo mirabilia tua Domine, vt doceas me iustitias tuas: da mihi intellectum, vt discam mandata tua. *Psal. 118.*

Secreta.

MVnera tibi Domine oblata sanctifica: nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Voce mea ad Dominū clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo: non timebo millia populi circumdantis me. *Ps. 3.*

Postcommunio.

SAlutaris tui Domine munere satiati, supplices exoramus: vt cuius lætamur gustu, renouemur effectu. Per Dominum nostrū. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ABsolue, quæsumus Domine, nostrorum vincula peccatorum: & quidquid pro eis meremur, propitiatus auerte. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Officium.

DOmine refugium factus es nobis, à generatione & progenie: à sæculo & in sæculum tu es. ℣. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à sæculo & vsque in sæculū tu es Deus. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. *Psal. 89.*

Oratio.

REspice Domine familiam tuā, & præsta: vt apud te mens nostra

stra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per Dominum nostrum. Secunda, de B. Dominico. Tertia. Concede, quæsumus omnipotens Deus.

Lectio Isaiæ Prophetæ

Isaia 55. IN diebus illis: Locutus est Isaias Propheta, dicens: Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deū nostrum, quoniā multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eā, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in ijs, ad quæ misi illud, Ait Dominus omnipotēs.

Psal. 140. ℟. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 21. IN illo tempore: Cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dixit eis: Scriptū est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in tēplo, & dicentes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. Numquam legistis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniā: ibique mansit. Offertorium. In te Psal. 30.
sperani Domine: dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

Secreta.

OBlatis, quæsumus Domine, placare muneribus, & à cunctis nos defende periculis. Per Dominū. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Cōmunio. Cum inuocarem te, exaudisti me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti me: miserere mihi Domine, & exaudi orationem meam. Psal. 4.

Postcommunio.

QVæsumus, omnipotens Deus: vt illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominū nostrum Iesum Christum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

AScendant ad te Domine preces nostræ: & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per Dominum nostrum.

FE-

FERIA QVARTA Quatuor Temporum. Officium.

Ps. 24. REminiſcere miſerationũ tuarum Domine, & miſericordiæ tuæ, quæ à ſæculo ſunt: ne vmquã dominentur nobis inimici noſtri: libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtijs noſtris. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Gloria Patri. Non dicatur Dominus vobiſcum. ſed Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: & contra cuncta nobis aduerſantia dexteram tuæ maieſtatis extende. Per Dominum noſtrum.

Lectio Libri Exodi.

Exo. 24. IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moyſen: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi: daboque tibi duas tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ ſcripſi: vt doceas filios Iſrael. Surrexerunt Moyſes, & Ioſue miniſter eius: aſcendenſque Moyſes in montem Dei, ſenioribus ait: Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur vobiſcũ: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos. Cumque aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardẽs ſuper verticem montis, in conſpectu filiorum Iſrael. Ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ, aſcendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. ℟. Tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt: de neceſſitatibus meis eripe me Domine. ℣. Vide humilitatem meam, & laborẽ meũ: & dimitte omnia peccata mea. Ps. 24. Dominus vobiſcum. Oremus. Flectamus genua. Oratio.

DEuotionem populi tui, quæſumus Domine, benignus intende: vt qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum. Secunda Exaudi, quæſumus Domine, ſup. Tertia. A cunctis.

Lectio Libri Regum.

3. Re. 19. IN diebus illis: Venit Elias in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum, viam vnius diei. Cumque veniſſet, & ſederet ſubter vnam iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quàm patres mei. Proiecitque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede. Et reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb. Tractus. De neceſſitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam; Ps. 24.

Deus

Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei. ℣. Etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur: confundantur omnes facientes vana. Non dicatur hodie Tractus. Domine nõ secundũ.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 12. IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala, & adultera signũ quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eã: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantẽ, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicũque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Psal. 118.

Secreta.

HOstias tibi Domine placationis offerimus: vt & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus: quoniam ad te orabo Domine. Psal. 5.

Postcommunio.

TVi Domine perceptione sacramenti, & à nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, lumine tuæ claritatis illustra: vt videre possimus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt, agere valeamus. Per Dominum nostrum.

FERIA QVINTA.

Officium.

COnfessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. ℣. Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino Psal. 95.

omnis

omnis terra. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

Deuotionem populi tui, quæsumus Domine, benignus intende: vt qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum. Secunda, de Sacramento. Tertia. Prætende Domine.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Ez. 18. In diebus illis: Factus est sermo Domini ad me, dicens: Quid est, quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam: in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel; & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit: & hominem non contristauerit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit: panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: ad vsurā non commodauerit, & amplius non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum: in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit vt faciat veritatem: hic iustus est, vita viuet, Ait Dominus

Ps. 16. Deus omnipotens. ℟. Custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me. ℣. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 15. In illo tempore: Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis: Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine Fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Offert.

Ps. 33. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Secreta.

Sacrificia, Domine quæsumus, propensius ista nos saluent, quæ medicinalibus sunt instituta ieiunijs. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio.

Ioā. 6. Panis quem ego dedero, caro mea est, pro sæculi vita.

Postcommunio.

Tuorum nos Domine largitate donorum, & temporalibus

attolle præsidijs, & renoua sempiternis. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DA quæsumus Domine, populis Christianis, & quæ profitentur agnoscere: & cæleste munus diligere, quod frequentant. Per Dominũ.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum. Officium.

Psal. 24 DE necessitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

ESto Domine propitius plebi tuæ: & quam tibi facis esse deuotam, benigno refoue miseratus auxilio. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Eze. 18. HAec dicit Dominus Deus: Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eũ erit: & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit vniuersa præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione sua, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Numquid via mea non est æqua, & nõ magis viæ vestræ prauæ sunt? Cum enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur. Et cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam: ipse animam suam viuificabit. Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & non morietur, Ait Dominus omnipotens. ℟. Saluum fac seruum tuum Deus meus Psal. 85.
sperantem in te. ℣. Auribus percipe Domine orationem meam. Tractus.
Domine, non secundum peccata no- Psal. 102.
stra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.
℣. Domine, ne memineris iniquita- Psal. 78.
tum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 5.
IN illo tempore: Erat dies festus Iudæorum,& ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinq. porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in illa die. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanus factus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus autem declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. Offertorium. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: & renouabitur sicut aquila iuuentus tua. Psal. 102.

Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, munera nostris oblata seruitijs, & tua propitius dona sanctifica. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei: auertantur retrorsum, & erubescant valde velociter. Psal. 6. Postcommunio.


PEr huius Domine operationem mysterij & vitia nostra purgentur, & iusta desideria compleantur. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

EXaudi nos misericors Deus: & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per Dominum.

SABBATO

Quatuor Temporum. Officium.



INtret oratio mea in conspectu tuo: inclina aurē tuam ad precem meam Domine. ℣. Domine Deus salutis meæ: in die clamaui, & nocte coram te. Gloria Patri. Quinque sequentes Orationes dicantur sine Dominus vobiscum. Sed ante vnamquamque Orationem dicatur. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 87.

Oratio.

POpulum tuum, quæsumus Domine, propitius respice: atque

ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer auerte. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Deuteronomij.

Deu. 26. IN diebus illis: Locutus est Moyses ad Dominum, dicens: Respice Domine de Sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo: & benedic populo tuo Israel, & Terræ, quam dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terræ lacte, & melle mananti. Audi Israel: Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias mandata eius atque iudicia: & custodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & custodias cæremonias illius, & mandata atque iudicia: & obedias eius imperio. Et Dominus elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi: & custodias omnia præcepta illius: & faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suã: vt sis populus sanctus Domini Dei

Psal. 78. tui, sicut locutus est tibi. ℟. Propitius esto Domine peccatis nostris: ne quando dicant gentes: Vbi est Deus eorum? ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis cõstitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Deuteronomij.

Deu. 11. IN diebus illis: Dixit Moyses filijs Israel: Si custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, adhærentes ei; disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ maiores, & fortiores vobis sunt. Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit. A deserto, & Libano, & flumine magno Euphrate vsque ad mare Occidentale erunt termini vestri: Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terrã, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis Dominus Deus vester. ℟. Pro- Psal. 83.
tector noster aspice Deus: & respice super seruos tuos. ℣. Domine Deus virtutum exaudi preces seruorum tuorum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRotector noster aspice Deus: vt qui malorum nostrorum pondere premimur, percepta misericordia, libera tibi mente famulemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Machabæorum.

IN diebus illis: Orationem facie- 2. Mac. 1.
bant Sacerdotes, dum offerrent sacrificium pro populo Israel, Ionatha inchoante, ceteris autem respondentibus, & dicẽtibus: Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamẽti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium. Et det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & recõcilietur vobis: nec vos deserat in tempore

pore

pore malo, Dominus Deus noster.
Psal. 89. ℟. Conuertere Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos. ℣. Domine refugium factus es nobis à generatione & progenie. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

ADesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris: vt esse, te largiente, mereamur & inter prospera humiles, & inter aduersa securi. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 36. MIserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum: & immitte timorem tuum super gentes, quæ nõ exquisierunt te: cognoscant, quia non est Deus, nisi tu: vt enarrent magnalia tua. Alleua manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in illis: vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te Domine. Innoua signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduersarium, & afflige inimicum. Festina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua, Domine Deus
Psal. 140. noster. ℟. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuste prò peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominũm nostrum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit mediũ fornacis, quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffusa est super fornacem cubitis quadraginta nouem, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros regis, qui eam incendebant. Illos autem omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes. Dan. 3.

Hymnus.

BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Et benedictũ nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudabile, & gloriosum in sæcula. ℣. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super sceptrum diuinitatis tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es qui sedes super Cherubim, intuens abyssos. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedicant te omnes Angeli & sancti tui, Laudabilem, & gloriosum in sæcula. ℣. Benedicant te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, Laudabilẽ, & gloriosum in sæcula. ℣. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, Laudabili, & glorioso Dan. 3.

rioſo in ſæcula. ℣. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Et laus, & honor, & poteſtas, & imperium. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Dominus vobiſcum. Oremus. ſine Flectamus genua. Oratio.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum noſtrum. Secunda, de B. Virgine. Tertia. Eccleſiæ.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

1. Th. 5. FRatres: Rogamus vos, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermiſſione orate. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate, quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia; vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri

Pſal. 116. Ieſu Chriſti ſeruetur. Tractus. Laudate Dominum omnes gentes: & collaudate eum omnes populi. ℣. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Euangelium. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, vt in ſequenti Miſſa.

Offertorium. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te: intret oratio mea in conſpectu tuo Domine. Pſal. 87. Secreta.

PRæſentibus ſacrificijs, quæſumus Domine, ieiunia noſtra ſanctifica: vt quod obſeruantia noſtra profitetur extrinſecus, interius operetur. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Domine Deus meus in te ſperaui: libera me ab omnibus perſequentibus me, & eripe me. Pſ. 7. Poſtcommunio.

SAnctificationibus tuis omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per Dominum. Oratio ſuper Populum hac die non dicitur.

DOMINICA II. In Quadrageſima. Officium.



REminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiæ tuæ, quæ à ſæculo ſunt: ne vmquam dominētur nobis inimici noſtri: libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtijs noſtris. Pſal. 24. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui: interius, exteriuſq. cuſtodi: vt & ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

1. Th. 4. FRatres: Rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, vt quē- admo-

admodum accepistis à nobis quomodo vos oporteat ambulare,& placere Deo, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorãt Deum: & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, In Christo Iesu Domino nostro. Tractus. De necessitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam,& laborem meum:& dimitte omnia peccata mea. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei. ℣. Etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur: cõfundantur omnes facientes vana. Alter Tractus. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. ℣. Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? ℣. Beati qui custodiunt iudicium: & faciunt iustitiam in omni tempore. ℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

Psal. 24.

Psal. 105.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Cap. 17.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montẽ excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descẽdentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. Credo. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi. Psal. 118.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus Domine quæsumus, intende placatus: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus: quoniam ad te orabo Domine. Psal. 5.

Postcommunio.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus: vt quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deseruire concedas. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

FERIA SECVNDA.

Officium.



Psal. 25. Edime me Domine, & miserere mei, pes enim meus stetit in via recta: in ecclesijs benedicam Dominum. ℣. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans, non infirmabor. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt familia tua, quæ se, affligendo carnem, ab alimentis abstinet: sectando iustitiam, à culpa ieiunet. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 9. IN diebus illis: Orauit Daniel ad Dominum, dicens: Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de Terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus. Domine in omnem iustitiam tuam, auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ierusalem, & à monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum Ierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Domine Deus noster orationem serui tui, & preces eius: & ostende faciē tuam super Sanctuarium tuum, quod desertum est. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatē super quā inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuū, Domine Deus noster. ℟. Adiutor meus, & liberator meus esto: Domine ne tardaueris. Psal. 69. ℣. Confundantur, & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meā. Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. Psal. 102. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipēt nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. Psal. 78. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui. Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 8. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principiū, qui

qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui,& iudicare: sed qui misit me,verax est:&ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.Et non cognouerunt quia Patrẽ eius dicebat Deũ. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit,mecum est,& non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Offertorium.

Psal. 15. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum:prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Secreta.

HAec hostia Domine placationis & laudis,tua nos protectione dignos efficiat. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio.

Psal. 8. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!

Postcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & cælestis remedij faciat esse consortes. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Officium.

Psal. 26. TIbi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me. ℣. Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

PErfice, quæsumus Domine, benignus in nobis obseruantiæ sanctæ subsidium: vt quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus. Per Dominum. Secunda, de Beato Dominico. Tertia. Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens: Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Surrexit, & abijt in Sarephta. Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna,& vocauit eam,dixitq. ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumq. illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius,dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus,quia non habeo panẽ,nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait:Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum,& affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque in diem, in qua

datutus

daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius. Et ex illa die, hydria farinæ non defecit: & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbũ Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. ℟. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. ℣. Dũ clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam, ab ijs qui appropinquant mihi. Psal. 54.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 23. IN illo tempore: Locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite: secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini magistri: quia Magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Offertorium. Miserere mei Domine, secundum magnam misericordiam tuam: dele Domine iniquitatem meam. Psal. 50.

Secreta.

SAnctificationem tuam nobis Domine his mysterijs operare placatus: quæ nos & à terrenis purget vitijs, & ad cælestia dona perducat. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Narrabo omnia mirabilia tua: lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo Altissime. Psal. 9. Postcommunio.

VT sacris Domine reddamur digni muneribus, fac nos tuis, quæsumus, semper obedire mandatis. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus: vt remissione percepta, in tua semper benedictione lætemur. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Officium.



NE derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas à me: intende in adiutorium meum, Domine virtus salutis meæ. Psal. 37. ℣. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

POpulum tuum Domine propitius respice: & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, à noxijs quoque vitijs cessare concede. Per. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. A cunctis.

Lectio

Lectio Libri Esther.

Esth. 13. IN diebus illis: Orauit Mardochæus ad Dominum, dicens: Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Si decreueris saluare nos, continuo liberabimur. Tu enim Domine fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Tu es Dominus omnium, & non est qui resistat maiestati tuæ. Et nunc Domine Rex regum, Deus Abraham, miserere populo tuo: quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quã redemisti tibi: sed exaudi deprecationem nostram, & propitius esto sorti, & funiculo hereditatis tuæ. Et cõuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ne claudas ora canentium te, Domine Deus noster.

Ps. 27. ℟. Saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ. ℣. Ad te Domine clamaui, Deus meus ne sileas à me: & ero similis descendentibus in lacũ.

Ps. 10. Tractus. Domine, non secundũ peccata nostra facias nobis: neq. secundum iniquitates nostras retribuas no

Ps. 7. bis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 20. IN illo tempore: Ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cũ filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis. Offertorium. Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur. Ps. 24.

Secreta.

HOstias, quæsumus Domine, quas tibi offerimus, propitius respice: & per hæc sancta commercia

cia vincula peccatorum nostrorum absolue. Per Dominum nostrum.
Præfatio. Qui corporali ieiunio.
Psal. 10. Communio. Iustus Dominus, & iustitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Postcommunio.

SVmptis Domine sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DEus, innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda seruorum: vt Spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominum. eiusdem.

FERIA QVINTA.

Officium.

Psal. 69. DEus in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuandum me festina: confundantur, & reuereãtur inimici mei, qui quærunt animam meã. ℣. Auertantur retrorsum, & erubescant, qui cogitant mihi mala. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: vt ieiunijs & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Secunda, de Sacramento. Tertia. Pretende.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Iere. 17. HAec dicit Dominus Deus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Prauum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuẽtionum suarum, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Propitius esto Domine Psal. 78. peccatis nostris: ne quando dicant gentes, Vbi est Deus eorum? ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos.

Sequentia Sancti Euangelij. Secundum Lucam.

Luc. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à lõge, &

ge, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hũc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Offertoriũ.
Exo. 32. Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: Quare Domine irasceris in populo tuo? parce iræ animæ tuæ: memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti dare terram fluentem lac, & mel. Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo.

Secreta.

PRæsenti sacrificio nomini tuo nos Domine ieiunia dicata sanctificent: vt quod obseruantia nostra profitetur exterius, interius operetur effectu. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio.
Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, dicit Dominus.

Postcommunio.

GRatia tua nos, quæsumus Domine, non derelinquat: quæ & sacræ nos deditos faciat seruituti, & tuam nobis opem semper acquirat. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ADesto Domine famulis tuis, & perpetuam benignitatem largire poscentibus: vt ijs, qui te auctore & gubernatore gloriantur, & congregata restaures, & restaurata conserues. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA.

Officium.

EGo autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor dum manifestabitur gloria tua. Psal. 16.
℣. Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationi meæ. Gloria. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt sacro nos purificante ieiunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias peruenire. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus.

Lectio Libri Genesis.

IN diebus illis: Dixit Ioseph fratribus suis: Audite somnium meũ quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius: Numquid Cap. 37.

rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorũ atque sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit. Aliud quoque somnium vidit, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me. Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant igitur ei fratres sui: pater vero rem tacitus cōsiderabat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait: Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem. Inuenitque eum vir errãtem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterẽ: dicemusque: Fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiamus animã eius, nec effundamus sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine: manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

℟. Ad Dominum cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. ℣. Domine, libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. *Psal. 119.* Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundũ iniquitates nostras retribuas nobis. *Psal. 102.* ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. *Psal. 78.* ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. *Matt. 21.* Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperẽt fructus eius. Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, aliũ occiderunt, alium vero lapidauerũt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suũ, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum, & habebimus heredita-

ditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderũt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem iustum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant. Offertorium. Domine, in auxilium meum respice: confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam, vt auferant eã. Psal. 39.

Secreta.

HAec in nobis sacrificia Deus & actione permaneant, & operatione firmentur. Per Dominum.

Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Communio. Tu Domine seruabis nos: & custodies nos à generatione hac in æternum. Psal. 11. Postcommunio.

FAc nos, quæsumus Domine, accepto pignore salutis æternæ, sic tendere congruenter, vt ad eam peruenire possimus. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DA quæsumus Domine, populo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per Dominum.

SABBATO.

Officium.



LEx Domini irreprehensibilis, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Psal. 17. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

DA quæsumus Domine, nostris effectum ieiunijs salutarem: vt castigatio carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum. Secunda, de B. Virgine. Tertia. Ecclesiæ.

Lectio Libri Genesis.

IN diebus illis: Dixit Rebecca filio suo Iacob: Audiui patrem tuũ loquẽtem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequã moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce consilijs meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquã moriatur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum Gen. 27.

tum

tum audi vocem meam, & pergens, affer quæ dixi. Abijt, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, sicut nouerat velle patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio: Quis es tu fili mi? Dixitque Iacob: Ego sum Esau primogenitus tuus: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt cito mihi occurreret quod volebam. Dixitque Isaac: Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrẽ, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille: Affer, inquit, mihi cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abun**dantiam frumenti, vini, & olei. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus:** esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus, priusquam tu venires? benedixique ei, & erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno: & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit: Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento, vino, & oleo stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam? Cui Esau: Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit

ad

ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.
Psal. 91. ℟. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. ℣. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiã. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionẽ longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriose. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrẽs cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam nõ sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quæ hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea, tua sunt: epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Offertorium.
Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Psal. 12.

Secreta.

HIs sacrificijs Domine concede placatus: vt qui proprijs oramus absolui delictis, non grauemur externis. Per Dominum nostrum.
Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Luc. 15. Communio. Oportet te fili gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Postcommunio.

SAcramenti tui, Domine, diuina libatio penetralia nostri cordis infundat: & sui nos participes potenter efficiat. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, cælesti etiam protectione muniatur. Per Dominum nostrum.

DOMINICA III.

Officium.



Psal. 24. OCuli mei semper ad Dominum: quia ipse euellet de laqueo pedes meos: respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Gloria Patri. Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostram dexteram tuæ maiestatis extende. Per Dominum. Secunda. Deus, qui charitatis, Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Eph. 5. FRatres: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autẽ, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Hoc autem scitote intelligentes: quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. ℟. Exurge Domine, non præualeat homo: iudicentur gentes in conspectu tuo. ℣. In conuertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua. Psal. 9.

Tractus. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. ℣. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum. ℣. Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ℣. Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. ℣. Miserere nobis Domine, miserere nobis. Psal. 122.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra do-

domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnũ ipsius, quia dicitis in Beelzebub eijcere me dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Et tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Credo.

Offertorium. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: & iudicia eius dulciora super mel & fauum: nam & seruus tuus custodit ea. Psal. 18.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta, & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum.

Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Communio. Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos: altaria tua Domine virtutũ, Rex meus & Deus meus: qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te. Psal. 83.

Postcommunio.

A Cunctis nos, quæsumus Domine, reatibus & periculis propitiatus absolue, quos tanti mysterij tribuis esse participes. Per Dominũ.

FERIA SECVNDA.

Officium.

IN Deo laudabo verbũ, in Domino laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. ℣. Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me. Gloria. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 55.

Oratio.

COrdibus nostris, quæsumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt sicut ab escis carnalibus abstinemus; ita sensus quoque nostros à noxijs retrahamus excessibus. Per Dominum nostrum Iesum.

Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis & diues, sed leprosus. Porro de Syria egressi fuerant latruncu- 4. Reg. 5.

li, & captiuam duxerant de Terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman: quæ ait ad dominam suam: Vtinam fuisset dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria: profectò curasset eum à lepra, quam habet. Ingressus itaque Naaman ad dominum suum & nunciauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de Terra Israel. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum, detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc, scito quòd miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum à lepra sua. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus sum ego, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Animaduertite, & videte quòd occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Elisæus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Cur scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat Prophetam esse in Israel. Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæi: misitque ad eum Elisæus nuncium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras; quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis? Descendit, & lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei: & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Vere scio, quòd non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. ℟. Deus vitam meam nunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. ℣. Miserere mihi Domine, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me. *Psal. 55.*

Tract. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secũdum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Psal. 102.* *Psal. 78.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. *Luc. 4*

sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephta Sidoniæ, ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium il-
Psal. 54. lorum, ibat. Offertorium. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me. Secreta.

MVnus, quod tibi Domine nostræ seruitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Præfatio. Qui corporali ieiu-
Psal. 13. & 52. nio. Communio. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.


Super Populum. Oratio.

SVbueniat nobis Domine misericordia tua: vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante saluari. Per Dominum.

M. P.

FERIA TERTIA.

Officium.



EGo clamaui, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me. ℣. Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam. Gloria. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio. Psal. 16.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum nostrum. Secunda, de Beato Dominico. Tertia. Concede quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Mulier quædam clamabat ad Elisæum Prophetã, dicẽs: Seruus tuus vir meus mortuus est: & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Cui dixit Elisæus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo vngar. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingredere, & claude ostiũ tuum, cum intrinsecus fueris tu, & filij tui; & mitte inde in omnia vasa hæc: & cum plena fuerint, tolles. Iuit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad 4. Re. 4.

filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de
Psal. 18. reliquo. ℟. Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo. ℣. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 18. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies: sed vsque septuagies septies. Offertorium. Dextera
Psal. 117. Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

Secreta.

PEr hæc veniat, quæsumus Domine, sacramenta nostræ redemptionis effectus: qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria dona perducat. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Psal. 14. Postcommunio.

SAcris Domine mysterijs expiati, & veniam, quæsumus, consequamur, & gratiam. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

TVa nos Domine protectione defende: & ab omni semper iniquitate custodi. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Officium.



EGo autem in Domino sperabo: exultabo, & lætabor in tua misericordia: quia respexisti humilitatem meam. Psal. 30.
℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, vt salutaribus ieiunijs eruditi: à noxijs quoque vitijs abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine. Tertia. A cunctis.

Lectio

Lectio Libri Exodi.

Exo. 20. HAec dicit Dominus Deus: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non loqueris cõtra proximum tuum falsum testimonium: Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem eius: non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitũ buccinæ, montemque fumigantem: & perterriti ac pauore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Dixitque præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filijs Israel: Vos vidistis, quòd de cælo locutus sum vobis. Non facietis deos argẽteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta, & pacifica vestra, oues vestras, & boues, in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei. ℟.

Ps. 6. Miserere mihi Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine. ℣. Cõturbata sunt omnia ossa mea: & anima mea turbata est valde. Tractus.

Psal. 102. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Ps. 78. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorũ? non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nã Deus dixit: Honora patrem, & matrem. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrẽ suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et cõuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos: Matt. 15.

cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. Offert. Domine, fac mecum misericordiam tuam propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua. *Psal. 108.* Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum: & tua mysteria celebrantes ab omnibus nos defende periculis. Per Dominum nostrum Iesum.

Præfatio. Qui corporali ieiunio. *Psal. 15.* Communio. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo Domine. Postcommunio.

SAnctificet nos, Domine, qua pasti sumus, mensa cælestis: & à cunctis erroribus expiatos, supernis promissionibus reddat acceptos. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

COncede quæsumus omnipotens Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, secura tibi mente seruiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

FERIA QVINTA.

Officium.



SAlus populi ego sum, dicit Dominus: de quacumque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos: & ero illorum Dominus in perpetuum. ℣. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Psal. 77.* Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

COncede, quæsumus omnipotēs Deus: vt ieiuniorum nobis sancta deuotio & purificationem tribuat, & maiestati tuæ nos reddat acceptos. Per Dominum nostrum. Secunda de Sacramento. Tertia. Prætende.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominū. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bonas facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templū Domini, templū Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis iudicium inter virum & proximū eius, aduenæ & pupillo, & viduæ nō feceritis calumniā, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco isto, & post deos alienos non ambulaueritis in malū vobismetipsis: habitabo vobiscum *Iere. 7.*

cum

cum in loco isto,& in terra, quā dedi patribus vestris à sæculo, & vsque in sæculum, Ait Dominus omnipotens.
Psal. 144 ℟. Oculi omnium in te sperant Domine:& tu das illis escā in tēpore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuā:& imples omne animal benedictione.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 4 IN illo tempore: Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis: socrus autē Simonis tenebatur magnis febribus:& rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febri:& dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christū. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ. Offertorium. Si ambulauero
Psal. 137. in medio tribulationis, viuificabis me Domine:& super iram inimicorum meorum extendes manum tuam:& saluū me fecit dextera tua. Secreta.

EFficiatur hæc hostia, quæsumus Domine, solemnibus grata ieiunijs: & vt tibi fiat acceptior, purificatis mentibus immoletur. Per Dñm. Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Communio. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Psal. 118. Postcommunio.

SAcramenti tui Domine veneranda perceptio, & mystico nos mūdet effectu, & perpetua virtute defendat. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

SVbiectum tibi populum, quæsumus Domine, propitiatio cælestis amplificet: & tuis semper faciat seruire mandatis. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Officium.

FAc mecum Domine signum in bonum: vt videant qui me oderunt, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me. ℣. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego. Gloria. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 85.

Oratio.

IEiunia nostra, quæsumus Domine, benigno fauore prosequere: vt sicut ab alimentis abstinemus in corpore: ita à vitijs ieiunemus in mente. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Libri Numeri.

IN diebus illis: Conuenerunt filij Israel aduersum Moysen & Aaron: & versi in seditionem, dixerunt: Date nobis aquam, vt bibamus. Ingressique Moyses, & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum Num. 20.

foede-

fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atq. dixerunt: Domine Deus exaudi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere? Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumẽta. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis. ℟. In Deo sperauit cor meum, & adiutus sum: & refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor illi. ℣. Ad te Domine clamaui: Deus meus ne sileas, ne discedas à me. Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Psal. 27. Psal. 102. Psal. 80.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 4.

IN illo tempore: Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli autem eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donũ Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum istum: & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

Re-

Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, Quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti. Dicit ei mulier: Domine, vt video, Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli eius: & mirabãtur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli adinuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iã ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum, Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelã credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est vere Saluator mũdi. Offertorium. Intende voci orationis meæ, rex meus, & Deus meus: quoniam ad te orabo Domine. Psal. 5.

Secreta.

RESpice, quæsumus Domine, propitius ad munera quæ sacramus: vt & tibi grata sint, & nobis salutaria semper existant. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Qui biberit aquã, quam ego dabo ei, dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ioan. 4. Postcommunio.

HVius nos Domine perceptio sacramenti mundet à crimine: & ad

& ad cælestia regna perducat. Per Dominum. O remus. H umiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui in tua protectione confidimus: cuncta nobis aduersantia, te adiuuante, vincamus. Per Dominum nostrum.

SABBATO.

Officium.

Psal. 5. ERBA mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ. ℣. R ex meus, & Deus meus. G loria Patri. Dominus vobiscum. O remus. F lectamus genua. L euate. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui se, affligendo carnem, ab alimentis abstinent: sectando iustitiam, à culpa ieiunent. Per Dominum nostrum. Secunda, de B. Virgine. Tertia. E cclesiæ.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 13. IN diebus illis: Erat vir in Babylone, & nomen eius Ioachim: & accepit vxorem nomine Susannam, filiam Helchiæ, pulchram nimis, & timentem Deum: parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Erat autem Ioachim diues valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ: & ad ipsum confluebant Iudæi, eo quòd esset honorabilior omnium. Et constituti sunt duo senes iudices in anno illo: de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Ioachim, & veniebāt ad eos omnes, qui habebant iudicia. Cum autem populus reuertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius: & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Factum est autem, cum obseruarent diem aptum, quando eam possent inuenire solam, ingressa est aliquando sicut heri & nudiustertius cum duabus solis puellis, voluitque lauari in pomario: æstus quippe erat: & non erat ibi quisquam præter duos senes absconditos, & contemplantes eam. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & in concupiscentia tui sumus: quamobrem assentire nobis, & commiscere nobiscum: quòd si nolueris, dicemus testimonium contra te, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causam emiseris puellas à te. Ingemuit Susanna, & ait: Angustiæ sunt mihi vndique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, nō effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absq. opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Et exclamauit voce magna Susanna: exclamauerunt autem & senes aduersus eā. Et cucurrit vnus, & ape-

& aperuit ostia pomarij. Cum autem audissent clamorem in pomario famuli domus, irruerunt per posticum vt viderent quidnam esset. Postquã autem senes locuti sunt, erubuerunt serui vehementer: quia numquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. Cumque venisset populus ad virum eius Ioachim, venerunt & duo seniores pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam vt interficerent eam. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helchiæ vxorẽ Ioachim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus, & filijs, & vniuersis cognatis suis. Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant eam. Consurgentes autem duo seniores in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius. Quæ flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et dixerunt seniores: Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus solis puellis, & clausit ostia pomarij, & dimisit à se puellas. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Porro nos cum essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri. Et illum quidem nequiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & aperto ostio exiliuit: hanc autem cum apprehendissemus, interrogauimus quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis: huius rei testes sumus. Credidit eis multitudo quasi senioribus, & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem. Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt aduersum me. Exaudiuit autem Dominus vocem eius. Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel: & exclamauit voce magna, & dixit: Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum, dixit: Quis est sermo iste, quem tu locutus es? Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est ergo populus cum festinatione. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, & dijudicabo eos. Cum ergo diuisi essent alter ab altero, vocauit vnum de eis, & dixit ad eum: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius, iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimẽs, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquẽtes sibi. Qui ait: Sub schino. Dixit autem Daniel: Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Domini accepta sententia ab eo, scindet te medium. Et amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, &

con-

concupiscentia subuertit cor tuum: sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Daniel: Recte mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus duos seniores, (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut male egerant aduersus proximum: & interfecerunt eos. Et saluatus est sanguis innoxius in die
Psal. 22. illa. ℟. Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es Domine. ℣. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 8. IN illo tempore: Perrexit Iesus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum: & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In Lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebāt tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum inclinans se, scribebat in terra. Audientes autem vnus post vnū exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: vade, & iam amplius noli peccare. Offertorium. Gressus Psal. 118.
meos dirige secundum eloquium tuum: vt non dominetur mei omnis iniustitia, Domine. Secreta.

CONcede quæsumus omnipotēs Deus: vt huius sacrificij munus oblatum fragilitatem nostram ab omni malo purget semper, & muniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Cōmunio. Nemo Ioan. 8.
te condemnauit mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo: iam amplius noli peccare.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: inter eius membra numeremur, cuius corpori communicamus, & sanguini. Qui tecum viuit. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

PRætende Domine fidelibus tuis dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

DO-

DOMINICA IIII.

Officium.

Isai. 66. LAetare Ierusalem: & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis: vt exultetis, & satiemini ab vberibus consolationis vestræ. ℣. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Gloria Patri & Filio.

Psal. 121.

Oratio.

COncede, quæsumus omnipotēs Deus: vt qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum.

Secunda. Deus, qui charitatis.

Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Gal. 4. FRatres: Scriptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans: quæ est Agar: (Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem) & seruit cum filijs suis. Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius, quæ habet virum. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit. ℟. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. ℣. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. Psal. 121.

Tractus. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem. ℣. Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Psal. 124.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 6. IN illo tempore: Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: & sequebatur eū multitudo magna: quia videbant signa, quæ faciebat super ijs, qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo Iesus: Facite homi-

homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt ijs, qui manducauerant. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Psal. 134. Credo. Offertorium. Laudate Dominum, quia benignus est: psallite nomini eius quoniam suaue est: omnia quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, Domine quæsumus, intende placatus: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum nostrum.

Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Psal. 121. Communio. Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum: illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini tuo Domine.

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus misericors Deus: vt sancta tua, quibus incessanter explemur, sinceris tractemus obsequijs, & fideli semper mente sumamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

FERIA SECVNDA.

Officium.



DEus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me: Deus exaudi orationem meã. Psal. 53. ℣. Quoniam alieni insurrexerunt in me: & fortes quæsierunt animam meam. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt obseruationes sacrasanua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Venerunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, steteruntque coram eo, quarum vna ait: Obsecro, mi domine, ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo. 3. Re. 3. Tertia vero die postquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus simul, nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppressit eum. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Cumque surrexissem mane vt darem lac filio meo, apparuit mortuus:

quem

quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum, quem genueram. Responditq. altera mulier: Non est ita: sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus est: & ista respondet, Nõ, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumq. attulissent gladium corã rege: Diuidite, inquit, infantem viuũ in duas partes, & date dimidiã partem vni, & dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad regem: (cõmota sunt quippe viscera eius super filio suo.) Obsecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E cõtrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur. Respondit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & nõ occidatur: hæc est enim mater eius. Audiuit itaque omnis Israel iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regẽ, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudiciũ.

Psal. 30 ℟. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij: vt saluum me facias. ℣. Deus in te speraui: Domine non confundar in æternum. Tract.

Psal. 102. Domine, nõ secundũ peccata nostra facias nobis: neque secundũ iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Psal. 78. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 2. IN illo tempore: Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam: & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebãt, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Recordati vero sunt discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderũt Scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

Psal. 99. Offertor. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia: intrate in conspectu eius in exultatione: quia Dominus ipse est Deus. Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificiũ viuificet nos sẽper, & muniat. Per Dominum nostrum. Præfatio.

Psal. 18. Qui corporali. Communio. Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo.

Postcommunio.

SVmptis Domine salutaribus sacramentis, ad redẽptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum. Oremus.

Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DEprecationem nostram, quæsumus Domine, benignus exaudi: & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Officium.

Psal. 54. Xaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intẽde in me, & exaudi me. ℣. Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

SAcræ nobis, quæsumus Domine, obseruationis ieiunia, & piæ cõuersationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Dominum. Secunda, de Beato Dominico. Tertia. Cõcede, quæsumus omnipotens Deus, vt intercessio.

Lectio Libri Exodi.

IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Descende de monte, quia peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti. Recesserunt cito de via, quã ostẽdisti eis: feceruntq. sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Aegypti. Rursumq. ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos: faciamq. te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de Terra Aegypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne, quæso, dicant Aegyptij: Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abrahã, Isaac, & Israel seruorum tuorũ, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eã semper. Placatusq. est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Et misertus est populo suo Dominus Deus noster. ℟. Exurge Domine, fer opem nobis: & libera nos propter nomen tuum. ℣. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Sequen-

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 7. IN illo tẽpore: Iam die festo mediante, ascẽdit Iesus in templum, & docebat: & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriã quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo docens in templo Iesus, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum. Offertorium. Expectans expectaui Dominum, & respexit me, & exaudiuit deprecationem meam: & immisit in os meum canticũ nouum, hymnum Deo nostro. Psal. 39.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesq. sanctificet. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali. Communio. Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Psal. 19.

Postcommunio.

HVius nos Domine perceptio sacramenti mundet à crimine: & ad cælestia regna perducat. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

MIserere Domine populo tuo: & continuis tribulationibus laborantem, propitius respirare concede. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Officium.



CVm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris: & effundam super vos aquam mundã, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: & dabo vobis spiritum nouum. Ezech. 36.

Psal. 33. nouum. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Gloria. Non dicitur. Dominus vobiscum. sed, Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

DEus, qui & iustis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniã præbes: miserere supplicibus tuis: vt reatus nostri cõfessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetæ

Ezech. 36. HAec dicit Dominus Deus: Sãctificabo nomen meũ magnũ: vt sciant gentes quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram. Et effundã super vos aquã mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritũ nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Venite filij, audite me: Psal. 33. timorẽ Domini docebo vos. ℣. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt quos ieiunia votiua castigant, ipsa quoque deuotio sancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cælestia capiamus. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. A cunctis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus Deus: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorũ: populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. ℣. Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Tract. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriã nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Præteriens Iesus vidit hominem cæcũ à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius:

eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestētur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Hæc cū dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abijt ergo, & lauit, & venit videns. Itaq. vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autē: Nequaquam, sed similis eius est. Ille vero dicebat: Quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutū fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abij, & laui, & vidi. Dixerunt ergo ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat: & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nūc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cum cæcus essem, modo video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis, quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis cultor Dei est, & voluntatem eius facit,

hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cũ inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecũ, ipse est. Et ille ait: Credo Domine. * Et procidens adorauit eum.

*Hic genuflectitur.

Offert. Benedicite gentes Dominum Deum nostrum, & obaudite vocem laudis eius: qui posuit animã meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos: benedictus Dominus, qui non amouit deprecationẽ meam, & misericordiã suam à me. *Psal. 65.* Secreta.

SVpplices te rogamus, omnipotẽs Deus, vt his sacrificijs peccata nostra mundentur: quia tunc veram nobis tribuis & mentis & corporis sanitatem. Per Dominum.

Præfatio. Qui corporali ieiunio.

Communio. Lutũ fecit ex sputo Dominus, & liniuit oculos meos: & abij, & laui, & vidi, & credidi Deo. *Io. 9.*

Postcommunio.

SAcramenta, quæ sumpsimus Domine Deus noster, & spiritualibus nos repleant alimentis, & corporalibus tueantur auxilijs. Per Dominum.

Oremus. Humiliate capita vestra Deo. Super Populum. Oratio.

PAteant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantiũ: & vt petentibus desiderata cõcedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Officium.



LAetetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. *Psal. 104.* ℣. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt quos ieiunia votiua castigant, ipsa quoque deuotio sancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cælestia capiamus. Per Dominum. Secunda de Sacramento. Tertia. Prætende.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Venit mulier Sunamitis ad Elisæum in montem Carmeli: cumque vidisset eã vir Dei de contra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa: vade ergo in occursum eius, & dic ei: Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit: Recte. Cumq. venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius: & accessit Giezi vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quæ dixit illi: Numquid petiui filium à domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me? Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi: & pones

4. Reg. 4.

baculum

baculum meum super faciem pueri. Porro mater pueri ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculũ super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus. Reuersusq. est in occursum eius, & nunciauit ei, dicens: Non surrexit puer. Ingressus est ergo Elisæus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius: ingressusque clausit ostium super se, & super puerum: & orauit ad Dominum. Et ascendit, & incubuit super puerum: posuitq. os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eũ, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus, deambulauit in domo, semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitq. oculos. At ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filiũ tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram: tulitq. filium suum, & egressa est: Elisæus vero reuersus est in Galgala. ℟. Respice
Psal. 73. Domine in testamentum tuũ: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. ℣. Exurge Domine, & iudica causam tuam: memor esto opprobrij seruorum tuorum.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Lucam.

Luc. 7. IN illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabãt Deũ, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam. Offertor. Domine ad Psal. 69. adiuuandum me festina: confundantur omnes qui cogitãt seruis tuis mala.

Secreta.

PVrifica nos misericors Deus: vt Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Psal. 70. Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius: Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque in senectam, & senium: Deus ne derelinquas me.

Postcommunio.

CAelestia dona capiẽtibus, quæsumus Domine, non ad iudiciũ prouenire patiaris, quæ fidelibus tuis ad remedium prouidisti. Per Dominum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

POpuli tui Deus institutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle: vt semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate &c.

FERIA SEXTA.

Officium.

Psal. 18. Editatio cordis mei in conspectu tuo semper: Domine adiutor meus, & redemptor meus. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

DEus, qui ineffabilibus mundum renouas sacramentis: præsta, quæsumus, vt Ecclesia tua et æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxilijs. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Libri Regum.

3. Reg. 17. IN diebus illis: Aegrotauit filius mulieris matris familias, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitq. eum de sinu illius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectum suum: & clamauit ad Dominũ, & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, clamauitque ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur, obsecro, anima pueri huius in viscera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ: & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitq. Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domũ, & tradidit matri suæ, & ait illi: En viuit filius tuus. Dixitq. mulier ad Eliam: Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est. ℟. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. ℣. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Tract. Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Psal. 117. Psal. 102. Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 11. IN illo tempore: Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororũ eius. (Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus: deinde post

post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymā quasi stadijs quindecim.) Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cum hæc dixisset, abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa autem vt audiuit, surrexit cito, & venit ad eum: nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in loco illo, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, & exijt, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumētum, vt ploret ibi. Maria ergo, cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lacrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæcinati, facere vt & hic nō moreretur? Iesus ergo rursum fremēs in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi quoniā si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis oculis sursum, dixit:

Pater,

Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & finite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Offertor. Populum humilem saluum facies Domine: & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine?

Psal. 17.

Secreta.

MVnera nos, Domine quæsumus, oblata purificent: & te nobis iugiter faciant esse placatum. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Videns Dominus flentes sorores Lazari ad monumentum, lacrymatus est coram Iudæis, & clamauit: Lazare veni foras. Et prodijt ligatis manibus, & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus.

Ioan. 11.

Postcommunio.

HAec nos, quæsumus Domine, participatio sacramenti, & à proprijs reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui infirmitatis nostræ conscij, de tua virtute confidimus: sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dominum nostrum.

SABBATO.

Officium.



SItientes venite ad aquas, dicit Dominus: & qui non habetis pretium, venite, & bibite cum lætitia. ℣. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Gloria Patri. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Isaie 55. *Psal. 77.*

Oratio.

FIat Domine quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt suscepta ieiunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum nostrum. Secunda de B. Virgine. Tertia Ecclesiæ tuæ.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui; & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas: vt diceres his, qui vincti sunt: Exite, & his, qui in tenebris: Reuelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi. Laudate cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus

Isaie 49.

minus oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui, Dicit Dominus omnipotens. R. Tibi Domine derelictus est pauper: pupillo tu eris adiutor. ℣. Vt quid Domine recessisti longe: despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Cum superbit impius, incenditur pauper.

Psal. 9.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 8.

IN illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumẽ vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quò vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quemquam: & si ego iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. Et in Lege vestra scriptum est: Quia duorũ hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimoniũ perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.

Offertor. Factus est Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus: sperabo in eum. Psal. 17.

Secreta.

OBlationibus nostris, quæsumus Domine, placare susceptis: & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum. Præfatio. Qui corporali ieiunio. Communio. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me. Psal. 22.

Postcommunio.

TVa nos, quæsumus Domine, sancta purificent: & operationis suæ remedio tibi placitos esse perficiant. Per Dominum nostrũ. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

DEus, qui sperantibus in te misereri potius eligis, quàm irascẽda nobis digne flere mala quæ fecimus: vt tuæ consolationis gratiam inuenire mereamur. Per Dominum.

D O M I N I C A
In Passione. Officium.

IVdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso eripe me: quia tu es Deus meus, & fortitudo mea. ℣. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Non dicitur. Gloria Patri. sed reincipitur. Iudica me Deus. vsque ad ℣. exclusiue. Quod obseruandum est in omnibus Officijs vsque ad Pascha, nisi in Missis de Sanctis. Oratio. Psal. 42.

Quæ-

QVæsumus omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice: vt te largiente, regatur in corpore: & te seruante, custodiatur in mente. Per Dominum. Secunda. Deus, qui charitatis. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 9. FRatres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, idest, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per propriũ sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quãto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctũ semetipsum obtulit immaculatũ Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente in redemptionẽ earum præuaricationum, quæ erãt sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hereditatis, In Christo Iesu Domino nostro.

Psal. 142. ℟. Eripe me Domine de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam. ℣. Liberator meus Domine de gentibus iracundis: ab insurgentibus in me libera me: à viro iniquo eripies me. Tractus. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. ℣. Dicat nunc Israel: Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea. ℣. Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricauerũt peccatores. ℣. Prolongauerunt iniquitatem sibi: Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.

Psal. 17.

Psal. 128.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 8. IN illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt igitur Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmoniũ non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: Pater meus, qui glorificat me, quẽ vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouistis eum: ego autem noui eũ: & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonẽ eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis

Iesus:

Ieſus: Amen, amen dico vobis, Antequam Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Credo. Offertorium. Pſal. 116. Cõfitebor tibi Domine in toto corde meo: retribue ſeruo tuo: viuam, & cuſtodiam ſermones tuos: viuifica me ſecundum verbum tuum Domine.

Secreta.

HAec munera, quæſumus Domine, & vincula noſtræ prauitatis abſoluant, & tuæ nobis miſericordiæ dona concilient. Per Dominum noſtrum. Præfatio. Qui ſalutem. Communio. 1. Cor. 11. Hoc corpus, quod pro vobis tradetur, hic calix noui teſtamenti eſt in meo ſanguine, dicit Dominus: hoc facite, quotieſcumq. ſumitis, in meam commemorationẽ.

Poſtcommunio.

ADeſto nobis Domine Deus noſter: & quos tuis myſterijs recreaſti, perpetuis defende ſubſidijs. Per Dominum noſtrum.

FERIA SECVNDA.

Officium.

Pſal. 55. MIſerere mihi Domine, quoniã conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me. ℣. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me. Miſerere mihi. Dominus vobiſcum. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

SAnctifica quæſumus Domine noſtra ieiunia: & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum. Secunda. Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum. Tertia. Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Ionæ Prophetæ.

IN diebus illis: Factum eſt verbũ Domini ad Ionam Prophetam ſecundo, dicens: Surge, & vade in Niniuem ciuitatem magnã, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et ſurrexit Ionas, & abijt in Niniuem iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere dierum trium. Et cœpit Ionas introire in ciuitatẽ itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Dominum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo: & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiãtur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt populo ſuo Dominus Deus noſter. ℟. Deus exaudi orationem meã: auribus percipe verba oris mei. ℣. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me.

Tractus.

Pſal. 102. Tractus. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memi-
Pſal. 78. neris iniquitatum noſtrarũ antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Io. 7. IN illo tempore: Miſerunt principes, & Phariſæi miniſtros vt apprehenderent Ieſum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui miſit me. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos: Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gẽtes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire? In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluẽt aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acce-
Pſal. 6. pturi erant credentes in eũ. Offertor. Domine cõuertere, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Secreta.

Concede nobis Domine Deus noſter: vt hæc hoſtia ſalutaris, & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio maieſtatis. Per Dominum noſtrum. Præfatio. Qui ſalutem. Communio. Domi- Pſal. 23.
nus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Poſtcommunio.


Sacramenti tui, quæſumus Domine, participatio ſalutaris, & purificationem nobis tribuat, & medelã. Per Dominũ noſtrũ. Oremus. Humiliate capita veſtra Deo.

Super Populum. Oratio.

Da quæſumus Domine populo tuo ſalutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur protectione defendi. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Officium.



Xpecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. ℣. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Expecta. Pſal. 26.
Dominus vobiſcum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

Noſtra tibi Domine quæſumus ſint accepta ieiunia: quæ nos expiando, gratia tua dignos efficiãt, & ad remedia perducant æterna. Per Dominum noſtrum. Secunda, de B. Dominico. Tertia. Cõcede quæſumus omnipotẽs Deus, vt interceſſio.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Congregati ſunt Dan. 14.
Babylonij ad regem, & dixerunt ei: Trade nobis Danielem, qui Bel deſtruxit, & draconem interfecit: alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehementer: & neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem.

Qui

Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi sex diebus. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis quotidie duo corpora, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Domine Deus meus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc cōfestim in locum suum. Venit ergo rex die septimo, vt lugeret Danielē: & venit ad lacum, & introspexit, & ecce Daniel sedens in medio leonū. Et exclamauit rex voce magna, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu. Illos autem, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo. Tunc rex ait: Paueant omnes habitātes in vniuersa terra Deū Danielis: quia ipse est saluator faciēs signa, & mirabilia in cælo, & in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum.

Psal. 42. ℟. Discerne causam meam Domine: & ab homine iniquo, & doloso eripe me. ℣. Emitte lucem tuā, & veritatē tuā: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In illo tempore: Ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autē in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis. Nemo quippe in occulto quidquam facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondū aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autē odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diē festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum: quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Nō, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. (Ioan. 7.)

Offertor. Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine: (Psal. 9.)

dum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 10.

IN illo tempore: Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hiems erat: & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego, & Pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in Lege vestra: quia Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autē facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis quia in me est Pater, & ego in Patre. Offertorium. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me Domine. Secreta.

Psal. 58.

ANnue misericors Deus: vt hostias placationis & laudis, sincero tibi deferamus obsequio. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Præfatio. Qui salutem. Communio. Lauabo inter innocentes manus meas, & circuibo altare tuum Domine: vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Psal. 25.

Postcommunio.

CAelestis doni benedictione percepta, supplices te Deus omnipotens deprecamur: vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit, & salutis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges: consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierẽ, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domũ tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere inter se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Offer. Super flumi- Psal. 136.
na Babylonis, illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.

Secreta.

DOmine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostræ subsidium condidisti, tuo quoque nomini munera iussisti dicanda constitui: tribue quæsumus, vt & vitæ nobis præsentis auxiliũ, & æternitatis efficiant sacramentum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui salutem. Communio. Memento verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea.

Postcommunio.

QVod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali, fiat nobis remedium sempiternum. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ESto, quæsumus Domine, propitius plebi tuæ: vt quæ tibi non placent, respuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mãdatorum. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA.

Officium.



MIserere mihi Domine, quoniam tribulor: libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & à persequentibus me: Domine non confundar, quoniam inuocaui te. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. Miserere. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio. Psal. 30.

COrdibus nostris, quæsumus Domine, gratiam tuam benignus infũde: vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quàm supplicijs deputemur æternis. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Dixit Ieremias: Domine, omnes qui te derelinquunt, Iere. 17.
confundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam derelique-

runt venam aquarum viuentium Dominum. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Vbi est verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis mihi tu formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequũtur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, Domine Deus

Psal. 34. noster. ℟. Pacifice loquebantur mihi inimici mei: & in ira molesti erant mihi. ℣. Vidisti Domine Deus meus:

Psal. 102. ne sileas, ne discedas à me. Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Psal. 78. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 11. IN illo tempore: Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gẽs pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Offertorium. Benedictus Psal. 118.
es Domine, doce me iustificationes tuas: & non tradas calumniantibus me superbis: & respondebo exprobrantibus mihi verbum.

Secreta.

PRæsta nobis misericors Deus: vt digne tuis seruire semper altaribus mereamur: & eorum perpetua participatione saluari. Per Dominũ. Præfatio. Qui salutem. Communio. Psal. 26.
Ne tradideris me Domine in animas persequentium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui: & mentita est iniquitas sibi.

Postcommunio.

SVmpti sacrificij, Domine, perpetua nos tuitio non derelinquat: & noxia semper à nobis cuncta depellat. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super populum. Oratio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus; liberati à malis omnibus, secura tibi mente seruiamus. Per Dominum nostrum.

SAB-

SABBATO.

Officium.

Psal. 30. 

Miserere mihi Domine, quoniam tribulor: libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorũ, & à persequentibus me: Domine non confundar, quoniã inuocaui te. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. Miserere. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRoficiat, quæsumus Domine, plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu: vt sacris actionibus erudita, quanto maiestati tuæ sit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum. Secunda, de Beata Virgine. Tertia. Ecclesiæ.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Ierem. 18.

IN diebus illis: Dixerunt impij Iudæi ad inuicem: Venite, cogitemus contra iustum cogitationes: non enim peribit lex à Sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta: venite, & percutiamus eũ lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius. Attende Domine ad me, & audi vocem aduersariorum meorum. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repente: quia foderunt foueam vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorũ aduersum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis, Domine Deus meus. ℟. Pacifice loquebantur mihi inimici mei: & in ira molesti erant mihi. ℣. Vidisti Domine, Deus meus ne sileas: ne discedas à me. Psal. 34.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 12.

IN illo tempore: Cogitauerunt Principes Sacerdotum vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diẽ festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc scripta erant de eo: & hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audie-

audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abijt. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum, & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, dicẽs: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me venit hæc vox, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) Respondit ei turba: Nos audiuimus ex Lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus: & abijt, & abscondit se ab eis. Offertor.

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas: & non tradas calumniantibus me superbis: & respondebo exprobrantibus mihi verbum. Psal. 118.

Secreta.

A Cunctis nos, quæsumus Domine, reatibus, & periculis propitiatus absolue: quos tanti mysterij tribuis esse participes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuũ.

Præfatio. Qui salutem.

Ne tradideris me Domine in animas persequentium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui: & mentita est iniquitas sibi. Psal. 26.

Postcommunio.

DIuini muneris largitate satiati, quæsumus Domine Deus noster: vt huius semper participatione viuamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

TVeatur, quæsumus Domine, dextera tua populum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat: vt consolatione præsenti, ad futura bona proficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

DOMINICA IN RAMIS Palmarum.

Finita Tertia, Prior cum cappa serica, & Diaconus cum Missali, & Subdiaconus cum libro Euangeliorum sericis induti, præcedentibus Acolythis in albis, sine cereis, in Chorum veniant. Et aqua benedicta more solito aspersa, Prior stans ante gradus Presbyterij, verso vultu ad altare, Diacono ante ipsum tenente Missale, ramos arborum super gradus Presbyterij à Sacrista collocatos, ita quòd sint ad dexteram Prioris, benedicat eo modo, quo dicuntur Orationes ad Horas.

Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotens sempiterne Redemptor, qui de cælis ad terram descendere, & ad passionem voluntatis tuæ venire dignatus es, vt humanum genus tuo pretioso sanguine liberares: adesto pijs Ecclesiæ tuæ votis, & supplicationibus nostris: tu enim Domine mansuetus, mansueti animalis aselli terga insidens, ad passionem redemptionis nostræ spontaneus aduenisti: cum tibi ramis arboreis occurrentibus discipulorum turbis certatim sterneretur via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurrerent plurimæ populorum cateruæ, resultantes pariter, & dicen-
Matt. 21. tes: Hosanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini: tibi in monte Olïueti, oliuarum ramis via
Gen. 7. & 8. constrata est. Tu quondam Noe in arca super vndas diluuij gubernasti, & columbæ ministerio per oliuæ ramum pacem terris redditam nuncia-
Gen. 28. ri voluisti. Sed & Iacob Patriarcha in mysterium gloriæ tuæ erigens lapidem, ex huius arboris ramis oleum benedictionis in cacumine tituli infundit, vnde vnxisti Reges, & Prophetas tuos: tu enim es Christus Dei, tibi competit fructus vnctionis & pacis, in cuius ineffabilem laudem Psal-
mista cecinit, dicens: Vnxit te Deus, Psal. 44.
Deus tuus oleo lætitiæ, & exultationis præ participibus tuis. Quapropter te Domine supplices deprecamur: vt bene ✠ dicas hos arborum ramos, quos tui famuli suis suscipientes manibus, in occursum tui properare, teque benedicere, & glorificare desi-
derant. Ecce Ierusalem sedens super Zac. 9.
asinum Rex mãsuetus aduenisti: ad-
ueni ergo, rogamus, & nobis, & in medium nostri consiste, vt te aduenire in nostris cordibus sentiamus: & qui nos tunc reparasti per Crucem, iterum lapsos repara per eandem beatissimam passionem. Oris nostri confessionem, ac ieiunij humiliationem libens suscipe; & fructum nos viriditatis habere concede: quatenus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi suauium fructuum vbertate placere: & sicut illi processerunt obuiam tibi cũ arboreis frondibus egressi, ita nos, te redeunte in secundo aduentu, cum palmis victoriæ læti mereamur occurrere, Saluator mundi: Qui cum Patre in vnitate Spiritus sancti viuis & regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finita Benedictione, Prior aspergat ramos aqua benedicta, altero Acolythorum aspersorium tribuente. Deinde Cantor ramum Priori offerens, incipiat Antiphonam. Pueri Hebræorum. Dum autem rami distribuuntur, cantentur sequentes Antiphonæ,

phonæ, videlicet Antiphona. Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino clamantes,& dicentes: Hosanna in excelsis.

Matt. 21. Antiph. Pueri Hebræorum vestimẽta prosternebant in via,& clamabãt, dicentes: Hosanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod si rami distributi non fuerint, dum cantantur istæ duæ Antiphonæ, repetantur quoties necesse fuerit. Distributis ramis, Diaconus, benedictione accepta, legat Euang. Cum appropinquasset. in loco, vbi Profestis diebus Euangeliũ legi consueuit: Acolythis,& Subdiacono more solito ordinatis, & illo qui delaturus est aquam benedictam, thuribulum tenente: vel ipso Subdiacono, si Conuersus aquam deferre debuerit. Dominus vobiscum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 21. IN illo tempore: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis,& venisset Bethphage ad montem Oliueti: tunc misit duos discipulos suos, dicẽs eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam,& pullum cum ea: soluite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam,& pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua,& eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Dum autem Euangelium legitur, Prior stet ad cornu dextrum altaris: Perlecto Euangelio fiat Processio: qua finita Prior cum Ministris in Sacristiam reuertatur. Et deposita cappa serica à Priore, assumptaque casula, & Missa inchoata, procedant more solito ad altare.

AD MISSAM.

Officium.



DOmine, ne longe facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam aspice: libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Psal. 21.

℣. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum. Domine.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & Crucem subire fecisti: concede propitius: vt & patientiæ ipsius habere documenta,& resurrectionis consortia mereamur. Per Dominum nostrũ Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

Hæc Oratio sola dicatur, nisi Memoria occurrerit.

Lectio

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Phil. 2.

FRatres: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu * omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorũ, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℟. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria assumpsisti me. ℣. Quàm bonus Israel Deus rectis corde! mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Tractus. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? ℣. Longe à salute mea verba delictorum meorum. ℣. Deus meus clamabo per diem, nec exaudies: in nocte, & non ad insipientiam mihi. ℣. Tu autem in sancto habitas, laus Israel. ℣. In te sperauerunt Patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos. ℣. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. ℣. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. ℣. Omnes qui videbant me, aspernabantur me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput. ℣. Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum. ℣. Ipsi vero considerauerunt, & conspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. ℣. Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. ℣. Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuersum semen Iacob magnificate eum. ℣. Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iustitiam eius. ℣. Populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Ad Passionem non petatur benedictio, nec deferantur luminaria, nec incensum, nec dicatur Dominus vobiscum. nec Gloria tibi Domine. nec signent se Fratres, sed inchoetur hoc modo.

* His genuflectitur.

Psal. 72.

Psal. 21.

Passio Domini nostri Iesu Christi Secundum Matthæum.

Matt. 26.

IN illo tempore. C Dixit Iesus discipulis suis: ✠ Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. C Tunc cõgregati sunt principes Sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebãt autem: S. Non in die festo. C Ne forte tumultus fieret in populo. Cũ autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: S. Vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum istud væneundari multo, & dari pauperibus. C Sciens autẽ Iesus, ait

ait illis: ✠ Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicumque prædicatũ fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. C Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis: S Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? C At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: S Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? C At Iesus dixit: ✠ Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. C Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, discũbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: ✠ Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. C Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: S Numquid ego sum Domine? C At ipse respondens, ait: ✠ Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. C Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: S Numquid ego sum Rabbi? C Ait illi: ✠ Tu dixisti. C Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: ✠ Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. C Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: ✠ Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. C Et hymno dicto, exierunt in Montem olиueti. Tũc dicit illis Iesus: ✠ Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergẽtur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. C Respondens autem Petrus, ait illi: S Et si omnes scãdalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. C Ait illi Iesus: ✠ Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. C Ait illi Petrus: S Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. C Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: ✠ Sedete hic donec vadam illuc, & orem. C Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit cõtristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: ✠ Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum. C Et progressus pusillum, procidit in faciẽ suam, orans, & dicens: ✠ Pater mi, si possibile est, trãseat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed

sicut

ſicut tu. ℂ Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: ✠ Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. ℂ Iterum ſecundo abijt, & orauit dicens: ✠ Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. ℂ Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio, eundem ſermonem dicens. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: ✠ Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. ℂ Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fuſtibus, miſſi à principibus Sacerdotum, & ſenioribus populi. Qui autem tradidit eũ, dedit illis ſignum, dicens: S Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. ℂ Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: S Aue Rabbi. ℂ Et oſculatus eſt eum. Dixitque illi Ieſus: ✠ Amice, ad quid veniſti? ℂ Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extẽdens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis Sacerdotum, amputauit auriculã eius. Tunc ait illi Ieſus: ✠ Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? ℂ In illa hora dixit Ieſus turbis: ✠ Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus comprehendere me? quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. ℂ Hoc autem totũ factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & ſeniores conuenerant. Petrus autem ſequebatur eum à longe, vſque in atrium principis Sacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cũ miniſtris, vt videret finem. Principes autẽ Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent: & nõ inuenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſime autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: S Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. ℂ Et ſurgens princeps Sacerdotum, ait illi: S Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? ℂ Ieſus autem tacebat. Et princeps Sacerdotũ ait illi: S Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. ℂ Dicit illi Ieſus: ✠ Tu dixiſti: verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedẽtem à dextris virtutis Dei, & venientẽ in nubibus cæli. ℂ Tunc princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: S Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? ℂ At

C At illi respondentes dixerunt: S Reus est mortis. C Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: S Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? C Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla, dicens: S Et tu cum Iesu Galilæo eras. C At ille negauit coram omnibus, dicens: S Nescio quid dicis. C Exeunte autem illo ianuã, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: S Et hic erat cum Iesu Nazareno. C Et iterum negauit cum iuramento: S Quia nõ noui hominẽ. C Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: S Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. C Tunc cœpit detestari, & iurare quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quo dixerat: Priusquam gallus cãtet, ter me negabis. Et egressus foras, fle-
Cap. 27. uit amare. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, quòd damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argẽteos principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: S Peccaui tradens sanguinem iustum. C At illi dixerunt: S Quid ad nos? tu videris. C Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: S Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. C Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturã peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldema, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiã Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quẽ appretiauerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrũ figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: S Tu es Rex Iudæorum? C Dicit ei Iesus: ✠ Tu dicis. C Et cũ accusaretur à principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: S Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? C Et non respondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur præses vehementer. Per diem autem solemnem consueuerat præses dimittere populo vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctũ insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis autem illis, dixit Pilatus: S Quem vultis dimittam vobis: Barabbã, an Iesum, qui dicitur Christus? C Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autẽ illo pro tribunali, misit ad illum vxor eius, dicens: S Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum per visum hodie propter eum. C Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis vt peterẽt Barabbam, Iesum vero perderent. Respondens autem præses, ait illis: S Quem vultis vobis de duobus dimitti? C At illi dixerũt: S Barabbam. C Dicit illis Pilatus: S Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur

tur Christus? C Dicunt omnes: S Crucifigatur. C Ait illis præses: S Quid enim mali fecit? C At illi magis clamabant, dicentes: S Crucifigatur. C Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: S Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis. C Et respondens vniuersus populus, dixit: S Sãguis eius super nos, & super filios nostros. C Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineã circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: S Aue Rex Iudæorum. C Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederũt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentẽ: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: S Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud: salua temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. C Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: S Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet eum nunc, si vult: dixit enim: Quia Filius Dei sum. C Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersã terrã vsque ad horam nonã. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: ✠ Eli, Eli, lamma sabacthani? C Hoc est: ✠ Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? C Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: S Eliam vocat iste. C Et continuo currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: S Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. C Iesus autem iterum clamãs voce magna, emisit spiritum. Hic pausatur aliquantulum, & genuflectitur. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora

San-

Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: S Vere Filius Dei erat iste. C Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erāt Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum sero autem factū esset, venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu: hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda: & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxū magnum ad ostium monumenti, & abijt. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

ALtera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Hic non debet Sacerdos osculari librum.

Credo. Offertorium. Improperium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Psal. 68.

Secreta.

COncede quæsumus Domine, vt oculis tuæ maiestatis munus oblatum, & gratiam nobis deuotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum Iesum. Præfatio. Qui salutem. Matt. 26.

Communio. Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Postcommunio.

PEr huius Domine operationem mysterij, & vitia nostra purgentur, & iusta desideria compleantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

FERIA SECVNDA.

Officium.



IVdica Domine nocētes me: expugna impugnantes me: apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium meum, Domine virtus salutis meæ. ℣. Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui persequuntur me. Iudica Domine. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Psal. 34.

Oratio.

DA quæsumus omnipotēs Deus: vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus: intercedente vnigeniti Filij tui passione respiremus. Qui tecum viuit, & regnat.

Secunda. Exaudi, quæsumus Domine,

mine supplicum. Tertia. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 50. IN diebus illis: Dixit Isaias: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellẽtibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. Iuxta est qui iustificat me, quis contradicet mihi? stemus simul, quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Deum, audiens vocem serui sui? Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur super Dominũ Deum suum. ℟. Exurge Domine, & intende iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in causam meam.

Psal. 34. ℣. Effunde frameam, & conclude aduersus eos qui me persequuntur.

Psal. 101. Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 12. ANte sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius: & domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non vænijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus: Sine illam, vt in die sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic esset: & venerũt, nõ propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

Offertorium. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. Psal. 142.

Secreta.

HAec sacrificia nos, omnipotẽs Deus, potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum Qui.

Præfatio. Qui salutem. Communio. Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur pudore, & reuerentia, qui maligna loquuntur aduersum me. Psal. 34.

Post-

Postcommunio.

PRæbeant nobis Domine diuinũ tua sancta feruorem: quo eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

ADiuua nos Deus salutaris noster: & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA TERTIA.

Officium.



Gal. 6. Os autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati, & liberati sumus. ℣. Deus
Psal. 66. misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri. Nos autem. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere: vt indulgẽtiam percipere mereamur. Per eundem Dominum nostrum.

Secunda, de Beato Dominico. Tertia. Concede, quæsumus omnipotens Deus.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Iere. 11. IN diebus illis: Dixit Ieremias: Domine demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorũ. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Venite, mittamus lignũ in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam, Domine Deus meus.
℟. Ego autem dum mihi molesti essent, induebam me cilicio: & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Psal. 34.
℣. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Non petatur benedictio, nec deferatur lumen, nec dicatur Dominus vobiscum. nec Gloria tibi Domine. nec signent se Fratres: sed hoc modo inchoetur.

Passio Domini nostri Iesu Christi Secundum Marcum.

IN illo tempore: C. Erat Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi Sacerdotes, & Scribæ quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: S. Non in die festo. C. Ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset Iesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput eius. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: S. Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud vænundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus. C. Et fremebant in eam. Iesus autem dixit: ✠ Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: semper enim pauperes habe- Mar. 14

habebitis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere: me autē non semper habebitis. Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis: Vbicumque prædicatum fuerit Euāgelium istud in vniuerso mundo, & quod hæc fecit, narrabitur in memoriā eius. C Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad sūmos Sacerdotes, vt proderet eū illis. Qui audientes gauisi sunt, & promiserūt ei pecuniā se daturos: & quærebat quomodo illum opportune traderet. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: S Quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? C Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: ✠ Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocumque introierit, dicitē domino domus, quia Magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis. C Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: ✠ Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. C At illi cœperunt contristari, & dicere ei singillatim: S Numquid ego? C Qui ait illis: ✠ Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptū est de eo: væ autē homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille. C Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: ✠ Sumite, hoc est corpus meum. C Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes, & ait illis: ✠ Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quòd iam non bibam de genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. C Et hymno dicto, exierunt in Montem oliuarum, & ait illis Iesus: ✠ Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. C Petrus autem ait illi: S Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. C Et ait illi Iesus: ✠ Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquā gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. C At ille amplius loquebatur: S Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. C Similiter autem & omnes dicebant. Et veniunt in prædiū, cui nomen Gethsemani: & ait discipulis suis: ✠ Sedete hic donec orem. C Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum: & cœpit pauere, & tædere. Et ait illis: ✠ Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate. C Et cum processisset paululum, procidit super terram: & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: ✠ Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me: sed non quod ego volo,

ſed quod tu. C Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: ✠ Simon, dormis? non potuiſti vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. C Et iterũ abiens orauit, eundem ſermonem dicens. Et reuerſus denuo inuenit eos dormientes, (erãt enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid reſponderent ei. Et venit tertio, & ait illis: ✠ Dormite iam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce tradetur Filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope eſt. C Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, & cum illo turba multa cũ gladijs, & lignis, miſſi à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus. Dederat autem traditor ſignum, dicens: S Quemcumq. oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eũ, & ducite caute. C Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eũ, ait: S Aue Rabbi. C Et oſculatus eſt eũ. At illi manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum. Vnus autem de circumſtãtibus educens gladium, percuſſit ſeruũ ſummi Sacerdotis: & amputauit illi auriculam. Et reſpondens Ieſus, ait illis: ✠ Tamquã ad latronem exiſtis cũ gladijs, & lignis comprehendere me? Quotidie apud vos erã in tẽplo docens, & non me tenuiſtis. Sed vt impleãtur Scripturæ. C Tunc diſcipuli eius relinquentes eũ, omnes fugerũt. Adoleſcens autẽ quidam ſequebatur eũ amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum. At ille reiecta ſindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Ieſum ad ſummum Sacerdotem: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. Petrus autem à lõge ſecutus eſt eum vſque intro in atrium ſummi Sacerdotis: & ſedebat cũ miniſtris, & calefaciebat ſe ad ignẽ. Summi vero Sacerdotes, & omne conciliũ quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum: & conuenientia teſtimonia non erant. Et quidã ſurgentes, falſum teſtimoniũ ferebant aduerſus eum, dicentes: S Quoniã nos audiuimus eum dicentem: Ego diſſoluã templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud nõ manu factum ædificabo. C Et non erat conueniẽs teſtimonium illorum. Exurgens autẽ ſummus Sacerdos in medium, interrogauit Ieſum, dicens: S Nõ reſpondes quidquã ad ea, quæ tibi obijciũtur ab his? C Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: S Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? C Ieſus autem dixit illi: ✠ Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. C Summus autem Sacerdos ſcindens veſtimẽta ſua, ait: S Quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiã: quid vobis videtur? C Qui omnes condẽnauerunt eum eſſe reum mortis. Et cœperunt quidã conſpuere eum, & velare faciẽ eius, & colaphis eũ cædere, & dicere ei: S Prophetiza. C Et miniſtri alapis eũ cædebãt. Et cũ eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis ſummi Sacerdotis: & cũ vidiſſet Petrum calefacientem

tem se, aspiciens illum, ait: S Et tu
cum Iesu Nazareno eras. C At ille
negauit, dicẽs: S Neque scio, neque
noui quid dicas. C Et exijt foras an-
te atrium, & gallus cantauit. Rursus
autem cũ vidisset illum ancilla, cœ-
pit dicere circumstantibus: S Quia
hic ex illis est. C At ille iterũ nega-
uit. Et post pusillum rursus qui asta-
bant, dicebant Petro: S Vere ex illis
es: nam & Galilæus es. C Ille autem
cœpit anathematizare, & iurare: S
Quia nescio hominem istum, quẽ di-
citis. C Et statim iterũ gallus canta-
uit. Et recordatus est Petrus verbi,
quod dixerat ei Iesus: Priusquã gal-
lus cantet bis, ter me negabis. Et cœ-
Cap. 15. pit flere. Et confestim mane cõsilium
facientes summi Sacerdotes cum se-
nioribus, & Scribis, & vniuerso cõci-
lio, vinciẽtes Iesum, duxerunt, & tra-
diderunt Pilato. Et interrogauit eum
Pilatus: S Tu es Rex Iudæorũ? C At
ille respondens, ait illi: ✠ Tu dicis.
C Et accusabant eũ summi Sacerdo-
tes in multis. Pilatus autẽ rursum in-
terrogauit eũ, dicens: S Non respon-
des quidquã? vide in quantis te ac-
cusant. C Iesus autem amplius nihil
respõdit, ita vt miraretur Pilatus. Per
diem autẽ festum solebat dimittere
illis vnũ ex vinctis, quemcumque pe-
tijssent. Erat autẽ qui dicebatur Ba-
rabbas, qui cum seditiosis erat vin-
ctus, qui in seditione fecerat homici-
dium. Et cum ascendisset turba, cœ-
pit rogare, sicut semper faciebat illis.
Pilatus autẽ respondit eis, & dixit: S
Vultis dimittam vobis Regẽ Iudæo-
rum? C Sciebat enim quòd per inui-
diam tradidissent eum summi Sacer-
dotes. Pontifices autem concitaue-
runt turbam, vt magis Barabbam di-
mitteret eis. Pilatus autẽ iterum re-
spondens, ait illis: S Quid ergo vul-
tis faciam Regi Iudæorum? C At illi
iterum clamauerunt: S Crucifige
eum. C Pilatus vero dicebat eis: S
Quid enim mali fecit? C At illi ma-
gis clamabant: S Crucifige eum. C
Pilatus autẽ volens populo satisface-
re, dimisit illis Barabbam, & tradidit
Iesum flagellis cæsum, vt crucifige-
retur. Milites autem duxerunt eum
intro in atriũ prætorij, & conuocant
totã cohortem, & induunt eum pur-
pura, & imponunt ei plectentes spi-
neam coronam. Et cœperũt salutare
eum: S Aue Rex Iudæorũ. C Et per-
cutiebant caput eius arundine: & cõ-
spuebant eum, & ponentes genua,
adorabãt eũ. Et postquam illuserunt
ei, exuerunt illum purpura, & indue-
runt eum vestimentis suis, & educunt
illum vt crucifigerent eũ. Et angaria-
uerũt prætereuntem quempiam, Si-
monẽ Cyrenæum venientem de vil-
la, patrẽ Alexandri & Rufi, vt tolle-
ret crucẽ eius. Et perducunt illum in
Golgotha locum: quod est interpre-
tatum Caluariæ locus. Et dabant ei
bibere myrrhatum vinum: & nõ ac-
cepit. Et crucifigentes eũ, diuiserunt
vestimenta eius, mittentes sorte su-
per eis, quis quid tolleret. Erat autẽ
hora tertia: & crucifixerunt eum. Et
erat titulus causæ eius inscriptus:
Rex Iudæorũ. Et cũ eo crucifixerunt
duos latrones: vnum à dextris, & a-
liũ à sinistris: & adimpleta est Scri-
ptura, quæ dicit: Et cũ iniquis repu-
tatus est. Et prætereũtes blasphema-
bant eum, mouentes capita sua, &
dicentes: S Vah qui destruis tẽplum

Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum descendēs de cruce. C Similiter & summi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: S Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. C Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram, vsque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: ✠ Eloi, Eloi lamma sabacthani? C Quod est interpretatum: ✠ Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? C Et quidam de circumstantibus audientes, dicebāt: S Ecce Eliam vocat. C Currēs autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: S Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. C Iesus autem emissa voce magna, expirauit. Hic pausatur aliquantulum, & genuflectitur. Et velum templi scissum est in duo, à summo vsque deorsum. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: S Vere hic homo Filius Dei erat. C Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: & cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

ET cum iam sero esset factū (quia erat Parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Cēturione, donauit corpus Ioseph. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponēs eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Hic nō debet Sacerdos osculari librum. Offertorium. Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. Psal. 139.

Secreta.

SAcrificia nos, quæsumus Domine, propensius ista restaurēt, quæ medicinalibus sunt instituta ieiunijs. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui salutem. Communio. Aduersum me exercebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum: ego vero orationem meam ad te Domine; tempus beneplaciti Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. Psal. 68.

Postcommunio.

SAnctificationibus tuis omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis sempiterna proueniant. Per Dominum nostrum. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

TVa nos misericordia Deus, & ab omni subreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ nouitatis efficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

FERIA QVARTA.

Officium.



Phil. 2. N nomine Iesu omne genu flectatur cælestiũ, terrestrium, & infernorum: quia Dominus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: ideo Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℣. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. In nomine. Non dicatur Dominus vobiscũ, sed Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui nostris excessibus incessanter affligimur: per vnigeniti Filij tui passionem liberemur. Qui tecum viuit & regnat.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 62. HAec dicit Dominus Deus: Dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo. c. 63. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & nõ fuit qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutẽ eorum. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus Deus noster. ℟. Ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor: velociter exaudi me. Psal. 68. ℣. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Dominus vobiscum. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

DEus, qui pro nobis Filiũ tuum Crucis patibulũ subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem: cõcede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Dominũ nostrum. Secunda. Exaudi, quæsumus Domine, supplicum. Tertia. A cunctis.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Dixit Isaias: Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Isaia 53. Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & nõ erat aspectus, & desiderauimus eũ: despectũ, & nouissimum virorum, virũ dolorũ, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eũ. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est

propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viã suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrũ. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suũ: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de iudicio sublatus est: generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte sua: eo quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus inuentus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen lõgæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Tractus. Domine exaudi orationem meã, & clamor meus ad te veniat. ℣. Ne auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. ℣. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me. ℣. Quia defecerũt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. ℣. Percussus sum sicut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum mãducare panẽ meum. ℣. Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia venit tempus miserendi eius. Non petatur benedictio, nec deferatur lumen, nec dicatur, Dominus vobiscũ. nec Gloria tibi Domine. nec signẽt se Fratres, sed inchoetur hoc modo.

Psal. 101.

Passio Domini nostri Iesu Christi Secundum Lucam.

Luc. 22.

IN illo tempore: ℂ Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: & quærebãt principes Sacerdotum, & Scribæ quomodo Iesum interficerent: timebãt vero plebem. Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim: & abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, & magistratibus quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymorũ, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: ✠ Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. ℂ At illi dixerunt: S. Vbi vis paremus? ℂ Et dixit ad eos: ✠ Ecce introeuntibus vobis in ciuitatẽ, occurret vobis homo amphorã aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. ℂ Euntes autem inuenerũt sicut dixit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim

Apo-

Apoſtoli cum eo: & ait illis: ✠ Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. C Et accepto calice, gratias egit, & dixit: ✠ Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. C Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: ✠ Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. C Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens: ✠ Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem Filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur. C Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis: ✠ Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicãtes duodecim tribus Iſrael. C Ait autem Dominus Simoni: ✠ Simon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribrãret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. C Qui dixit ei: S Domine, tecũ paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. C At ille dixit: ✠ Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. C Et dixit eis: ✠ Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? C At illi dixerunt: S Nihil. C Dixit ergo eis: ✠ Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent. C At illi dixerũt: S Domine, ecce gladij duo hic. C At ille dixit eis: ✠ Satis eſt. C Et egreſſus ibat ſecundũ conſuetudinem in Mõtem oliuarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Et cum perueniſſet ad locum, dixit illis: ✠ Orate ne intretis in tentationem. C Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat, dicens: ✠ Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. C Apparuit autẽ illi Angelus de cælo, confortans eũ. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Et cũ ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſci-

pulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: ✠ Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationẽ. C Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu vt oscularetur eũ. Iesus autem dixit illi: ✠ Iuda, osculo Filium hominis tradis? C Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerũt ei: S Domine, si percutimus in gladio? C Et percussit vnus ex illis seruum principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autẽ Iesus, ait: ✠ Sinite vsque huc. C Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes Sacerdotũ, & magistratus templi, & seniores: ✠ Quasi ad latronem existis cum gladijs, & fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. C Comprehẽdentes autem eum, duxerũt ad domum principis Sacerdotum: Petrus vero sequebatur eum à longe. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedẽtem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: S Et hic cum illo erat. C At ille negauit eum, dicens: S Mulier, non noui illum. C Et post pusillũ alius videns eũ, dixit: S Et tu de illis es. C Petrus vero ait: S O homo nõ sum. C Et interuallo facto, quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: S Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus est. C Et ait Petrus: S Homo, nescio quid dicis. C Et continuo adhuc illo loquente, cantauit gallus. Et conuersus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Dómini, sicut dixerat: Quia prius quàm gallus cãtet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amare. Et viri qui tenebant Iesum, illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: S Prophetiza, quis est, qui te percussit? C Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et vt factus est dies, conuenerũt seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: S Si tu es Christus, dic nobis. C Et ait illis: ✠ Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. C Dixerunt autem omnes: S Tu ergo es Filius Dei? C Qui ait: ✠ Vos dicitis, quia ego sum. C At illi dixerunt: S Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. C Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem accusare illum, dicentes: Cap. 23.
S Hunc inuenimus subuertentẽ gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. C Pilatus autem interrogauit eum, dicens: S Tu es Rex Iudæorũ? C At ille respondens, ait: ✠ Tu dicis. C Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum, & turbas: S Nihil inuenio causæ in hoc homine. C At illi inualescebãt, dicentes: S Commouit populum docens

cens per vniuersam Iudæā, incipiens à Galilæa vſque huc. C Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre illum, eo quòd audierat multa de illo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autē eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autē principes Sacerdotum, & Scribæ conſtāter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die: nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: S Obtuliſtis mihi hunc hominē, quaſi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inueni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam. C Neceſſe autem habebat dimittere eis per diem feſtum, vnum. Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: S Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. C Qui erat propter ſeditionē quandam factam in ciuitate, & homicidium miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad illos, volens dimittere Ieſum. At illi ſuc-clamabant, dicentes: S Crucifige, crucifige eum. C Ille autem tertio dixit ad illos: S Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. C At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium, & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Ieſum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem venientem de villa: & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem Ieſus ad illas, dixit: ✠ Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſa flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos: & collibus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? C Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum: & latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris. Ieſus autem dicebat: ✠ Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. C Diuidentes vero veſtimenta eius, miſerunt ſortes. Et ſtabat populus ſpectans,

stans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: S Alios saluos fecit, se saluũ faciat, si hic est Christus Dei electus. C Illudebant autem ei & milites accedẽtes, & acetum offerentes illi, & dicentes: S Si tu es Rex Iudæorum, saluũ te fac. C Erat autem & superscriptio scripta super eũ litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorũ. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: S Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos. C Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: S Neque tu times Deum, quòd in eadẽ damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. C Et dicebat ad Iesum: S Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. C Et dixit illi Iesus: ✠ Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso. C Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terrã vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus, ait: ✠ Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. C Et hæc dicens, expirauit. Hic pausatur aliquantulum, & genuflectitur. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: S Vere hic homo iustus erat. C Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculũ istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Stabãt autem omnes noti eius à longe: & mulieres, quæ secutæ erant eum à Galilæa, hæc videntes.

ET ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ: qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatũ, & petijt corpus Iesu. Et depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Hic nõ debet Sacerdos osculari librum. Offert.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perueniat: ne auertas faciem tuam à me. Secreta. Psal. 101.

SVscipe quæsumus Domine munus oblatum, & dignanter operare: vt quod passionis Filij tui Domini nostri mysterio gerimus, pijs affectibus consequamur. Per eundem. Præf. Qui salutẽ. Cõmunio. Potum meũ cũ fletu tẽperabam: quia eleuãs allisisti me, & ego sicut fœnũ arui: tu autem Dñe in æternũ permanes: tu exurgens misereberis Sion, quia venit tẽpus miserendi eius. Postcomm. Psal. 101.

LArgire sensibus nostris omnipotens Deus: vt per temporalem Filij tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eundem. Oremus. Humiliate capita vestra Deo.

Super Populum. Oratio.

REspice, quæsumus Domine, super hanc familiã tuã, pro qua Dñs noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentiũ, & crucis subire tormentum. Qui tecum.

FERIA QVINTA

In cœna Domini.

FRatres priuatas Missas nõ celebrent: sed omnes in Missa Con-

uentuali communicet. Finita Nona, Prior cum eis Ministris, scilicet, Diacono, & Subdiacono, & Acolythis; absque sericeis indumentis, & cereis, ad gradus Presbyterij veniat: ibiq. Diacono cum vno Acolythorum à dextris; & Subdiacono cum altero Acolythorum à sinistris stantibus, incipiat sine nota Añam. N e reminiscaris. Quã incepta, prosternat se cum Ministris eo ordine quo stabãt, super aliquem pannũ à Sacristã præparatum, & Cantore, ex cuius Choro fuerit Hebdomada, incipiente Psl. Domine ne in furore. Fratres ipsum & reliquos Pœnitentiales prosequãtur prostrati super Formas, sine Gloria Patri. singulos Psal. vtroq. Choro Versum dicere, alternatim dicendo. Subiũcta post Psalmum Añã, fiat Absolutio, sicut in quarta Feria in capite Ieiunij est notatum. ℣. Facta Absolutione, Prior cum Ministris in Sacristiam reuertatur. Et Missa inchoata, assũptis sericeis indumẽtis, & cereis, procedat more solito ad altare.

AD MISSAM. Officium.

Gal. 6. 

Nos autem gloriari oportet in Cruce Dñi nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati & liberati sumus. ✠ Deus

Psal. 66. misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultũ suũ super nos, & misereatur nostri. Nos autẽ. Nõ dicatur Gloria. nec Flectamus genua. sed Gloria in excelsis dicatur. Oratio

DEus, à quo & Iudas reatus sui pœnam, & confessionis suæ latro præmium sumpsit: cõcede nobis tuæ propitiationis effectum: vt sicut in passione sua Iesus Christus Dominus noster diuersa vtrisq. intulit stipendia meritorum: ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum. Hæc sola Oratio dicatur.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicã cœnam manducare. Vnusquisque enim cœnã suam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Ecclesiã Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habẽt? Quid dicã vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dñs Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & mãducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Similiter & calicẽ, postquã cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumq. bibetis, in meã commemorationẽ. Quotiescumq. enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortẽ Domini annunciabitis, donec veniat. Itaq. quicumq. mãducauerit panem hunc, vel biberit calicẽ Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autẽ seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudiciũ sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, 1. Cor. 11.

cilles,& dormiũt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Dũ iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. ℟. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Phil. 2.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 13.

ANte diem festum Paschæ, sciẽs Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erãt in mundo, in fine dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestiméta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respõdit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, nõ indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed nõ omnes: Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquã ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua: & cũ recubuisset iterum, dicit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sũ etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exẽplum enim dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci vobis, ita & vos faciatis. Credo. Offert. Dextera Domini fecit virtutẽ: dextera Dñi exaltauit me: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini. Secreta.

Psal. 117.

IPse tibi, quæsumus Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, sacrificiũ nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui cõmemorationem hoc fieri hodierna traditione mõstrauit, Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster. Qui tecum. Præfatio. Qui salutem.

Infra Canonem.

COmmunicantes, & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Iesus Christus pro nobis est traditus: sed & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis eiusdem Dei &c. Item.

HAnc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster Iesus Christus tradidit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda; quæsumus Domine, vt placatus accipias, &c. Item.

QVi pridie quàm pro nostra omniumq. salute pateretur, hoc est, hodie, accepit panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas, &c.

Agnus

Agnus Dei. dicatur, sed pax non detur. Cōmunio. Dominus Iesus postquam cœnauit cū discipulis suis, lauit pedes eorū, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis ego Dominus & Magister? exēplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. In hac die duæ Hostiæ consecrantur, quarum vna consecrata in crastinum, quo non conficitur, conseruanda est. Dicta Cōmunione, postquam omnes Fratres cōmunicauerint, maneant genuflexi cum accēsis cereis in Presbyterio: & Acolythi cum cādelabris & cereis itē accensis vadant in Sacristiā, Cruciferariumq. inde præeunte Thuriferario comitētur, ac se ante gradus Presbyterij ordinati sistant. Interim aliquot ex antiquioribus Fratribus, aut honoratioribus sæcularibus, si adsint, Sacrista inuitante, parent se ad deferendum baldachinum: & tūc Sacerdos ponat reuerenter Hostiam consecratam in crastinum reseruandā, in pulchro calice, diuerso ab eo in quo celebratum est, illumq. patena cooperiat, ac sericeo decenti velo super patenam expanso tegat. Quo facto, genua flectat: deinde se erigens thurificet Corpus Domini. Postea genua iterū flectenti Diaconus imponat per humeros, & scapulas velum sericeū; cuius extremitatibus super manus expansis, accipiat à Diacono calicem in quo est Corpus Domini, ac surgens vertat se ad populum, & Diaconus tantisper incenset Sacramentum. Tunc Cātor incipiat Hymnum. Pāge lingua gloriosi Corporis mysteriū. & Conuentus prosequatur. Et fiat Processio ad locum vbi reponēdum est pro crastino Corpus Christi. Sacerdos portans calicem cum Sacramento, vadat sub baldachino, fulcientibus eum hinc & inde per brachia Diacono & Subdiacono, & Thuriferario semper ante eum incensante Corpus Domini. Cū peruenerint ad locum, Fratres ordinati in duos Choros hinc & inde se collocent, ac genuflexi maneant cantantes præfatum Hymnum. Interim Sacerdos decenter accedens ad Altare, ibi in Arcula, vel loco præparato deponat calicem, & genuflexus, moxque se erigens thurificet Corpus Domini. Quo facto Acolythi dicant. ℣. Panem de cælo. ℟. Omne delecta. & Sacerdos subiungat: Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento &c. ac postea extinctis cereis, vel relictis ibidem accensis, baldachino etiam & Cruce ibi relictis, reuertantur omnes in Chorum ordine quo venerint, præeunte Thuriferario ante Acolythos. Postquam in Chorum venerint, absque Pater noster. & absque Deus in adiutorium. incipiantur Vesperæ per Antiphonam. Calicem. Dum autem Vesperæ à Conuentu dicuntur, Prior cum Ministris in Presbyterio Vesperas suas dicendo, sedeat vsquequo inchoanda fuerit Antiphona ad Magnificat. Interim dū Vesperæ cantantur, Acolythi, vel Sacrista denudent Altare, relicta vna sola linea mappa super illud, quæ etiam finita Missa, auferatur. Antiphona.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Psal. Credidi. Antiph. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: dum loquebar illis, impugnabant me gratis. Psalm. Ad Dominum. Antiphona

Jo. 13. | Psal. 115. | Psal. 119.

Ab hominibus iniquis libera me Domine. Psal. Eripe me Dñe. Aña. Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem. Psal. Domine clamaui. Aña. Considerabam ad dexteram, & videbam, & nõ erat qui cognosceret me. Psal. Voce mea. Dicta post vltimum Psalmum Aña, Prior stans ad Altare in dextro cornu, Cantore ei deferente, incipiat ad Magnificat Antiphonam.

Psal. 139. Psal. 140. Psal. 141.



Cœ nan ti bus autem eis, accepit Iesus panẽ, & benedixit, ac fregit, deditq. discipulis suis. Finita post Canticum Aña, Prior conuersus ad Conuentum dicat. Dominus vobiscum. Deinde reuersus ad Librũ dicat morẽ solito. Oremus. Postcommunio.

Refecti vitalibus alimẽtis, quæsumus Domine Deus noster: vt quod tẽpore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per Dominum. Postea dicatur. Ite missa est. Et data Benedictione, dicatur Euangelium. In principio erat Verbum.

IN DIE PARASCEVES.



Dum Sexta & Nona cantantur, Sacerdos & Ministri induant se ad Officium: & Sacrista superficiem altaris mundis mappis cooperiat, & duos cereos more solito accendat. Finità Nona, legatur in superpelliceo ante gradus Presbyterij sine titulo Lectio. In tribulatione. quæ dum legitur, Sacerdos indutus casula, Ministris præcedentibus more solito, absque sericeis indumentis, & cereis, ingrediens ad Altare non dicat. Confiteor. sed inclinans cum Ministris sessum eat.

Hæc dicit Dominus: In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurque vt cognoscamus Dominũ. Quasi diluculũ præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis tẽporaneus, & serotinus terræ. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiẽs. Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quasi lux egredientur. Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei plusquàm holocausta. Finita Lectione sequitur Tractus. Domine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua, & expaui. ℣. In medio duorum animalium innotesceris: dum appropinquauerint anni, cognosceris: dum aduenerit tempus, ostenderis. ℣. In eo, dum conturbata fuerit anima mea: in ira, misericordiæ memor eris. ℣. Deus à Libano veniet, & Sanctus de mõte vmbroso, & condenso. ℣. Operuit cælos maiestas eius: & laudis eius plena est terra. Postea Sacerdos absque Dominus vobiscum, & absque Flectamus genua, præmisso.

Osee 6. Abac. 3.

O re-

Oremus. dicat Orationem.

DEus, à quo & Iudas reatus sui pœnam,& confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit: concede nobis tuæ propitiationis effectum:vt ſicut in paſſione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diuerſa vtriſque intulit ſtipendia meritorum; ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur.Qui tecum viuit & regnat. Deinde à Subdiacono in eodem loco, quo & prima Lectio,ſine titulo, & per modũ Lectionis,non Epiſtolæ legatur.

Exod. 12. IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Aegypti:Menſis iſte,vobis principiũ menſium: primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael,& dicite eis: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnũ per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendũ agnũ, aſſumet vicinum ſuum, qui iunctus eſt domui ſuæ: iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſumẽt de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum: in quibus comedẽt illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. Non comedetis ex eo crudum quid,nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni: caput cum pedibus eius, & inteſtinis vorabitis: & os eius non confringetis: nec remanebit ex eo quidquã vſque mane. Si quid reſiduũ fuerit, igne cõburetis.Sic autẽ comedetis illum: Renes veſtros accingetis,& calceamẽta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinãter: eſt enim Phaſe(id eſt trãſitus)Domini. Tractus. Eripe me Dñe ab homine malo: à viro iniquo libera me. Pſal. 139.

℣. Qui cogitauerunt malitias in corde: tota die conſtituebãt prælia. ℣. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: venenũ aſpidum ſub labijs eorũ. ℣. Cuſtodi me Dñe de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis libera me. ℣. Qui cogitauerunt ſupplãtare greſſus meos: abſconderunt ſuperbi laqueos mihi. ℣. Et funes extenderũt in laqueum pedibus meis:& iuxta iter ſcandalũ poſuerunt mihi. ℣. Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine vocem orationis meæ. ℣. Domine Domine virtus ſalutis meæ, obumbra caput meum in die belli. ℣. Ne tradas me à deſiderio meo peccatori: cogitauerunt aduerſum me: ne derelinquas me, ne vmquã exaltentur. ℣. Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos. ℣. Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

Poſt Tractum legitur Paſſio in loco, vbi Profeſtis diebus legi ſolet Euangelium, ſine lumine, & abſque Dominus vobiſcum. & ſine Gloria tibi Domine. & ſine titulo, nec ſignet ſe Diaconus.

EGreſſus Ceſt Ieſus cũ diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, Io. 18.

vbi

vbi erat hortus, in quē introiuit ipse; & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus, & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: ✠ Quem quæritis? C Responderunt ei: Iesum Nazarenum. C Dixit eis Iesus: ✠ Ego sum. C Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogauit: ✠ Quem quæritis? C Illi autem dixerunt: S Iesum Nazarenum. C Respondit Iesus: ✠ Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. C Vt impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eū, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: ✠ Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? C Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum. Et adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: Quia expedit, vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cùm Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: S Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? C Dicit ille: S Non sum. C Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: ✠ Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. C Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: S Sic respondes Pontifici? C Respondit ei Iesus: ✠ Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? C Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: S Nūquid & tu ex discipulis eius es? C Negauit ille, & dixit: S Non sum. C Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculā: S Nonne ego te vidi in horto cū illo? C Iterum ergo negauit Petrus: & statim gallus cantauit. Adducūt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium,

vt non contaminarentur, ſed vt man-
ducarent Paſcha. Exiuit ergo Pila-
tus ad eos foras,& dixit: S Quam ac-
cuſationem affertis aduerſus homi-
nem hunc? C Reſponderunt, & di-
xerunt ei: S Si non eſſet hic malefa-
ctor, non tibi tradidiſſemus eum. C
Dixit ergo eis Pilatus: S Accipite eũ
vos,& ſecundum legem veſtram iu-
dicate eum. C Dixerunt ergo ei Iu-
dæi: S Nobis non licet interficere
quemquam. C Vt ſermo Ieſu imple-
retur,quem dixit: ſignificãs qua mor-
te eſſet moriturus. Introiuit ergo ite-
rum Pilatus in prætorium,& vocauit
Ieſum, & dixit ei: S Tu es Rex Iu-
dæorũ? C Reſpondit Ieſus: ✠ A te-
metipſo hoc dicis,an alij tibi dixerũt
de me? C Reſpondit Pilatus: S Nũ-
quid ego Iudæus ſum? Gens tua, &
Pontifices tradiderunt te mihi: quid
feciſti? C Reſpondit Ieſus: ✠ Regnũ
meum non eſt de hoc mundo: ſi ex
hoc mundo eſſet regnum meum, mi-
niſtri mei vtique decertarent vt non
traderer Iudæis: nunc autem regnum
meum non eſt hinc. C Dixit itaque
ei Pilatus: S Ergo Rex es tu? C Reſpõ
dit Ieſus: ✠ Tu dicis, quia Rex ſum
ego. Ego in hoc natus ſum,& ad hoc
veni in mundum, vt teſtimoniũ per-
hibeam veritati: omnis qui eſt ex ve-
ritate,audit vocem meam. C Dicit ei
Pilatus: S Quid eſt veritas? C Et cũ
hoc dixiſſet, iterũ exiuit ad Iudæos,
& dicit eis: S Ego nullam inuenio in
eo cauſam. Eſt autem conſuetudo vo
bis, vt vnum dimittam vobis in Paſ-
cha: vultis ergo dimittam vobis Re-
gem Iudæorum? C Clamauerunt rur
ſum omnes, dicentes: S Non hunc,
ſed Barabbam. C Erat autem Barab-
bas latro. Tunc ergo apprehendit Cap. 19.
Pilatus Ieſum, & flagellauit. Et mi-
lites plectentes coronam de ſpinis,im
poſuerunt capiti eius:& veſte purpu-
rea circumdederunt eum. Et venie-
bant ad eum,& dicebant: S Aue Rex
Iudæorum. C Et dabant ei alapas.
Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit
eis: S Ecce adduco eum vobis foras,
vt cognoſcatis quia in eo nullam cau
ſam inuenio. C (Exiuit ergo Ieſus
portans ſpineam coronam, & purpu-
reum veſtimentum.) Et dicit eis: S Ec
ce homo. C Cum ergo vidiſſent eum
Pontifices,& miniſtri clamabant, di-
centes: S Crucifige,crucifige eum. C
Dicit eis Pilatus: S Accipite eum
vos, & crucifigite: ego enim non in-
uenio in eo cauſam. C Reſpõderunt
ei Iudæi: S Nos legem habemus, &
ſecundum legem debet mori, quia
Filium Dei ſe fecit. C Cum ergo au-
diſſet Pilatus hunc ſermonem,magis
timuit. Et ingreſſus eſt prætoriũ ite-
rum,& dixit ad Ieſum: S Vnde es tu?
C Ieſus autem reſponſum non dedit
ei. Dicit ergo ei Pilatus: S Mihi non
loqueris? neſcis quia poteſtatem ha-
beo crucifigere te, & poteſtatem ha-
beo dimittere te. C Reſpondit Ieſus:
✠ Non haberes poteſtatem aduer-
ſum me vllã, niſi tibi datum eſſet de-
ſuper. Propterea qui me tradidit ti-
bi,maius peccatum habet. C Et ex-
inde quærebat Pilatus dimittere eũ.
Iudæi autem clamabant, dicentes: S
Si hunc dimittis, non es amicus Cæ-
ſaris. Omnis enim qui ſe regem fa-
cit, contradicit Cæſari. C Pilatus
autem cum audiſſet hos ſermones,
adduxit foras Ieſum: & ſedit pro
tribunali in loco, qui dicitur Litho-

ſtrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta. Et dicit Iudæis: S Ecce Rex veſter. C Illi autem clamabant: S Tolle, tolle, crucifige eum. C Dicit eis Pilatus: S Regem veſtrum crucifigam? C Reſponderunt Pontifices: S Non habemus Regem, niſi Cæſarem. C Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Suſceperunt autē Ieſum, & eduxerunt. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraice autem Golgotha: vbi eum crucifixerunt, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem Ieſum. Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine: Dicebāt ergo Pilato Pontifices Iudæorum: S Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. C Reſpondit Pilatus: S Quod ſcripſi, ſcripſi. C Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicā. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: S Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. C Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtē meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: ✠ Mulier, ecce filius tuus. C Deinde dicit diſcipulo: ✠ Ecce mater tua. C Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens Ieſus quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: ✠ Sitio. C Vas ergo poſitum erat aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: ✠ Conſummatum eſt. C Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

Hic pauſatur aliquantulum, & genuflectitur.

IVdæi ergo quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatū vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

POſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathia, (eo quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus.


Ve-

Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.


Hic Sacerdos non osculetur librum. Perlecta Passione, dicantur sequentes Orationes, sine Dominus vobiscum. Hoc modo.



Oremus dilectissimi nobis pro




Eccle si a sancta De i: vt e am




Deus & Dominus noster paci fi-




care, a du na re, & cu sto di re




dignetur toto orbe terrarum: sub-



ij ci ens e i principatus & po-



testates, detque nobis quietam, &



tranquillam vitam degenti bus,



glori fi ca re Deum Patrem om-




In fine huius Orationis non respondeatur Amen. sed statim subiungatur.

nipoten tem.





Ore mus. Flectamus ge nu a.


1 2 Leua-



Oratio.


















Oratio.

ORemus & pro Beatissimo Papa nostro N. vt Deus & Dominus noster, qui elegit eum in Ordine Episcopatus; saluum atq; incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ, ad regēdum populum sanctum Dei. Non dicatur. Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius iudicio vniuersa fundantur: respice propitius ad preces nostras: & electum nobis Antistitē tua pietate cōserua, vt Christiana plebs, quæ te gubernatur auctore, sub tanto Pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur. Per Dominum. ℟. Amen.

Oratio.

ORemus & pro omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiarijs, Confessoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni populo sancto Dei. Non dicatur. Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur, & regitur: exaudi nos pro vniuersis Ordinibus sup-

ſupplicantes: vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur. Per Dominum. eiuſdem. ℟. Amen.

Oratio.

OREmus & pro Chriſtianiſſimo Imperatore noſtro N. vt Deus & Dominus noſter ſubditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad noſtram perpetuam pacem. Non dicatur Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnium iura regnorũ: reſpice ad Romanum benignus Imperium: vt Gentes quæ in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

OREmus & pro Catechumenis noſtris: vt Deus & Dominus noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, ianuamque miſericordiæ: vt per lauacrum regenerationis, accepta remiſſione omnium peccatorum, & ipſi inueniantur in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non dicatur. Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam noua ſemper prole fecundas: auge fidem, & intellectum Catechumenis noſtris: vt renati fonte baptiſmatis, adoptionis tuæ filijs aggregentur. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

OREmus, dilectiſſimi nobis, Deũ Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula diſſoluat, peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, nauigantibus portum ſalutis indulgeat. Non dicatur. Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, mæſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium: vt omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant affuiſſe. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

OREmus & pro Hæreticis, & Schiſmaticis: vt Deus & Dominus noſter eruat eos ab erroribus vniuerſis: & ad ſanctam matrem Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam reuocare dignetur. Non dicatur Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire: reſpice ad animas diabolica fraude deceptas: vt omni hæretica prauitate depoſita, errantium corda reſipiſcant: & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio.

OREmus & pro perfidis Iudæis: vt Deus & Dominus noſter auferat velamen de cordibus eorum, vt & ipſi agnoſcant Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non dicatur Amen. Hic non dicatur Flectamus genua, ſed Oremus.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam

à tua misericordia nõ repellis: exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus: vt agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, à suis tenebris eruantur. Per eundem Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.


ORemus & pro Paganis: vt Deus omnipotens auferat iniquitatem à cordibus eorum: vt relictis idolis suis, conuertantur ad Deum viuum, & verum, & vnicum Filium eius Iesum Christum Deum & Dominum nostrum. Non dicatur Amen. Oremus. Flectamus genua. Leuate.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris: suscipe propitius orationem nostram, & libera eos ab idolorum cultura: & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ, ad laudem, & gloriam nominis tui. Per Dominũ. ℟. Amen. Completis Orationibus, Prior, casula deposita, cum Ministris altaris ab altari discedat, & stent in dextera parte Presbyterij. Tunc duo Sacerdotes, qui iam induti erunt albis, & cum stolis, & manipulis, veniẽtes ad gradum altaris flectant genua: deinde surgentes accipiant Crucem altari superpositam, & velatam: & tenentes eam in dextera parte altaris per brachia reuerenter, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram, versi ad Conuentum cantent Versiculum. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristaui te: responde mihi? Quia eduxi te de terra Aegypti, parasti crucem Saluatori tuo. Quo finito, duo Diacõni, qui iam erunt induti albis, cum stolis, & manipulis ad gradum Presbyterij stantes, respondeãt Agios ò Theos, Agios ischiros, Agios athanatos, Eleyson imas. ter flectentes genua, videlicet semel in principio cuiuslibet trium primarum clausularum ad primam dictionem, & ad secundam surgentes. Scilicet dum dicunt prima vice Agios, genua flectant: & dicendo, ò Theos, surgant. Dum replicant secunda vice Agios, genua flectant; & dicendo Ischiros, surgant. Tertia vice dicẽdo Agios, genua flectãt: & subiungẽdo Athanatos, Eleyson imas, surgant. Deinde Chorus respondeat Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus, & immortalis, miserere nobis. ter flectendo genua, scilicet, semel in principio cuiuslibet trium primarum clausularum ad primam dictionem, idest, Sanctus. flectentes, & ad secundam surgentes, vt notatum est in Agios, & ò Theos. Prior vero, & Ministri, & Presbyteri, qui Crucem tenent, & prædicti Diaconi non flectant genua cum Conuentu, neque Conuentus cum ipsis genua flectat. Postquam Chorus responderit: Sanctus Deus, Sacerdotes paululum procedentes ab altari cantent. ℣. Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, & manna cibaui te, introduxi te in terram satis optimam: parasti crucem Saluatori tuo. Deinde Diaconi Agios, & Chorus, Sanctus Deus, similiter vt prius flectendo genua, dicãt. Rursum Sacerdotes paulatim ab altari procedentes cantent Versum. Quid vltra debui facere tibi, & non feci? ego quidem plantaui te vineam meam speciosissimam, & tu facta es mihi nimis amara: aceto namque sitim

tim meam potasti, & lancea perforasti latus Saluatori tuo.


Postea Sacerdotes progredientes vsque ad gradum altaris, vbi Crux adoranda est, stabunt in medio ante altare, & Diaconi, Agios, & Chorus, Sanctus Deus, vt prius subiungant: Tunc Prior veniat à loco vbi erat, ad medium gradus altaris, in quo erunt duo Sacerdotes, & ponat se in medio eorum, ipsis à dextris, & à sinistris existentibus, & se mutuo aspicientibus; & si erit possibile stabunt in loco aliquantulum inferiori, quàm sit Sacerdos. Ministri altaris si non fungantur officio duorum Sacerdotum, vel Diaconorũ, qui dixerunt Agios, descendant à Presbyterio, quando descendit Prior, & se collocabunt vnus post alium in dextera parte altaris post omnes gradus, versis vultibus ad partem sinistram, ita quòd omnes stent recti: & propius altare stet primo Diaconus, deinde alij eo ordine quo in Presbyterio sedebant. Prior ex manibus illorum Sacerdotum Crucem velatã accipiat, ipsamque detegens, nudam omnibus repræsentabit, & eleuans eam sursum ambabus manibus, incipiat Añam.



Ecce li gnum Crucis, in quo salus mundi pependit: venite adoremus. Dum dicit Ecce lignum. omnes Fratres in Choro, Ministri altaris, duo Diaconi, & duo Sacerdotes existẽtes suis in locis, flectãt genua, inclinantes se super Formas. Incipiente veró Cantore Crucis surgant omnes, & Chorus prosequatur Antiphonam. Hæc dum cantatur, Prior, vt supra, Crucem eleuatam teneat, quousque Antiphona sit finita, & postea illam tradat Sacerdotibus prædictis. Qui deponentes illam, sistant eam ad gradus Presbyterij super tapetum, vel pannum ibi stratum, & se collocent hinc & inde super latera sua, & per brachia reuerenter Crucẽ teneant, quilibet ex sua parte. Prior primo adoret eam, toto corpore se prosternens, & moram non faciens, semel tantum ipsam osculetur. Deinde se erigens collocet se ex parte dextera, vt stabat alter duorum Sacerdotum, & ex illa parte Crucem accipiens, ipsam teneat, quousque ille Sacerdos adoret. Quo surgente, & Crucem ex parte sinistra accipiẽte, alter adoret. Qui cùm adorauerit, Crucem de manu Prioris accipiat, & deinceps ipse, & alius Sacerdos eam teneant vt prius, quousque omnes adorauerint, adorantibus ipsam ad osculum coaptando. Post Sacerdotes Diaconus, qui ad Officium est indutus, adoret: deinde Diaconi, qui cantauerunt Agios. post ipsos autẽ adorent Subdiaconus, & Acolythi: post Ministros, ceteri Fratres accedentes eo ordine, quo itur ad Communionem: post Fratres Clericos, Fratres Conuersi adorent eo modo, & adoratione, quam diximus debere obseruari à Priore. Duo Diaconi qui cantauerunt Agios, postquam adorauerint, in Sacristiam vadant, & sacras vestes deponant. Dum autẽ Crux à Fratribus adoratur, Prior, & Ministri in Presbyterio sedeant, &

dicant Antiphonas, & Hymnos sequentes. Antiphona. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: miserere nostri, qui passus es pro nobis. Aña. Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam resurrectionem tuã laudamus, & glorificamus: ecce enim propter Crucem venit gaudium in vniuerso mundo. Hymnus.

CRux fidelis, inter omnes Arbor vna nobilis: Nulla silua talem profert Fronde, flore, germine: Dulce lignum, dulces clauos, Dulce pondus sustinet. ℣. Pange lingua gloriosi Prælium certaminis, Et super Crucis trophæum Dic triumphum nobilem, Qualiter Redemptor orbis Immolalatus vicerit. ℣. De parentis protoplasti Fraude factor condolens, Quãdo pomi noxialis Morsu in mortem corruit: Ipse lignum tunc notauit Damna ligni vt solueret. ℣. Hoc opus nostræ salutis Ordo depoposcerat, Multiformis proditoris Ars vt artem falleret, Et medelam ferret inde, Hostis vnde læserat. ℣. Quando venit ergo sacri Plenitudo temporis, Missus est ab arce Patris Natus, orbis conditor: Ac de ventre virginali Caro factus prodijt. ℣. Vagit infans inter arcta Conditus præsepia: Membra pannis inuoluta Virgo mater alligat: Et manus, pedesq. & crura, Stricta cingit fascia. ℣. Lustris sex qui iam peractis, Tempus implẽs corporis, Se volente, natus ad hoc, Passioni deditus, Agnus in cruce leuatur, Immolandus stipite. ℣. Hic acetum, fel, arundo, Sputa, claui, lancea: Mite corpus perforatur, Sanguis, vnda profluit, Terra, pontus, astra, mundus, Quo lauantur flumine. ℣. Flecte ramos arbor alta, Tensa laxa viscera, Et rigor lentescat ille, Quem dedit natiuitas: Vt superni membra Regis Miti tendas stipite. ℣. Sola digna tu fuisti Ferre sæcli pretium: Atque portum præparare Nauta mundo naufrago: Quem sacer cruor perunxit, Fusus Agni corpore. ℣. Gloria & honor Deo Vsquequaque altissimo, Vnà Patri, Filioq. Inclyto Paraclito: Cui laus est, & potestas, Per æterna sæcula. Amẽ. Si antequam prædicta terminentur, omnes Crucem adorauerint, nihilominus omnia cantentur. Postquam autem omnes Crucem adorauerint, Sacerdotes eam reuerenter eleuent, & Priori stanti super gradus Presbyterij tradant. Qui Crucem accipiens, ipsamque erigens, stans verso vultu ad Conuentum, incipiat Antiphonã.



Su per om ni a ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphauit, & mors mortem superauit in æternum. In incnoatione Antiphonæ Fratres in Choro, Ministri altaris, & duo Sacerdotes genua flectant, inclinantes se super Formas, & Cantore incipiente, Ligna cedrorum. surgant, & Antiphonam in Choro prosequantur. Quæ dum cantatur, Prior ambabus manibus Crucem teneat eleuatam, & ea finita, eodẽ modo tenens Crucem, dicat sequentem Oratio-

Orationem, sine Dominus vobiscum. & sine Oremus. sicut dicitur ad Horas huius diei. Oratio.

REspice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.

Oratione dicta, Prior Crucem tradat Sacristæ, qui illam statuet in loco suo, videlicet, vel in Sacristia, vel alibi, vt à sæcularibus adorari possit ad libitum eo mane. Vbi propter Fratrum paucitatem tot Sacerdotes, & Diaconi ad prædictum Officium haberi non possunt, Prior, & Diaconus, qui primo ad Officium est indutus, cum alijs duobus ipsum Officium exequantur. Postquam autem Prior Crucem Sacristæ tradiderit, ipse, & Ministri altaris & duo Presbyteri, qui cantauerint Versus, in Sacristiam vadant, & illis duobus deponentibus sacras vestes, Prior, & Ministri se calcient: deinde lotis manibus Prior casulam assumat, & præcedentibus Ceroferarijs, Subdiacono cum Calice, & Diacono cum Missali, ad altare accedens dicat, **Confiteor.** Interim prouideat Sacrista quòd vmbella sit præparata, sub qua sanctissimum Christi Corpus deferatur, & quòd opportune cerei dentur Fratribus, & nobilibus: deinde cum silentio procedatur ad reportandum ipsum sacratissimum Sacramentum processionaliter hoc ordine: Thuriferarius cum thuribulo, & incenso, Acolythi postea cum luminibus, deinde Fratres bini, & bini, iunioribus præcedentibus, & cereos non accensos deferentes, quos sequetur Sacerdos cum casula, manus tenens iunctas ante pectus, & habens à dextris Diaconum, & à sinistris Subdiaconum, & post ipsum nobiles & alij, cum cereis non accensis. Cum autem peruenerint vbi est sanctissimum Sacramentum, Fratres cum deuotione hinc, & inde ante altare se disponant genuflexi. Similiter Prior genuflectat cum Ministris: deinde stãs, & ministrante Diacono thuribulum, incenset ipse Prior Corpus Domini. Interim, & dum Diaconus, & Subdiaconus velum aliquod decens a Sacrista inibi præparatum, super humeros Prioris extendunt, accendantur cerei. Deinde Diaconus reuerenter extrahens Calicem de loco in quo fuerat reseruatus, cũ Priori porrigat: quem vbi genuflexus acceperit, surgat, & verso vultu ad Conuentum, in medio altaris stando, illum teneat eleuatum, quousque Cantore cum solemnitate incipiente: **Tantum ergo Sacramentum.** Conuentus totum Versum cantauerit. Interim Diaconus, & Subdiaconus hinc & inde stent genuflexi: Thuriferarius autem in medio pariter genuflexus, verso vultu ad Priorem, Corpus Christi reuerenter incenset. Cantato Versu, incipiatur Hymnus. **Vexilla Regis prodeunt.** & processionaliter reuertantur ad altare eo ordine, quo venerunt, excepto Thuriferario, qui immediate stabit ante Sacerdotem, Corpus Domini semper incensando. Super Sacramentum erit vmbella portata per digniores Religiosos, aut sæculares. Cum autem venerint ad altare, cerei manebunt accensi vsque post Communionem, & qui ipsos

sos tenebunt, erunt genuflexi per ordinem, videlicet vna pars eorum à cornu dextro, & alia à cornu sinistro altaris. Quibus in locis Fratres etiam sint prostrati, quousque Vesperæ sint inchoandæ, & respōdebunt celebrāti: nisi Chorus ita esset dispositus, quod ibi ad plenum satisfieri posset. Cum Prior peruenerit ad altare, deponat Corpus Domini super illud, deinde ipsum genuflexus adoret: quod cum eo facient Diaconus, & Subdiaconus. Posimodum Diaconus more solito Corporale explicet, & Subdiaconus sine Sacerdote Calicem alium cum vino, & aqua non benedicta præparet: quem Diaconus de manu Subdiaconi accipiens, offerat Sacerdoti cum patena coopertū: & Sacerdos illum in loco suo statuet coopertum similiter. Deinde Corpus Domini de Calice accipiat, & ante pedem Calicis cum vino & aqua præparati, collocet, depositaque Patena in loco suo, Calicem cum Corporali cooperiat. Postea accepto thuribulo, tantum Corpus Domini, & Calicem incenset. Quo facto, digitos abluat, & ablutio in piscinam proijciatur. Deinde depositis manibus super altare, dicat voce mediocri cū cantu Feriali. Oremus. Præceptis salutaribus moniti. &c. Et postmodum manibus eleuatis more solito prosequatur: Pater noster, & respōso. Sed libera nos à malo, submisse respondeat Amen. Et prosequatur more solito: Libera nos quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente Beata & gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Finita Oratione, Sacerdos inclinet profunde, & deinde dextera manu Corpus Domini accipiat, & eleuet vt videri possit à populo, ac statim in tres partes diuidat: ac deinde in voce mediocri dicat: Per omnia sæcula sæculorum. & responso, Amen. non dicatur Pax Domini. nec Agnus Dei. nec pax Ministris detur. Sed post responsionem prædictam, Sacerdos solitam partem Corporis Domini mittat in Calicem, nihil dicens: postmodum, prætermissa Oratione, Domine Iesu Christe, &c. ad sumptionem reliquarum partium dicat: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat me in vitam æternam. Amen. Deinde sumens tertiam partem quæ est in Calice cum vino, & aqua, nihil dicat. Peracta Communione, & ablutis digitis, Sacerdos coram altari, prætermissa Oratione Placeat tibi, &c. tantum dicat Orationē: Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, vt de Corpore Domini nostri Iesu Christi, fiat nobis remedium sempiternum. Amē. Ac deinde ipse, & Ministri more solito in Sacristiam redeant, & sacras vestes deponant. Cum Sacerdos acceperit Christi Corpus, extinguantur cerei, & Fratres reuertantur ad Chorum pro Vesperis dicendis.

SAB-

SABBATO SANCTO PASCHAE.



Icta Nona, Prior cum cappa ſericea, & Diaconus, qui benedicturus eſt Cereum, cum Miſſali: & Subdiaconus cum libro Euangeliorum, præcedentibus Ceroferarijs cum Cereis non accenſis, in Chorum veniant. Deinde Prior ſtans ante gradus Presbyterij, Diacono coram ipſo tenente librum Miſſalis, & Sacriſta, vel alio, cui ipſe innuerit, ad dexteram eius tenente patellam cum carbonibus ignitis, abſq. Dominus vobiſcum, & abſque Oremus, legendo ſine nota, benedicat ignem hoc modo.


DOmine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: bene ✠ dicere, & ſanctifi ✠ care digneris ignẽ iſtum, quem nos indigni per inuocationem vnigeniti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti benedicere præſumimus: tu clementiſſime, cum tua benedictione ſanctifica, & ad profectum humani generis prouenire concede. Per eundem Dominum noſtrum.

Finita benedictione, aſpergat ignem aqua benedicta: deinde candela de igne benedicto accendatur. Patella vero cum carbonibus accenſis in Presbyterio dimittatur, donec Cereus benedicendus fuerit accenſus: vt ſi candela fuerit extincta, eodem igne poſſit reaccendi. Diaconus vero aſſumpto à Subdiacono libro Euangeliorum, & benedictione à Priore dicente.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. ſtante à dextris eius Subdiacono cum candela de igne benedicto accenſa, & Ceroferarijs aſtantibus à dextris, & à ſiniſtris, cum Cereis non accenſis, qui omnes ſint verſis vultibus ad altare; Cereum benedicat. Prior autem, dum Cereus benedicitur, ſtet ad dexterum cornu altaris, ſicut ad Euangelium conſueuit. Benedictio.




EXul tet iam Angelica




turba cælorum: exultent



diuina my ſte ri a: & pro



tan ti Re gis vi cto ria,



tu ba in tonet ſa lutaris.

ta ris. Gaude at & li gi nem. Læ te-

tellus tan tis ir ra dia- tur & ma ter Ec cle-


ta ful go ri bus: & ſia tanti luminis ador-

æ terni Re gis ſplendo- na ta ful go ri bus: &


re il lu ſtra ta, to tius ma gnis po pu lo rum

or bis ſe ſen tiat vo ci bus hæc au


a miſiſ ſe ca- la reſul tet. Qua pro-




propter aſtantes vos fra-




tres cha riſſimi, ad tam



mi ram ſan cti hu ius lu-




minis cla ri ta tem,



vnà mecum quæſo Dei



omnipotentis mi ſe ricor-



diam in uo ca te. Vt qui



me non meis meritis in-



tra Leuitarum numerum




dignatus eſt ag gre ga-




re: lumi nis ſu i cla ri ta-



tem in ſun dens,




Ce re i huius laudem im-





ple re perfi ci at.

Per


Per Domi num noſtrum



Ieſum Chriſtũ Fi li um



ſuum: qui cum e o viuit



& regnat in v ni ta te


Spi ritus ſan cti De us.


Per om nia ſæ cu la ſæ-


cu lo rum. ℞. A men.


℣. Dominus vo bi ſcum.



℞. E t cum ſpiri tu tuo.


℣. S ur ſum cor da.


℞. H abe mus ad Dominum.


℣. G ra ti as aga mus



Domino De o no ſtro.


℞. D ignum, & iuſtum eſt.


Ve-




V Ere quia di gnum, &




iustum est, in ui si bi lem




Deum om ni po ten tem




Pa trem, Filiumque eius



V ni ge ni tum Dominum




nostrum Ie sum Christum




cum sancto Spi ri tu, toto




cordis ac men tis af fe-




ctu, & vo cis mini-




ste ri o per so na-



re. Qui pro nobis æterno



Pa tri Adæ debi tum sol-




uit, & ve te ris pia cu-




li, cau ti o nem pio
cruo-


cruo re de ter ſit.



Hæc ſunt e nim fe-



ſta Pa ſcha li a, in quib



bus ve rus il le Agnus



oc ci di tur, cuius ſan-



guine poſtes ſide li um



con ſe cran tur.


Hæc nox



eſt, in qua primum patres


noſtros, fi li os Iſra el



edu ctos de Ae gyp to,



Ru brum ma re ſic co



ve ſti gi o tran ſi re


fe ci ſti. Hæc


igi-



i gi tur nox eſt, quæ



pec ca torum te ne bras,



columnæ il lu minatio-


ne purga uit. Hæc



nox eſt, quæ ho die per


vni uerſum mundum in



Chri ſto cre den tes, à



vi ti js ſæ culi, & ca li gi-


ne peccatorum ſe gre ga-



tos, red dit gra ti æ,


ſo ci at que ſan cti ta-



ti. Hæc


nox eſt, in qua deſtru-



ctis vincu lis mor tis,



Christus ab in fe ris vi-




ctor a scen dit. Ni-




hil e nim no bis na-



sci pro fu it, ni si re-




di mi pro fuis set.




O mi ra cir ca



nos tuæ pi e ta tis




digna ti o. O




inæ sti ma bi lis di le-



cti o cha ri ta tis, vt




seruum re di meres, Fi-




li um tra di di sti.




O cer te ne ces-





sa ri um Adæ peccatum,
quod



quod Chriſti mor te dele-



tum eſt. O felix


cul pa, quæ ta lem ac



tantum me ru it ha be-


re re dempto rem.



O ve re bea ta nox,


quæ ſo la me ru it ſci re



tempus, & ho ram, in


qua Chriſtus ab in fe-


ris. re ſur re xit.


Hæc nox eſt,



de qua ſcriptum eſt: Et nox


ſicut dies il lu mi na bi-



tur, & nox il lu mi na tio




me a in de li ci js




me is. Huius igi tur



ſanctí fi ca ti o no ctis




pur gat ſce le ra, cul-



pas la uat, & red dit in-




no cen tiam lap ſis, &



mæ ſtis læ ti ti am.

Fu gat o di a, con-




cor di am pa rat, &




cur uat im pe ri a.


Hic imprimatur vnum granum incenſi à Diacono in Cereo: reliqua quatuor ab eo, qui tenuit grana incenſi.



In huius i gi tur no ctis



gra ti a, ſu ſci pe ſan cte




Pa ter in cen ſi hu ius


ſacri-



sa cri fi cium ve sper-



tinum: quod ti bi in hac




ce rei ob la tio ne so-




lemni, per mi ni strorum



ma nus de o pe ri bus



apum, sa cro san cta red-




dit Ec cle sia. Sed iam



co lum næ hu ius præ-



co nia nouimus, quam in




ho no rem Dei ru ti lans



i gnis ac cen dit.


Hic accenditur Cereus ab eo, qui grana incensi tenuit, cum candela accensa de igne benedicto, quam tenuit Subdiaconus.






Qui li cet


Hic Cerei Acolythorum cum eadem candela accendantur.




sit di ui sus in par tes,



mu tuati ta men lu mi-



nis detrimenta non no-



uit. Alitur enim liquan-



tibus ce ris, quas in ſub-




ſtantiam pretioſæ hu ius




lam pa dis

Hic accendantur lampades Eccleſiæ cum eadem candela.




a pis ma ter edu xit.




O ve re be a ta




nox, quæ ex poliauit Ae-



gyp ti os, di tauit




Hebrae os. Nox in qua




ter re nis cæ le ſti a,




hu ma nis di ui na




iungun tur. O ra- mus




mus er go te Do mine,




vt cereus iste in honorem




no minis tu i con se-




cra tus, ad noctis huius



ca li ginem de ſtru en dam,



in de fi ci ens per ſe-




ue ret. Et in odo rem



ſua ui ta tis ac ce ptus,



ſupernis luminaribus mi-



ſcea tur. Flammas



ei us lu ci fer matuti-




nus inue ni at. Il le,



in quam, lu ci fer,




qui ne ſcit oc ca ſum.




Il le qui re greſſus ab in-




ſe ris, humano ge ne ri ſe-




re nus illu xit. Pre-



ca mur er go te Do-




mine vt nos famulos tuos,



omnemque clerum, & de-




uotiſſimum populum, vnà




cũ beatiſſimo Papa noſtro




N. & Antiſtite noſtro




N. nec non glorioſiſſi-




mo Impe ratore no ſtro



N. vel Rege noſtro N. vel




Duce noſtro N. quiete




temporum conceſſa, in his

Paſcha-



Paſchalibus gaudijs conſer-




ua re di gne ris. Per




eundem Dominũ noſtrum




Ieſum Chriſtum Fi li um




tuum. Qui te cum vi uit,



& re gnat in v ni ta te



Spi ri tus ſan cti De us.



Per omnia ſæ cu la ſæculo-



rum. Amen.

Completa benedictione Cerei, Prior cum Miniſtris in Sacriſtiam reuertatur: & depoſita cappa ſericea, aſſumpta caſula, dum legitur prima Lectio, cum Miniſtris, more ſolito procedens ad altare, non dicat Confiteor. ſed inclinans, ſeſſum eat. Quatuor Lectiones ſequentes legantur in ſuperpelliceis, in loco, in quo Epiſtola Ferialibus diebus legi ſolet: & legantur ſine titulo.

IN principio creauit Deus cælum, Gen. 1.
& terram. Terra autem erat inanis, & vacua: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauitq. lucem diem, & tenebras noctẽ. Factumque eſt veſpere & mane, dies vnus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamẽtum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erãt ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum, Cælum. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus. Dixit vero Deus: Congre-

gregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Factumque eſt ita. Et vocauit Deus aridam, terram, congregationeſque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Factumque eſt veſpere & mane, dies tertius. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane, dies quartus. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas: & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: aueſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt veſpere & mane, dies quintus. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam: & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus. Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Gen. 2.

Quinque

que Orationes sequentes dicantur sine Dominus vobiscum. & sine Flectamus genua. sed dicatur Oremus.

Oratio.

DEus, qui mirabiliter creasti hominem, & mirabilius redemisti: da nobis quæsumus, contra oblectamenta peccati, mentis ratione persistere: vt mereamur ad gaudia æterna peruenire. Per Dominum nostrum Iesum.

Lectio secunda Exodi.

IN diebus illis: Factum est in vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptij: Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios super currus & equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerāt mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erāt quasi pro muro à dextris & à sinistris: liberauitque Dominus in die illo Israel de manu Aegyptiorum. Et viderunt Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius. Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino, & dixerunt. Tractus. Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equū & ascensorem proiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi in salutem. ℣. Hic est Deus meus, & honorabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum. ℣. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

Oremus. Oratio.

DEus, cuius antiqua miracula etiam nostris sæculis coruscare sentimus: præsta quæsumus, vt sicut priorem populum ab Aegyptijs liberasti, hoc ad salutem Gentium per aquas baptismatis opereris. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio tertia Isaiæ.

APprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrū. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & in gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israel. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Et creauit Dominus Deus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super om-

Cap. 4.

omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia.

Isai. 5. Tractus. Vinea facta est dilecto in cornu, in loco vberi. ℣. Et maceriam circumfodit: & plantauit vineam Sorec, & ædificauit turrim in medio eius. ℣. Et torcular fodit in ea: vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est. Oremus. Oratio.

DEus, qui nos ad celebrandum Paschale sacramentum vtriusque Testamenti paginis instruis: da nobis intelligere misericordiam tuã: vt ex perceptione præsentium munerum, firma sit expectatio futurorum. Per Dominum nostrum Iesum.

Lectio quarta Isaiæ.

C. 54. & 55. HAec est hereditas seruorum Domini: & iustitia eorum apud me, dicit Dominus. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum: & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & viuet anima vestra: & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testẽ populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes quæ non cognouerunt te, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ: neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terrã, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in ijs ad quæ misi illud, Dicit Dominus omnipotens. Oremus.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam semper Gentium vocatione multiplicas: concede propitius: vt quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum nostrum Iesum. Tractus. Sicut ceruus desiderat ad fõtes aquarũ: ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? ℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? Oremus. Psal. 41.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt qui festa Paschalia agimus, cælestibus desiderijs accensi, fon-

fontem vitæ ſitiamus, Dominum nostrum Ieſum Chriſtum.

Deinde ſequuntur Litaniæ.


KYrie eleiſon.
℟. Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
℟. Chriſte eleiſon.
Chriſte audi nos.
℟. Chriſte audi nos.
Pater de cælis Deus, miſerere nobis.
Repetatur à Choro.
Pater de cælis &c.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
℟. Fili Redemptor &c.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
℟. Spiritus ſancte &c.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis. ℟. Sancta Trinitas &c.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
Omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Corneli, ora.
Sancte Cypriane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Dionyſi cum Socijs tuis, ora.
Sancte Mauriti cum Socijs tuis, ora.
Sancte Ianuari cum Socijs tuis, ora.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate.
Sancti Coſma & Damiane, orate.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Omnes ſancti Martyres, orate.
Sancte Silueſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Antonine, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Hyacinthe, ora.
Sancte Raymunde, ora:
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Franciſce. ora.

Omnes

Omnes sancti Confessores, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Margarita, ora.
Sancta Vrsula cũ Sodalibus tuis, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Agnes, ora.
Omnes sanctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius esto. ℟. Parce nobis Domine.
A damnatione perpetua. ℟. Libera nos Domine.
A subitanea, & improuisa morte, libera nos Domine.
Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, libera.
Ab infestationibus dæmonum, libera nos Domine.
Ab immunditia mentis, & corporis, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
Ab immundis cogitationibus, libera.
A cæcitate cordis, libera.
A fulgure, & tempestate, libera.
Ab omni malo, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per passionem, & Crucem tuam, libera nos Domine.
Per gloriosam Resurrectionem tuã, libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuã, libera nos Domine.
Per gratiam sancti Spiritus paracliti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera nos Domine.
Peccatores. ℟. Te rogamus audi nos.
Vt pacem nobis dones, te rogamus.
Vt misericordia, & pietas tua nos custodiat, te rogamus.
Vt Ecclesiam tuam regere, & defensare digneris, te rogamus.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes gradus Ecclesiæ in sancta religione conseruare digneris, te rogamus audi nos.
Vt Episcopos, & Prælatos nostros, & cunctas congregationes illis cõmissas in tuo sancto seruitio conseruare digneris, te rogamus.
Vt Regibus & Principibus nostris pacem, & veram concordiam, atque victoriam donare digneris, te rogamus audi nos.
Vt cunctum populum Christianum pretioso sanguine tuo redemptum conseruare digneris, te rogamus.
Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.
Vt animas nostras, & parentum nostrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus.
Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogamus.
Vt oculos misericordiæ tuæ super nos reducere digneris, te rog.
Vt obsequium seruitutis nostræ rationabile facias, te rogamus.
Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogamus.
Vt miserias pauperum, & captiuorum intueri, & releuare digneris, te ro-

te rogamus audi nos.
Vt loca nostra, & omnes habitantes in eis, visitare, & consolari digneris, te rogamus.
Vt ciuitatem istam, & omnem populum eius protegere, & conseruare digneris, te rogamus.
Vt omnes fideles nauigantes, & itinerantes ad portum salutis perducere digneris, te rogamus.
Vt regularibus disciplinis nos instruere digneris, te rogamus.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, te rog.
Fili Dei. ℞. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℞. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℞. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. ℞. Miserere nobis.

Finitis Litanijs, Sacerdos cum Ministris ad altare accedens, dicat: Confiteor. more solito: quo dicto, & dicta Oratione solita ante altare, dicatur. Kyrie eleison. &c.



Glo ri a in excelsis De o.

Quo finito dicat Sacerdos: Dominus vobiscum. Oremus. Oratio.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras: conserua in noua familiæ tuæ progenie adoptionis Spiritum, quem dedisti: vt corpore & mente renouati, puram tibi exhibeant seruitutem. Per eundem. in vnitate eiusdem.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Fratres: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, nō quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Non repetatur Alleluia. Tractus. Laudate Dominum omnes Gentes: & collaudate eum omnes populi. ℣. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Ad Euangelium cerei non deferantur, sed tantum thus.

Col. 3. Psal. 116. Psal. 116.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.


Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et cito euntes, dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedet

Matt. 28.

vos

vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis. Non dicatur Credo. nec Offertorium: sed tantum, Dominus vobiscum. Oremus. Dicto Oremus. statim Diaconus offerat calicem Sacerdoti. Qui facta oblatione, & thurificato altari more solito, vertens se ad Conuentum dicat Orate fratres, &c. & postea Secretam, quæ hic sequitur. Secreta.

SVscipe Domine quæsumus preces populi tui cum oblationibus hostiarum: vt Paschalibus initiata mysterijs, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per Dominum. Præfatio. Te quidem Domine omni tempore, sed in hac potissimum nocte. Deinde dicatur: Sanctus, Sanctus, &c. Communicantes, & noctem. & Hanc igitur. dicantur. Postea dicente Sacerdote Pax Domini. respondeatur: Et cum spiritu tuo. sed Agnus Dei, non dicatur, nec pax detur, sed incipiatur ad Vesper. Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia. tota dicatur ante Psalmum. Psal. Laudate Dominum om-
Psal. 116. nes gentes, & Gloria Patri. Repetita Antiphona post Psalmum, Sacerdos ad altare, Cantore ei deferente, incipiat ad Magnificat, Antiphonam.



Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, alleluia. Finita Antiphona post Magnificat, Sacerdos conuersus ad Chorum, dicat: Dominus vobiscum. Deinde reuersus ad librum prosequatur.

Postcommunio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum. in vnitate eiusdem. Postea conuertat se iterũ Sacerdos ad Chorum, & dicat: Dominus vobiscum. Et Diaconus subiungat: Ite Missa est. sicut in Toto Duplici. Et sic Missa simul, & Vesperæ finiantur.

ORDO DICENDORVM communiter in Missis tam Conuentualibus, quàm priuatis.

SAcerdos quando celebraturus accesserit ad altare, dicat: Confitemini Domino, quoniam bonus. & ℟. Quoniam in sæculum misericordia eius. Inclinatus dicat.

COnfiteor Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccaui nimis cogitatione, locutione, opere, & omissione, mea culpa, precor vos orare pro me.

Item Sacerdos.

MIsereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, saluet, & confirmet in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Item Sacerdos.

ABsolutionem, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & mise-


misericors Dominus. ℟. Amen.


Confessione facta, & absolutione, se erigat Sacerdos, & dicat: A diutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. Et appropians ad altare, rursus inclinatus, dicat Orationem.

Aufer à nobis Domine cunctas iniquitates nostras: vt ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.


Hac Oratione dicta, osculetur altare: & erectus muniat se signo Crucis: & tunc incipiat Missam.

In Festis Totis Duplicibus.







In Festis Duplicibus, & Dominicis diebus.




In Festis Simplicibus.





In Sabbatis de beata Virgine.





Infra Octauas.




Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te.* Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cælestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili vnigenite* Iesu Christe. Domine Deus, Agnus

* Inclinatur caput.

* Inclinatur caput.

Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, * suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus * Iesu Christe Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

Inclinato capite. *Inclinato capite.*



CRe do in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum: Et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis: Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, * ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul * ADORATVR, ET CONGLORIFICATVR: qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

* *Hic genuflectitur.* * *Hic inclinatur caput.*

Post Offertorium Sacerdos accipiens Calicem, dicat: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et tenens cum duabus manibus eleuatum aliquantulum, dicat.

SVscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi: & præsta, vt in conspectu tuo tibi placens ascendat, & meam & omnium fidelium salutem operetur æternam.

Post ablutionem digitorum, Sacerdos iunctis manibus ante pectus, ad medium altaris veniens, inclinet profunde dicendo.


IN spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur Domine à te: & sic fiat sacrificium nostrum, vt à te suscipiatur hodie, & placeat tibi Domine Deus.


Quo dicto, se erigens, & ad Cornentum vel populū se conuertens, dicat.


ORate fratres, vt meum ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.


Præfatio in Natiuitate Domini, & quotidie per Octa. Item in Festo Corporis Christi, & quotidie per Octa. etiam in Missis de Sanctis. Item in omnibus Missis de Beata Virgine à Festo Natiuitatis Domini, vsque ad Purificationem, & in Festo Purificationis.


eter-



AEterne Deus. Quia per



ui si bi li um amorem ra-



in car na ti Ver bi my ste-


pia mur. Et i deo,


rium noua mentis nostræ


cum Angelis, & Archan-



o culis lux tu æ cla ri-



gelis, cũ Thronis, & Domi-



ta tis in ful sit. Vt dum



na tio nibus. Cumq. omni



visibiliter Deum cogno-


mi li tia cæ le stis exer-


scimus, per hunc, in in-


citus, hymnum glo ri æ







Infra Canonem.


COmmunicantes, & diem vel [noctem] ſacratiſſimum celebrantes, quo Beatæ Mariæ intemerata virginitas, huic mundo edidit Saluatorem: Sed & memoriam venerantes, inprimis eiuſdem glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis eiuſdem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſed & beatorum Apoſtolorum &c.


In die Epiphaniæ, & quotidie per Octau. in Miſſa de Octau. Præfatio.













Infra Canonem.


COmmunicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Vnigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis noſtræ viſibiliter corporalis apparuit. Sed & memoriam venerantes, inprimis glo-

gloriosæ semper Virginis Genitricis eiusdem Dei, & Domini nostri Iesu Christi. Sed & beatorum Apostolorum &c.

In Dominicis Quadragesimæ vsque ad Dominicam in Passione exclusiue, Præfatio.



Æterne Deus. Qui cor-



po ra li ie iu nio vi ti a




comprimis, mentem ele-




uas, vir tu tem lar gi ris,



& præ mia. Per Chri-



stum Dominum nostrum.




Per quem.


In capite Ieiunij, & deinceps vsque ad Dominicam in Passione exclusiue, in Profestis diebus; Præfatio.




Æterne Deus. Qui cor-




porali ie iu ni o vitia com-




primis, mentem ele uas,



virtutem largiris, & præ-
mia.




mia. Per Chriſtum Domi-




num noſtrum. Per quem.

In Dominica Paſſionis, & in Ramis, In Cœna Domini, Et in vtroque Feſto Sanctæ Crucis dicitur. Præfatio.




Æterne Deus. Qui ſa-




lutem humani generis in




ligno Crucis con ſtituiſti:




vt vnde mors orie ba tur;



in de vi ta reſurgeret.




Et qui in ligno vin ce-




bat, in ligno quoque vin-



ce re tur. Per Chriſtum




Do mi num no ſtrum.




Per quem.

A Dominica in Paſſione vſque ad Cœnam Domini in Ferialibus diebus in Miſſis de Tempore, Præfatio.




AEterne Deus. Qui sa-




lutem humani generis in




ligno Crucis constituisti:




vt vnde mors orie ba tur,




inde vita resur ge ret. Et




qui in ligno vincebat, in




ligno quoque vinceretur.




Per Christum Dominum



nostrum. Per quem.



In Sabbato Sancto Paschæ, & in die, & quotidie per Octauas, & in Octaua, Præfatio.



AEquum, & sa lu ta re.



Te quidem Domine om-




ni tempore, sed in hac po-




Sic dicitur in Sabbato Sancto tantum.


tissimum [Nocte]




die glo rio si us præ di ca-



re, cum Pascha nostrũ im-



molatus est Christus. Ipse



enim ve rus est Agnus,




qui abstulit peccata mun-



di. Qui mortem nostram



mo rien do de stru xit: &



vitam re sur gen do repa-





rauit. Et i deo,




Infra Canonem.

Communicantes, & [noctem sacratissimam] Sic dicitur in Sabbato sancto tantum; in alijs vero, diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper virginis Mariæ Genitricis eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi: sed & beatorum Apostolorum &c.







Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Quæsumus Domine, vt pla-

placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace &c.

In die Aſcenſionis & per Octau. (etiam in Miſſis de Sanctis, niſi in Feſto Sanctæ Crucis) & in Octaua,


Præfatio.




AEterne Deus. Per




Chriſtum Dominum no-




ſtrum. Qui poſt reſurre-




ctio nem ſuam om ni bus




diſcipulis ſuis ma ni fe-




ſtus ap pa ruit: & ipſis cer-




nenti bus eſt ele ua tus




in cæ lum, vt nos Di ui-



ni ta tis ſu æ tri bu e ret



eſ ſe. par ti ci pes. Et




i de o.

Infra Canonem.


COmmunicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter vnigeni-

genitus Filius tuus vnitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam, in gloriæ tuæ dextera collocauit: ſed & memoriam venerantes inprimis glorioſæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis eiuſdem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti: Sed & beatorum Apoſtolorum &c.


In Vigilia Pentecoſtes, & in Die, & quotidie per Hebdomadam, Præfatio.




Æterne Deus. Per Chri-




ſtum Dominum noſtrum.




Qui aſcendens ſuper om-




nes cælos, ſedenſque ad




dexteram tuam, promiſſum




Spiritum ſanctum hodier-



na di e in fi li os ado-



pti o nis effu dit: Qua-




propter, profuſis gau dijs,



totus in orbe ter ra rum





mundus exultat. Sed & ſuper-












Infra Canonem.


Communicantes, & diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus sanctus Apostolis in igneis linguis apparuit. Sed & memoriam &c.


Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus Domine vt placatus accipias, &c.

In Festo SS. Trinitatis, & quotidie per Hebdomadam vsque ad Quintam Feriam exclusiue, in Missis de Trinitate. Item in Festo Transfigurationis Domini, Præfatio.














Non



Non in v ni us ſingularita-



te perſonæ, ſed in vni us



Tri ni ta te ſub ſtan tiæ.



Quod enim de tua glo ria,


re ue lan te te cre di mus,



hoc de Fi li o tu o, hoc de



Spiritu ſancto ſine diffe-


ren ti a di ſcre ti o nis


ſentimus. Vt in confeſſio-



ne veræ ſem pi ter næque


Deitatis, & in Per ſo nis


pro pri e tas, & in eſſen-


ti a vni tas, & in maie-



ſta te ado re tur æ qua-
litas.




litas. Quam laudant Ange-




li, atque Archangeli, Che-




rubim quoque, ac Sera-



phim, qui non cessant cla-



mare quo ti di e vna vo-




ce di cen tes.


De Beata Virgine, Præfatio.




AEterne Deus: Et te in




Sanctificatio ne. Annun-



ci a ti o ne. Visitatione. As-




sumptione. Natiuitate. So-



lemnitate. Præsentatione.




Vene ra tio ne beatæ Ma-




ri æ semper Virginis ex-


ultan-



ultantibus ani mis lau dã-



re, be ne di ce re, & præ-




dica re. Quæ & Vnigenitum



tuum ſancti Spiritus obũ-



bratione conce pit, & vir-




gi ni tatis glo ria permanen-



te, mundo lumen æternum:




eſſu dit Ie ſum Chriſtum




Dominum noſtrũ. Per quẽ.




De Apoſtolis, Præfatio.




AEquũ, & ſa lu ta re. Te



Dom ine ſupplici ter exo-




ra re, vt gregẽ tuum Paſtor



æter ne non de ſeras : ſed


per




per beatos Apo ſtolos tuos




con ti nu a pro te ctio ne




cuſtodias: vt ijſdem recto-



ribus gubernetur, quos o-




peris tui vi ca rios



eidem contu li ſti præ-




eſ ſe paſto res. Et



i deo

Cantus Solemnis.




P Er om nia ſæ cula ſæcu-




lorum. Amen. Do minus




vobiſcum. Et cum ſpiritu



tu o. Sur ſum cor da.



Habemus ad Dominum.




Gra tias aga mus Domi-
no



no De o noſtro. Dignum


& iuſtum eſt.


Vere dignum, & iuſtum



eſt, æquum, & ſa lu tare:



Nos ti bi ſemper, & vbi-



que gratias age re, Domi-



ne ſancte, Pater omnipo-


tens, æ ter ne De us, per



Chriſtum Dominum no-


ſtrum. Per quem maieſta


tem tuam laudant Angeli,



adorant Do mi na tiones,


tremunt Po teſtates: cæli


cælorumque Virtutes, ac
bea-



be a ta Seraphim ſo cia




exul ta tio ne conce le-



brant. Cum quibus & no-



ſtras voces, vt admit ti iu-



beas depreca mur ſup plici



con feſſio ne di cen tes.

Cantus Ferialis, & Trium Lectionum.

M. P.



Per omnia ſæcula ſæcu-




lorum. Amen. Dominus




vo biſcum. Et cum ſpiri-



tu tuo. Sur ſum cor da.



Habe mus ad Dominum.




Gratias agamus Domino




Deo noſtro. Dignum, & iuſtum


M




iuſtum eſt. Vere dignum,




& iuſtum eſt, æquum, &




ſalutare. Nos tibi ſemper,



& vbique gratias agere,




Domine ſancte, Pater om-




nipotens, æterne Deus,




Per Chriſtum Dominum




noſtrum. Per quem maie-




ſtatem tuam laudant An-




geli, adorant Dominatio-



nes, tremunt Poteſtates: cæ-



li cælorumq. Virtutes, ac





beata Seraphim ſocia exul-





tatione concelebrant. Cum

qui-









Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cæli, & terra gloria tua, Hoſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.


I·N·R·I·

CANON SACROSANCTI INCRVENTI SACRIFICII MISSAE.



E igitur clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, vti accepta habeas, & benedicas hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum: vnà cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

MEmento Domine famulorum, famularumque tuarum N. & N. Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro redemptione animarũ suarũ, pro spe salutis, & incolumitatis suæ: tibique reddũt vota sua æterno Deo viuo & vero.

COmmunicantes, & memoriam venerantes inprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ Genitricis Dei

& Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſed & Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis, precibuſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

HAnc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias: dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

QVam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus, bene✠dictam, aſcrip✠tam, ra✠tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: vt nobis Cor✠pus, & San✠guis fiat dilectiſsimi Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.

QVi pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, bene✠dixit,

xit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.

Hoc est enim corpus meum.

SImili modo postquā cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene ✠ dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes.

Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

VNde & memores Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi Filij tui Domini Dei nostri, tam beatæ Passionis, necnon & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis, offerimus pręclarę Maiestati tuę, de tuis donis ac datis, Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam, Pa ✠ nem sanctum vitæ æternæ, & Cali ✠ cem salutis perpetuæ.

SVpra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium

Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ. Vt quotquot, ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filij tui Cor ✠ pus & San ✠ guinem sumpserimus, omni be ✠ nedictione cælesti, & gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

MEmento etiam Domine famulorũ, famularumq. tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis N. & N. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

NObis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis Sanctis Apostolis, & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non æstimator

tor


tor meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

PEr quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſancti ✠ ficas, viui ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præſtas nobis. Per ✠ ipſum, & cũ ✠ ipſo, & in ✠ ipſo, eſt tibi Deo ✠ Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ✠ ſancti, omnis honor & gloria.


Cantus Solemnis.




P Er omnia ſæ cula ſæcu-




lorum. Amen. O re mus.



P ræceptis ſa lu ta ri bus




moniti, & diuina inſtitu-




ti o ne formati audemus




di ce re.




P Ater no ſter, qui es in




cælis: ſanctifi cetur nomen



tuum. Adueniat regnum tuum.




tuum. Fiat voluntas tua,



ſicut in cælo, & in terra.



Panem noſtrum quoti-




dianum da nobis hodie.



Et dimitte nobis debita



noſtra, ſicut & nos dimit-




ti mus de bi to ri bus no-

ſtris. Et ne nos inducas in


tentationem. ℟. Sed li-

be ra nos à ma lo. Amen.


Cantus Ferialis.



PEr omnia ſæ cula ſæcu-



lorum. Amen. O re mus.




Præceptis ſa lu ta ri bus

moni-




moniti, & diuina inſtitu-




ti o ne formati audemus




di ce re.




PAter no ſter, qui es




in cælis: ſanctificetur no-




men tuum. Ad ue niat




regnum tuum. Fiat vo-



luntas tua, ſicut in cæ-



lo, & in ter ra. Pa nem



noſtrum quo tidianum da



nobis hodie. Et di mit te



nobis debita noſtra, ſicut



& nos di mit timus debi-




toribus noſtris. Et ne nos


in-



inducas in ten ta tio nem.




℟. Sed libera nos à ma-




lo, Amen.


LIbera nos quæſumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris : & intercedente Beata & glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris : vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus.




PEr om ni a ſæ cu la ſæ-




culorum. ℟. Amen. Pax



✠ Domini ſit ✠ ſemper



vo ✠ biſcum. ℟. Et cum



ſpiritu tuo.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

HAec Sacrosancta commixtio Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat mihi, & omnibus sumentibus salus mentis, & corporis: & ad vitam æternam promerendam, atque capessendam præparatio salutaris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

DOmine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuā mundum viuificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus & Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuersis malis: & fac me tuis semper inhęrere mandatis, & à te numquā separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.


COrpus & Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiant me in vitam æternam. Amen.

QVod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, vt de Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, fiat nobis remedium sempiternum. Amen.


PLaceat tibi sancta Trinitas obsequium serui-

seruitutis meæ: & præsta, vt sacrificium quod oculis tuæ Maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In Festis Totis Duplicibus.




I Te




Missa est.

In Festis Duplicibus, & Dominicis diebus.




I Te




Mis sa est.

In Festis Simplicibus, & infra Octauas Solemnissimas, & Solemnes: & quando in Ferijs Ferijs agitur de B. Dominico, & de Sanctissimo Sacramento in Feria Quinta.



I Te



Mis sa est.

In Sabbatis de B. Virgine.



I Te Missa est.




Infra Octau. Simplices, & in Missis Votiuis extra Octau.




Sequens Benedicamus cantetur in Dominicis diebus Aduentus, & in Vigilia Natiuitatis Domini, & in Dominica in Septuagesima, & deinceps in Dominicis, vsque ad Cœnam Domini inclusiue.





Sequens Benedicamus cantetur in Festo Innocentum, nisi fuerit Dominica, & in Festis Simplicibus, & quando agitur de B. Dominico in Feria Tertia, de Sanctissimo Sacramento in Feria v. & in Sabbatis de B. Virgine, infra Septuagesimam, vsque ad Pascha Resurrectionis.







In Profestis diebus, & Festis Trium Lectionum.



In Missis pro Defunctis.




In Quadragesima.



FLectamus genua. Leua te.

In Quadragesima.





HVmiliate capita vestra




Deo.

Quando Episcopus celebrat.





HVmi lia te vos ad be-



nedictionem.

IN DIE SANCTO PASCHAE RESVRRECTIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

Ad Missam. Officium.

Psal. 138.



Esurrexi, & adhuctecum sum, alleluia: posuisti super me manum tuam, alleluia: mirabilis facta est scientia tua, alleluia, alleluia. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui hodierna die per Vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti: vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per eundem Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 5.

FRatres: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis. ℟. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Alleluia. ℣. Pascha nostrum immolatus est Christus. (Psal. 117.) (1. Cor. 5.)

Sequentia.

VIctimæ Paschali laudes immolent Christiani.

Agnus redemit oues, Christus innocens Patri reconciliauit peccatores.

Mors, & vita duello conflixere mirando: dux vitæ mortuus, regnat viuus.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via?

Sepulchrum Christi viuentis: & gloriam vidi resurgentis.

Angelicos testes, sudarium, & vestes.

Surrexit Christus spes mea: præcedet vos in Galilæam.

Credendum est magis soli Mariæ veraci: quàm Iudæorum turbæ fallaci.

Scimus Christum surrexisse à mortuis vere: tu nobis victor Rex miserere. Amen. Alleluia.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 16.

IN illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidē.

Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Credo.

Psal. 75. Offertorium. Terra tremuit, & quieuit, dum resurgeret in iudicium Deus, alleluia. Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum: vt Paschalibus initiata mysterijs, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per Dominum. Præfatio. Te quidem Domine omni tempore. & Communicantes. & Hanc igitur. dicuntur per totam Hebdomadam. Communio. Pascha nostrum immolatus est Christus, alleluia: itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, alleluia, alleluia, alleluia.

1. Cor. 5.

Postcommunio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos sacramétis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum. eiusdem.

FERIA SECVNDA.

Officium.

Exo. 13. 

Ntroduxit vos Dominus in terram fluenté lac, & mel, alleluia: & vt lex Domini sit séper in ore vestro, alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Psal. 107.

Oratio.

DEus, qui solemnitate Paschali, mundo remedia contulisti: populum tuum, quæsumus, cælesti dono prosequere: vt & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum nostrum.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos scitis quod factum est verbũ per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa, post baptismum, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omniũ, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquam surrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. ℟. Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Dicat nunc Israel, Quoniam bonus: quoniá in sæculum misericordia eius. Alleluia. ℣. Nonne cor nostrum

Cap. 10.

Psal. 117.

Luc. 24.

ſtrum ardens erat in nobis de Ieſu, dũ nobis loqueretur in via? Sequẽt. V ictimæ Paſchali laudes. vt ſup. 193.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 24. IN illo tempore: Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus: & ipſi loquebantur ad inuicẽ de his omnibus, quæ acciderant. Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes? Et reſpõdens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes, & principes noſtri in damnationẽ mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus; quia ipſe eſſet redẽpturus Iſrael: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumẽtum: & ita inuenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum vero non inuenerunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiẽs à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quo ibant: & ipſe ſe finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum eſt dum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipſis erant, dicentes: Quòd ſurrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Credo. Offertorium. Angelus Domini deſcendit de cælo, & dixit mulieribus: Quem quæritis? ſurrexit, ſicut dixit, alleluia. Matt. 28.

Secreta.

SVſcipe, quæſumus Domine, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum: vt Paſchalibus initiata myſterijs, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per. Coĩo. Surrexit Dominus, & apparuit Petro, alleluia. Luc. 24. Poſtcõmunio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos ſacramentis

mentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum. eiusdem.

FERIA TERTIA.

Officium.

Eccl. 15. Qua sapientiæ potauit eos, alleluia: firmabitur in illis, & non flectetur, alleluia: & exaltauit eos in æternum, alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Psal. 117. Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam nouo semper fetu multiplicas: concede famulis tuis, vt sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Cap. 13. IN diebus illis: Surgens Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitant Ierusalem, & principes eius ignorantes Iesum, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento. Deus vero suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, qui ascenderant simul cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annunciamus eã, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans Iesum Christum Dominũ nostrum. ℟. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Dicant nunc qui redempti sunt à Domino: quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos. Alleluia. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Sequentia. Victimæ. vt in die Paschæ. 193. Psal. 117. Psal. 106. Matt. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascẽdunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partẽ piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari Cap. 24.

in

in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in omnes Gentes. Credo. Offertorium. Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: & apparuerunt fontes aquarum, alleluia. Secreta.

Psal. 17.

SVscipe Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum: vt per hæc piæ deuotionis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per. Communio. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, alleluia: vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, alleluia. Postcommunio.

Col. 3.

COncede, quæsumus omnipotẽs Deus: vt Paschalis perceptio sacramenti, continua in nostris mentibus perseueret. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Officium.

Matt. 25.

VEnite benedicti Patris mei, percipite regnum, alleluia, quod vobis paratum est ab origine mundi, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

Psal. 117.

DEus, qui nos resurrectionis Dominicæ annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt per temporalia festa quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eũdem Dominum nostrum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 3.

IN diebus illis: Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem qui prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. ℟. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me. Alleluia. ℣. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.

Psal. 117.

Ro. 6.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Manifestauit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto, stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Et dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam nõ valebant illud trahere

Ioan. 21.

præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dedit eis: & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis. Credo. Offertorium. Portas cæli aperuit Dominus, & pluit illis manna vt ederent: panem cæli dedit illis, panem Angelorum manducauit homo, alleluia. Psal. 77.

Secreta.

SAcrificia, Domine, Paschalibus gaudijs immolamus: quibus Ecclesia tua mirabiliter & pascitur, & nutritur. Per Dominũ. Communio. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, alleluia: mors illi vltra non dominabitur, alleluia, alleluia. Rom. 6.

Postcommunio.

AB omni nos, quæsumus Domine, vetustate purgatos Sacramenti tui veneranda perceptio in nouã transferat creaturã. Qui viuis.

FERIA QVINTA.

Officium.



VIctricem manum tuam Domine laudauerunt pariter, alleluia: quia sapiẽtia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas, alleluia, alleluia. Sap. 10.

℣. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 105.

Oratio.

DEus, qui diuersitatem gentium in confessione tui nominis adunasti: da vt renatis fonte baptismatis vna sit fides mentium, & pietas actionum. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Angelus Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta. Et surgẽs abijt. Et ecce vir Aethiops eunuchus, potens Candacis Reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensq. Isaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitq. Philippum, vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem Scripturæ quam legebat, hic erat: Tamquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In Act. 8.

humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandā aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto. Et pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis (donec veniret Cæsaream) nomen Domini

Psal. 117. nostri Iesu Christi. ℟. Hæc dies quā fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis no-

Matt. 28. stris. Alleluia. ℣. In die resurrectionis meæ, dicit Dominus, præcedam vos in Galilæam.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Cap. 20. IN illo tempore: Maria stabat ad monumentum, foris plorans. Dū ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur magister.) Dicit ei Iesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Credo. Offertoriū.

In die solemnitatis vestræ, dicit Dominus, inducam vos in terram fluentem lac & mel, alleluia. Exod. 13.

Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, munera populorum tuorum propitius: vt confessione tui nominis, & baptismate renouati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per.

Communio. Populus acquisitionis, annunciate virtutes eius, alleluia, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, alleluia. 1. Pet. 2.

Postcommunio.

EXaudi Domine preces nostras: vt redemptionis nostræ sacrosancta commercia, & vitæ nobis conferant præsentis auxilium, & gaudia sempiterna concilient. Per Dñm.

FERIA SEXTA.

Officium.

Psal. 77

Duxit eos Dominus in spe, alleluia: & inimicos eorum operuit mare, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestrã in verba oris mei. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere cõtulisti: da mentibus nostris, vt quod professione celebramus, imitemur effectu. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

1. Pet. 3
Charissimi: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. In quo & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi Domini
Psal. 117.
nostri, qui est in dextera Dei. ℟. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. ℣. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus & illuxit nobis. Alleluia.
Matt. 28.
℣. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

In illo tempore: Vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in mõtem vbi constituerat illis Iesus. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumq. mandaui vobis: & ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Credo. Offertorium. Erit vobis hic dies memorialis, alleluia: & diem festum celebrabitis solemnem Domino in progenies vestras: legitimum sempiternum diem, alleluia, alleluia, alleluia. Cap. 28. Leui. 23.

Secreta.

Hostias, quæsumus Domine, placatus assume: quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, & pro acceleratione cælestis auxilij. Per Dominum. Communio.
Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, alleluia: euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, alleluia, alleluia. Postcõio. Matt. 28.

Respice, quæsumus Domine, populum tuum: & quem æternis dignatus es renouare mysterijs, à temporalibus culpis dignanter absolue. Per Dominum.

SABBATO.

Officium.

Psal. 104

Duxit Dominus populum suum in exultatione, alleluia: & electos suos in lætitia, alle-

alleluia, alleluia. ℣. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

Concede quæsumus omnipotens Deus: vt qui festa Paschalia venerando egimus: per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

1. Pet. 2. Charissimi: Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustâstis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tamquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod continet Scriptura: Ecce ponam in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum: & qui crediderit in illum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Alleluia. ℣. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Psal. 117.
Alleluia. ℣. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In illo tempore: Vna Sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, & vidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem diligebat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominũ de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul: & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit: nondum enim sciebant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Credo. Offertorium. ℣. Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vos de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis, alleluia, alleluia. Psal. 117. Cap. 20.

Secre-

Secreta.

Concede quæsumus Domine, semper nos per hæc sancta mysteria Paschalia gratulari: vt continua nostræ reparationis operatio, perpetuæ nobis fiat causa lætitiæ. Per Dominum nostrum. Communio. Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, alleluia.

Postcommunio.

Redemptionis nostræ munere vegetati, quæsumus Domine: vt hoc perpetuæ salutis auxilio, fides semper vera proficiat. Per Dominũ.

DOMINICA

In Octau. Paschæ. Officium.

1 Pet. 2 
Vasi modo geniti infantes, alleluia: rationabiles, sine dolo lac concupiscite, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Psal. 80.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: vt qui Paschalia festa peregimus: hæc te largiente, moribus & vita teneamus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Ioannis Apostoli.

1 Io. 5 Charissimi: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres vnum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniã hoc est testimonium Dei, quod maius est, quia testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Alleluia. ℣. Post dies octo, ianuis clausis, stetit Iesus in medio discipulorum suorum, & dixit: Pax vobis. Alleluia. Ioan. 20. ℣. Surrexit Dominus de sepulchro: qui pro nobis pependit in ligno. Ab hac die vsque ad Rogationes exclusiue. Alleluia. quæ dicuntur in Dominicis ad Missam, vicissim repetantur in Profestis diebus, quando de Tempore agitur.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In illo tempore: Cum esset sero die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Diuisio per Hebdomadam.

midum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Credo.

Matt. 28. Offertorium. Angelus Domini descendit de cælo, & dixit mulieribus: Quem quæritis? surrexit sicut dixit, alleluia. Secreta.

SVscipe munera, quæsumus Domine, exultantis Ecclesiæ: & cui causam tanti gaudij præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ. Per Dominum. Præfatio. Te quidem Domine. & Cōmunicantes. & Hanc igitur. Communio. Mitte manum tuam, & cognosce loca clauorum, alleluia, & noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia, alleluia. Ioan. 20.

Postcommunio.

QVæsumus, Domine Deus noster, vt sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per Dominum nostrum.

DOMINICA PRIMA

Post Octa. Paschæ. Officium.



MIsericordia Domini plena est terra, alleluia: verbo Dei cæli firmati sunt, alleluia, alleluia. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Psal. 32. Oratio.

DEus, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam: vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudijs facias sempiternis perfrui. Per eundem Dominū. Secunda Oratio de Cruce. Tertia A cunctis.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli. 1. Pet. 2.

CHarissimi: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exēplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum. Alleluia. ℣. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Alleluia. Ioan. 10. Surrexit Christus, & illuxit populo suo: quē redemit sanguine suo.

Sequen-

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Credo. Offertorium.

Psal. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo: & in nomine tuo leuabo manus meas, alleluia.

Secreta.


BEnedictionem Domine nobis conferat salutarem sacra semper oblatio: vt quod agit mysterio, virtute perficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit. Communio. Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, alleluia: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, alleluia, alleluia.

Postcommunio.

PRæsta nobis quæsumus omnipotens Deus: vt viuificationis tuæ gratiam consequentes, in tuo semper munere gloriemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

DOMINICA SECVNDA.

Officium.



IVbilate Deo omnis terra, alleluia: psalmum dicite nomini eius, alleluia: date gloriam laudi eius, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dicite Deo, Quàm terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ! Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 65.

Oratio.

DEus qui errantibus, vt in viam possint redire iustitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum nostrum. Oratio Secunda de Cruce. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ beati Petri Apostoli.

1. Pet. 2. CHarissimi: Obsecro vos tamquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gentes habentes bonam: vt in eo quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue regi quasi præcellenti: siue ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudē vero bonorum: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes, obmutescere faciatis imprudētium hominū ignorantiam: quasi liberi, & nō quasi velamen

tamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis: non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, In Christo Iesu Domino nostro. Alleluia. ℣. Modicum & non videbitis me, dicit Dominus: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Alleluia. ℣. Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis, & pro suo grege mori dignatus est.

Ioan. 16.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 16.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Credo. Offertorium.

Psal. 145.

Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo, quamdiu ero, alleluia.

Secreta.

HIs nobis Domine mysterijs cõferatur, quo terrena desideria mitigantes, discamus amare cælestia. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Communio. Modicum & non videbitis me, alleluia: iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, alleluia.

Ioan. 16.

Postcommunio.

SAcramẽta quæ sumpsimus, quæsumus Domine, & spiritualibus nos instaurent alimentis, & corporalibus tueantur auxilijs. Per Dñm.

DOMINICA TERTIA.

Officium.

Psal. 97.



CAntate Domino canticum nouum, alleluia: quia mirabilia fecit Dominus, alleluia: ante conspectum gentiũ reuelauit iustitiam suam, alleluia, alleluia. ℣. Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis: da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis: vt inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum. Oratio Secunda de Cruce, Tertia. A cunctis.

Le-

Lectio Epistolæ Beati Iacobi Apostoli.

Iac. 1 CHarissimi: Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminũ, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis: vt simus initium aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Propter quod abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Alleluia. ℣. Vado ad eum, qui misit me: sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Alleluia. ℣. Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno.

Ioan. 16.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Cap. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vado ad eum, qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iã non videbitis me: de iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc habeo multa vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: & quæ vẽtura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Credo.

Offertorium. Iubilate Deo vniuersa terra: psalmum dicite nomini eius: venite, & audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ, alleluia. Psal. 65.

Secreta.

DEus, qui nos per huius sacrificij veneranda commercia, vnius summæ diuinitatis participes esse fecisti: præsta quæsumus, vt sicut tuam cognouimus veritatem, sic eã dignis moribus assequamur. Per Dominum. Communio. Cum venerit Paraclitus, Spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio, alleluia, alleluia. Ioan. 16.

Postcommunio.

ADesto nobis Domine Deus noster, vt per hæc quæ fideliter sumpsimus, & purgemur à vitijs, & à periculis omnibus eruamur. Per.

DOMINICA QVARTA.

Officium.



VOcem iucũditatis annunciate, & audiatur, alleluia: annunciate vsque ad extremum terræ: liberauit Dominus populum suum, alleluia, alleluia. ℣. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Isaia 48. Psal. 65.

Oratio.

Oratio.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis: vt cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum nostrum.

Oratio Secunda de Cruce. Tertia. A cunctis.

Lectio Epistolæ beati Iacobi Apostoli.

Iac. 1. CHarissimi: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor: hic cōparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autē perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire

Ioan. 16. ab hoc sæculo. Alleluia ℣. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis. Al-

Matt. 28. leluia. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis: venit hora cum iam nō in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrē. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi. Credo. Offertorium.

Benedicite gentes Dominum Deū nostrum, & obaudite vocem laudis eius: qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos: benedictus Dominus qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me, alleluia. Psal. 65.

Secreta.

SVscipe Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum: vt per hæc piæ deuotionis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per Dominum nostrum. Communio

Cantate Domino, alleluia, cantate Domino, & benedicite nomen eius: bene nunciate de die in diem salutare eius, alleluia, alleluia. Psal. 95.

Postcommunio.

TRibue nobis Domine cælestis mensæ virtute satiatis, & desiderare quæ recta sunt, & desiderata percipere. Per Dominum nostrum.

FERIA SECVNDA in Rogationibus, quando Missa cantanda

tanda fuerit, Sacerdos & Ministri induant se sacris vestibus: deinde finita Hora præcedente Missam, veniăt in Chorum, & stent sicut in Dominicis diebus ad aspersionem aquæ benedictæ. Cantor autem incipiat
Psal. 43. Antiphonam. Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum, alleluia. ℣. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis. Gloria Patri.

Post repetitionem Antiphonæ, Sacerdos dicat Versum. Ostende nobis Domine misericordiă tuam, alleluia. Et Chorus respondeat. Et salutare tuum da nobis, alleluia. Dominus vobiscum. Oremus. Oratio

PArce Domine, parce populo tuo: vt dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum.

Sequuntur Litaniæ, sicut in Sabbato sancto notatæ sunt 157. Interim Sacerdos & Ministri sedeant in Presbyterio. Et cum dictum fuerit Peccatores, Te rogamus audi nos.

Sacerdos cum Ministris reuertatur in Sacristiam, & casulam assumat. Inchoata vero Missa, præcedente vno Ceroferario, more solito veniăt ad altare. Et hic ordo in duobus diebus sequentibus obseruetur.

A D M I S S A M.

Officium.

Psal. 17. EXaudiuit de templo sancto suo vocem meam, alleluia: & clamor meus in cŏspectu eius introiuit in aures eius, alleluia, alleluia. ℣. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Gloria Patri. Oratio

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus: contra aduersa omnia, tua semper protectione muniamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Iacobi Apostoli.

CHarissimi: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorĕ ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinĕ peccatorum. Alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Iac. 5. Psal. 117.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans; dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quòd amicus sit, propter impro- Luc. 11.

improbitatẽ tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios: Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrẽ petit panẽ, numquid lapidẽ dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ouum: numquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Offertorium. Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum, qui astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam, alleluia. Psal. 108.

Secreta.

HAec munera quæsumus Domine, & vincula nostræ prauitatis absoluant, & tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per Dominum nostrum. Communio. Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur, alleluia. Luc. 11.

Postcommunio.

VOta nostra, quæsumus Domine, pio fauore prosequere: vt dum dona tua in tribulatione percipimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Feria iij. Officium. Exaudiuit. & cetera omnia sicut in præcedenti ij. Feria.

IN VIGILIA ASCENSIONIS Domini.

Officium.



OMnes Gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Subiecit populos nobis, & Gentes sub pedibus nostris. Gloria Patri & Filio. Psal. 46.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: vt nostræ mentis intentio, quò solemnitatis venturæ gloriosus auctor ingressus est, semper intendat: & quò fide pergit, conuersatione perueniat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

FRatres: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autẽ pastores & doctores ad cõsummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi Domini nostri. Alleluia. Eph. 4

℣. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Ioan. 16.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 17. IN illo tempore: Subleuatis Iesus oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciã: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt vere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt: & ego ad te venio. Offertorium. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubæ, alleluia. Psal. 46.

Secreta.

SAcrificium Domine pro Filij tui supplices venerabili, quam præuenimus, Ascensione deferimus: præsta quæsumus, vt & nos per ipsum his commercijs sacrosanctis ad cælestia consurgamus. Qui tecum.

Ioan. 17. Communio. Pater, cum essem cum eis, ego seruabam eos quos dedisti mihi, alleluia: nunc autem ad te venio: non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo, alleluia, alleluia.

Postcommunio.

TRibue, quæsumus Domine, vt per hæc sacramenta quæ sumpsimus, illuc tendat nostræ deuotionis affectus, quo tecum est nostra substantia Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum.

IN DIE ASCENSIONIS Domini, finita Tertia, Prior cum cappa sericea, & Diaconus cum reliquijs, & Subdiaconus sericeis induti, præcedentibus Ceroferarijs, & Cruciferario in albis, in Chorum veniant. Finita Processione, Prior, & Ministri in Sacristiam vadant, & deposita cappa sericea à Priore, assumptaq. casula, & Missa inchoata, procedant more solito ad altare.

AD MISSAM.

Officium.



VIri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? alleluia: quemadmodum vidistis eum ascendẽtem in cælum, ita veniet, alleluia, alleluia, alleluia. Act. 1.

℣. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotens Deus: vt qui hodierna die Vnigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cælos ascendisse credimus: ipsi quoque mente in cælestibus habitemus. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Vna

Vna tantum Oratio, & per Octauam.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 1 PRimum quidem sermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: quibus & præbuit seipsum viuum post passionẽ suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quã audistis (inquit) per os meum: quia Ioãnes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutẽ superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum

Psal. 46 euntem in cælũ. Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus

Eph. 4. in voce tubæ. Alleluia. ℣. Ascendẽs Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

Sequentia: Omnes Gentes plaudite. ad finem Missalis. 62.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 16. IN illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euãgelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus postquã locutus est eis, assumptus est in cælũ, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Credo. Offertorium. Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, alleluia. Act. 1

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ pro Filij tui gloriosa Ascensione deferimus: & concede propitius: vt à præsentibus periculis liberemur, & ad vitam perueniamus æternam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Præfatio. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis. & Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes. Communio. Psallite
Psal. 67. Domino qui ascendit super cælos cælorum ad Orientem, alleluia.

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt quæ visibilibus mysterijs sumenda percepimus, inuisibili consequamur effectu. Per Dominum nostrum Iesum.

Per Octauas Ascensionis, & in Octaua ad Missam, omnia fiant sicut in die, excepta Sequentia, & Credo, In Octaua tamen die dicatur Credo.

DOMINICA

Infra Octa. Ascensionis. Officium.

Psal. 26. 
Xaudi Domine vocẽ meam, qua clamaui ad te, alleluia: tibi dixit cor meũ, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me, alleluia, alleluia. ℣. Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotã gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire. Per Dominum.

Memoria de Ascensione, & hæc sola fiat, nisi aliqua alia Memoria occurrerit.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

1. Pe 4. CHarissimi: Estote prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia autem, mutuã in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmuratione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispẽsatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum Dominum nostrum. Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubæ. Psal. 46.
Alleluia. ℣. Dominus in Sina, in sancto: ascendens in altum, captiuam Psal. 67.
duxit captiuitatem.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Paraclitus, quẽ ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis: quia ab initio mecum estis. Hæc lo- Cap. 16.
cutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis: vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Credo. Offertorium. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubæ, alleluia. Psal. 46.

Secreta.

SAcrificia nos Domine immaculata purificent, & mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Præ-

Præfatio. Qui poſt reſurrectionem. & Communicantes. Communio.
Ioan. 17. Pater cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos, quos dediſti mihi, alleluia: nunc autem ad te venio: non rogo vt tollas eos de mũdo, ſed vt ſerues eos à malo, alleluia, alleluia.

Poſtcommunio.


Repleti Domine muneribus ſacris, da quæſumus, vt in gratiarum ſemper actione maneamus. Per Dominum noſtrum.

Feria vj. poſt Octa. Aſcenſionis pro Defunctis: reliqua in Ordinario.

IN VIG. PENTECOSTES

dicta Nona, Lectiones ſequentes legantur eo modo, loco, & ordine, qui in Sabbato Sancto notatus eſt. 153. Dum prima Lectio legitur, Sacerdos indutus caſula, cum Miniſtris accedens ad altare, non dicat, Cõfiteor. ſed inclinans ſeſſum eat.

Lectio j. Geneſis.



Gen. 22. IN diebus illis: Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille reſpondit: Adſum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: & offeres eũ ibi in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinũ ſuum, ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum. Cumque concidiſſet ligna in holocauſtum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Die autẽ tertio, eleuatis oculis, vidit locũ procul: dixitque ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino: ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuũ: ipſe vero portabat in manibus ignem, & gladium. Cumque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: vbi eſt victima holocauſti? Dixit Abraham: Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi. Pergebant ergo pariter: veneruntque ad locum quem oſtenderat ei Deus: in quo ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit. Cumque colligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuũ. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: Ne extendas manum tuam ſuper puerũ, neque facias illi quidquam: nunc cognoui quòd timeas Deum: & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens obtulit holocauſtũ pro filio. Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vſque hodie dicitur: In monte Dominus videbit. Vocauit autem Angelus Domini Abraham ſecundo de cælo, dicens: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: quia feciſti rem hanc, & non peperciſti vnigenito filio tuo propter me: benedicens benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in

ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. Reuerſuſque eſt Abraham ad pueros ſuos, abieruntq. Berſabee ſimul,& habitauit ibi.

Quinque ſequentes Orationes ſine, Dominus vobiſcum. dicantur: ſed dicatur ſtatim. Oremus. Oratio.

DEus, qui in Abrahæ famuli tui opere humano generi obediētiæ exempla præbuiſti: concede nobis & noſtræ voluntatis prauitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per Dominum noſtrum.

Lectio ij. Deuteronomij.

Deut. 31. IN diebus illis: Scripſit Moyſes canticum, & docuit filios Iſrael. Præcepitq. Dominus Ioſue filio Nun, & ait: Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in terram, quā pollicitus ſum eis: & ego ero tecum. Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, atque compleuit; præcepit Leuitis qui portabāt Arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri: vt ſit ibi contra te in teſtimonium. Ego enim ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſſimam. Adhuc viuente me,& ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſe egiſtis cōtra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero? Congregate ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, atque doctores: & loquar audientibus eis ſermones iſtos, & inuocabo contra eos cælum,& terram. Noui enim quòd poſt mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conſpectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum veſtrarum. Locutus eſt ergo Moyſes, audiente vniuerſo cœtu filiorum Iſrael, verba carminis huius, & ad finem vſque compleuit. Tract. Attende cælum,& loquar: audiat terra verba ex ore meo. Deut. 32. ℣. Expectetur ſicut pluuia eloquium meum: & deſcendant ſicut ros verba mea. ℣. Sicut imber ſuper gramen: & ſicut nix ſuper fœnum: quia nomen Domini inuocabo. ℣. Date magnitudinem Deo noſtro: Deus vera opera eius, & omnes viæ eius iudicia. ℣. Deus fidelis, in quo non eſt iniquitas: iuſtus & ſanctus Dominus. Oremus.

Oratio.

DEus, qui nobis per Prophetarū ora præcepiſti temporalia relinquere, atque ad æterna feſtinare: da famulis tuis, vt quæ à te iuſſa cognouimus, implere cæleſti inſpiratione valeamus. Per Dominum.

Lectio iij. Iſaiæ.

APprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobriū noſtrum. Iſa. 4. In die illa erit germē Domini in magnificentia, & in gloria, & fructus terræ ſublimis: & exultatio his, qui ſaluati fuerint de Iſrael. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius in ſpi-

ritu

ritu iudicij,& ſpiritu ardoris. Et creauit Dominus Deus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte: ſuper omnem enim gloriam protectio. Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine, & à

Iſa 5. pluuia. Tract. Vinea facta eſt dilecto in cornu in loco vberi. ℣. Et maceriam circumdedit, & circumfodit, & plantauit vineam Sorec; & ædificauit turrim in medio eius. ℣. Et torcular fodit in ea: vinea enim Domini Sabaoth, domus Iſrael eſt.

Oremus. Oratio.

DEus, qui nos ad celebrandum hanc feſtiuitatem, vtriuſque Teſtamenti paginis inſtruis: da nobis intelligere miſericordiam tuã, vt ex perceptione præſentium munerum, firma ſit expectatio futurorum. Per Dominum noſtrum.

Lectio iiij. Baruch.

Bar. 3 AVdi Iſrael mandata vitæ: auribus percipe, vt ſcias prudentiam. Quid eſt Iſrael, quòd in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum deſcendentibus in infernum. Dereliquiſti fontẽ ſapientiæ. Nã ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram. Diſce vbi ſit ſapientia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus: vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitæ & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax. Quis inuenit locũ eius? & quis introiuit in theſauros eius? Vbi ſunt principes gentium, & qui dominãtur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? Qui in auibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? Qui argentum fabricant, & ſolliciti ſunt, nec eſt inuẽtio operum illorum. Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij in locum eorum ſurrexerunt. Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt ſuper terram: viam autem diſciplinæ neſcierunt, neque intellexerunt ſemitas eius, neque ſuſceperunt eam filij eorum: à facie eorum longe facta eſt: non eſt audita in Chanaan, neque viſa eſt in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudẽtiam, quæ de terra eſt, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque meminerunt ſemitarum eius. O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus, & non habet conſummationem: excelſus, & immenſus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum. Nõ hos elegit Dominus, neque viã diſciplinæ dedit illis: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Quis aſcendit in cælum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit eam, & attulit eam ſuper aurũ electum? Nõ eſt qui ſciat viam eius, neque qui excogitet ſemitas eius: ſed qui ſcit vniuerſa, nouit illam, & adinuenit eam prudentia ſua. Qui perfecit terram in ſempiterno tempore: & adimpleuit eam pecudibus: qui emittit lumen, & vadit: & vocauit il-

lud, & obediuit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs, suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus. Et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc super terram visus est, & cum hominibus conuersatus est.

Oremus. Oratio.


Deus incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ mirabile Sacramentum: & da famulis tuis, vt hoc quod deuote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Tractus.

Psal. 41. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciē Dei mei? ℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? Oremus.

Oratio.

Concede quæsumus omnipotēs Deus: vt qui solemnitatem doni Spiritus sancti colimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus, Dominum nostrū Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Finita hac Oratione dicātur Litaniæ sicut in Sabbato sancto. 157. Quibus finitis, Sacerdos cum Ministris ad altare accedens, dicat Cōfiteor Quo dicto, dicta etiā Oratione solita ante altare, dicat, Kyrie eleison. & post Kyrie eleison. incipiat more solito.



Gloria in excelsis Deo.

Finito Gloria in excelsis &c. Sacerdos dicat. Dominus vobiscum.

Oremus. Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat: & lux tuæ lucis, corda eorum qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per Dominum eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

In diebus illis: Factum est cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdā de discipulis, dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autē Paulus: Ioānes baptizauit baptismo pœnitētiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes viri fere duodecim. Introgressus autē Paulus synagogam, cum

cum fiducia loquebatur per tres mẽses, disputans, & suadens de regno
Psal. 117. Dei. Alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Non repetatur Alleluia. Tractus. Laudate
Psal. 116. Dominum omnes gentes: & collaudate eum omnes populi. ℣. Quoniã confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Ad Euangelium thus, & cerei deferantur.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo Patrẽ, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Nõ relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicũ: & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mãdata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.
Psal. 103. Non dicatur Credo. Offertorium. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ: sit gloria Domini in sæculum, alleluia.

Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum nostrum. eiusdem. Præfatio. Qui ascendens, & Communicantes & Hanc igitur. dicantur per totam Hebdomadam.
Communio. Vltimo festiuitatis die Ioan. 7.
dicebat Iesus: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, alleluia. Postcommunio.

SAncti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. eiusdem.

In Missis priuatis huius Vigiliæ omissis Prophetijs, & Orationibus, & Litanijs vt supra, Missa in hũc modum incipiat. Officium.

CVm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris: & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: & dabo vobis spiritum nouum. ℣. Benedicam Dominũ in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Gloria Patri & Filio, &c. Deinde dicitur. Kyrie. & Gloria in excelsis Deo. & alia vt supra.

Ezech. 36. Psal. 33.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Officium.

Sap. 1. Piritus Domini repleuit orbẽ terrarum, alleluia: & hoc quod cõtinet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Psal. 67.

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper cõsolatione gaudere. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 2. IN diebus illis: Dum complerẽtur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domũ vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Mesopotomiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Alleluia. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Alleluia.* ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Sequentia.

Psal. 103.

* Surgas Sacerdos, et Ministri, et flent vsque ad Reple.

SAncti Spiritus adsit nobis gratia:
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula.
Expulsis inde cunctis vitijs spiritualibus.
Spiritus alme, illustrator omnium,
Horridas nostræ mentis purga tenebras.
Amator sancte sensatorum semper cogitatuum.
Infunde vnctionem tuam clemens, nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostri oculum interioris hominis:

Vt

Vt videri supremus Genitor possit à nobis;
Mundi cordis quem soli cernere possunt oculi.
Prophetas tu inspirasti, vt præconia Christi præcinuissent inclyta.
Apostolos confortasti, vt trophæum Christi per totũ mundum veherent.
Quando machinam per verbũ suum fecit Deus cæli, terræ, marium:
Tu super aquas foturus eas, numen tuum expandisti Spiritus.
Tu animabus viuificandis aquas fecundas.
Tu aspirando das spirituales esse homines.
Tu diuisum per linguas mundum, & ritus adunasti Domine.
Idololatras ad cultum Dei reuocas, magistrorum optime.
Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius, sancte Spiritus.
Sine quo preces omnes cassæ redduntur, & indignæ Dei auribus.
Tu qui omnium sæculorum sanctos tui numinis docuisti instinctu, amplectende Spiritus.
Ipse hodie Apostolos Christi donãs munere insolito, & cunctis inaudito sæculis.
Hunc diem gloriosum fecisti. Alleluia.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed eius qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumq. dixero vobis. Pacẽ relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nũc dixi vobis priusquàm fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquã. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Credo. Offertorium. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, quod est in Ierusalem: tibi offerent reges munera, alleluia. Psal. 67.

Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emũda. Per Dominum nostrum Iesum. eiusdem. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis, vbi erant sedentes, alleluia: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquẽtes magnalia Dei, alleluia, alleluia. Act. 2.

Postcommunio.

SAncti spiritus Domine corda nostra mundet infusio: & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum. eiusdem.

FERIA

FERIA SECVNDA.

Officium.

Psal. 80.

Ibauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra, melle saturauit eos, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui Apostolis tuis sanctũ dedisti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per Dominum nostrum. eiusdẽ.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 10. IN diebus illis: Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri fratres, & patres: nobis præcepit Dominus prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibẽt remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebãt enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritũ sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi. Alleluia. ℣. Spiritus sanctus procedens à throno, Apostolorum pectora inuisibili hodie perlustrauit potentia. Alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarũ: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Sap. 1.

Sequentia.

VEni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus in te confitentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium: Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorũ mala Io. 3.

opera.

opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Credo. Offertorium.

Psal. 17. Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: & apparuerunt fontes aquarum, alleluia.

Secreta.

PRopitius, Domine quæsumus, hæc dona sanctifica: & hostiæ spiritualis oblatione suscepta, nosmet ipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes & Hanc igitur. Communio.

Ioan. 14. Spiritus sanctus docebit vos, alleluia, quæcumque dixero vobis, alleluia, alleluia. Postcommunio.

ADesto, quæsumus Domine, populo tuo: & quem mysterijs cælestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA TERTIA.

Officium.



Ccipite iucunditatem gloriæ vestræ, alleluia: gratias agentes Deo, alleluia: qui vos ad cælestia regna vocauit, alleluia, alleluia, alleluia. ℣.

Psal. 77. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

ADsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 8. IN diebus illis: Cum audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Alleluia. ℣.

Act. 2. Loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei. Alleluia. ℣.

Ioan. 14. Non vos relinquam orphanos: vado, & venio ad vos, & gaudebit cor vestrum. Sequentia. Veni sancte. vt in superiori Missa. 220.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterũ Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouiũ. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egre-

FERIA SECVNDA.

Officium.

Psal. 80. 
Ibauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra, melle saturauit eos, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui Apostolis tuis sanctũ dedisti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per Dominum nostrum. eiusdẽ.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 10. IN diebus illis: Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri fratres, & patres: nobis præcepit Dominus prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibẽt remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebãt enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritũ sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi. Alleluia. ℣. Spiritus sanctus procedens à throno, Apostolorum pectora inuisibili hodie perlustrauit potentia. Alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarũ: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Sequentia.

VEni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.
Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.
In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.
O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.
Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.
Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.
Da tuis fidelibus in te confitentibus, sacrum septenarium.
Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Io. 3. IN illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium: Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorũ mala

opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Credo. Offertorium.

Psal. 17. Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: & apparuerunt fontes aquarum, alleluia.

Secreta.

PRopitius, Domine quæsumus, hæc dona sanctifica: & hostiæ spiritualis oblatione suscepta, nosmet ipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes & Hanc igitur. Communio. Spiritus sanctus docebit vos, alleluia, quæcumque dixero vobis, alleluia, alleluia. Postcommunio.

Ioan. 14.

ADesto, quæsumus Domine, populo tuo: & quem mysterijs cælestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA TERTIA.

Officium.



ACcipite iucunditatem gloriæ vestræ, alleluia: gratias agentes Deo, alleluia: qui vos ad cælestia regna vocauit, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

Psal. 77.

ADsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 8.

IN diebus illis: Cum audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Alleluia. ℣. Loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei. Alleluia. ℣. Non vos relinquam orphanos: vado, & venio ad vos, & gaudebit cor vestrum. Sequentia. Veni sancte. vt in superiori Missa. 220.

Act. 2. Ioan. 14.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 10.

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterũ Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouiũ. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egre-

&egredietur,& pascua inueniet. Fur non venit,nisi vt furetur,& mactet,& perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Credo.

Psal. 77. Offertorium. Portas cæli aperuit Dominus: & pluit illis manna vt ederent: panem cæli dedit illis: panem Angelorum manducauit homo, alleluia.

Secreta.

PVrificet nos quæsumus Domine, muneris præsentis oblatio: & dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum nostrum.

Præf. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Spiritus qui à Patre procedit, alleluia, ille me clarificabit, alleluia. (Ioan. 16.)

Postcommunio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Spiritus sanctus diuinis reparet sacramentis: quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum. eiusdem.

FERIA QVARTA

Quatuor temporum. Officium.

Psal. 67. DEus dum egredereris coram populo tuo, alleluia, iter faciens eis, alleluia: habitans in illis, alleluia, alleluia. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Non dicatur Dominus vobiscum. sed Oremus.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Stans Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit: In nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: iuuenes vestri visiones videbũt, & seniores vestri somnia somniabũt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. (Act. 2.) Alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Dominus vobiscum. Oremus. (Sap. 1)

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt Spiritus sanctus adueniens, templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat (Act. 5)

debat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autẽ augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateis eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis: vt veniente Petro, saltẽ vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes. Alleluia. ℣. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis. Act. 2.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Ioannem.

Ioan. 6. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erũt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Credo. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, alleluia. Psal. 118.

Secreta.

ACcipe, quæsumus Domine, munus oblatum, & dignãter operare: vt quod mysterijs agimus, pijs affectibus celebremus. Per Dominũ. Præfatio. Qui ascendens. & Hanc igitur. & Communicantes. Communio. Pacem meam do vobis, alleluia: pacem meam relinquo vobis, alleluia, alleluia. Ioan. 14.

Postcommunio.

SVmentes Domine cælestia sacramenta, quæsumus clementiam tuam, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per Dominum nostrum.

FERIA QVINTA.

Officium.

Sap. 1 SPiritus Domini repleuit orbem terrarum, alleluia: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Psal. 67.

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 8 IN diebus illis: Philippus descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ ijs, quæ dicebantur à Philippo, vnanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat. Multi

enim

enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.
Psal. 103. Alleluia. ℣. Emitte spiritum tuũ, & creabuntur: & renouabis faciẽ terræ.
Ioan. 14. Alleluia. ℣. Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnẽ veritatẽ.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 9. IN illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnũ Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domũ intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorũ excutite in testimoniũ supra illos. Egressi autem circuibant per castella euãgelizantes, & curantes vbique. Credo.
Psal. 67. Offertor. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem, tibi offerent reges munera, alleluia. Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emũda. Per Dominum nostrum. eiusdem. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur.
Com. Communio. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis, vbi erant sedentes, alleluia: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia. Postcommunio.

SAncti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio: & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum. eiusdem.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum. Officium


Psal. 70. REpleatur os meum laude tua, alleluia: vt possim cantare, alleluia: gaudebunt labia mea, dum cantauero tibi, alleluia, alleluia. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus: vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Ioelis Prophetæ.

Ioel. 2. HAec dicit Dominus Deus: Exultate filiæ Sion, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia: & non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum, Ait Dominus omni-

omnipotens. Alleluia. ℣. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende.

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Lucam.

Luc. 5. IN illo tempore: Factum est in vna dierum, & Iesus sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante illum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis, attulit lectum in quo iacebat: & abijt in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. Credo. Offertorium. Lauda anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu ero, alleluia. Psal. 145.

Secreta.

SAcrificia Domine tuis oblata conspectibus, ignis ille diuinus assumat, qui discipulorum Christi Filij tui per Spiritum sanctum corda succendit. Per eundem Dominum, in vnitate eiusdem.

Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, alleluia: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat, alleluia, alleluia, alleluia. Ioan. 3.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine sacri dona mysterij, humiliter deprecantes: vt quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiãt infirmitatis auxilium. Qui viuis.

SABBATO
Quatuor Temporum. Officium.

CHaritas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluia, per inhabitantem Spiritum eius in nobis, alleluia, alleluia. ℣. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. Gloria Patri. Glo- in excelsis Deo. Quinque Orationes sequentes dicantur sine Dominus vobiscum, sed dicatur Oremus. Rom. 5. Psal. 87.

Oratio.

MEntibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum

benignus infunde: cuius & sapientia conditi sumus, & prouidentia gubernamur. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Ioelis Prophetæ.

Ioel. 2. HAec dicit Dominus Deus: Effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos, & ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum: sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Alleluia.

Psal. 103. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Non reiteretur Alleluia. post Versus vsque ad duo vltima: quæ solum post Versus repetentur. Oremus.

Oratio.

ILlo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus sanctus inflammet: quem Dominus noster Iesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum viuit. eiusdem.

Lectio Libri Leuitici.

Leu. 23. IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quã ego dabo vobis, & messueritis segetem; feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem: qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis altero die Sabbati, & sanctificabit illum. Numerabitis ergo ab ipso die Sabbati, in quo obtulistis manipulos primitiarum, septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ, quos eleuabit Sacerdos coram Domino. Cumque eleuauerit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vsum eius. Et vocabitis hunc diem celeberrimũ, atque sanctissimum: omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris, Dicit Dominus omnipotens. Alleluia.

℣. Loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei. Oremus. Act. 2.

Oratio.

DEus, qui ad animarum medelã, ieiunij deuotione castigari corpora præcepisti: concede nobis propitius, & mente & corpore tibi semper esse deuotos. Per Dominum.

Lectio Libri Deuteronomij.

IN diebus illis: Dixit Moyses filijs Israel: Audi Israel quæ ego Deu. 26.
præcipio tibi hodie: Cum intraueris terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea; tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo: qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem nostram.

nostram, & laborem, atque angustiam: & eduxit nos de Aegypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pauore, in signis atque portentis: & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem, & idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui. Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Alleluia. ℣. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis. Oremus.

Act. 2.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: vt salutaribus ieiunijs eruditi, ab omnibus etiam vitijs abstinentes, propitiationem tua facilius impetremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium.

Lectio Libri Leuitici.

Leui. 26. IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea; dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros: & corruent corã vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterũ, & vetera nouis superuenientibus proijcietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos vltra anima mea. Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis meus populus, Dicit Dominus omnipotens. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende. Oremus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere, vt à vitijs irruentibus pariter ieiunemus. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis quasi ventũ roris flantem. Flamma autem diffusa est super fornacem cubitis quadraginta nouẽ: & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis, ministros regis qui eam incendebant. Illos autem omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorũ, & laudabilis in sæcula. Dominus vobiscum. Dan. 3. Dan. 3.

lud, & obediuit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs, suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus. Et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc super terram visus est, & cum hominibus conuersatus est.

Oremus. Oratio.

DEus incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ mirabile Sacramentum: & da famulis tuis, vt hoc quod deuote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Tractus.

Psal. 41. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciē Dei mei? ℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus? Oremus.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotēs Deus: vt qui solemnitatem doni Spiritus sancti colimus, cælestibus desiderijs accensi, fontem vitæ sitiamus, Dominum nostrū Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Finita hac Oratione dicātur Litaniæ sicut in Sabbato sancto. 157. Quibus finitis, Sacerdos cum Ministris ad altare accedens, dicat Cōfiteor Quo dicto, dicta etiā Oratione solita ante altare, dicat, Kyrie eleison, & post Kyrie eleison. incipiat more solito.



Gloria in excelsis Deo.

Finito Gloria in excelsis &c. Sacerdos dicat. Dominus vobiscum.

Oremus. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt claritatis tuæ super nos splendor effulgeat: & lux tuæ lucis, corda eorum qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet. Per Dominum eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 19. IN diebus illis: Factum est cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdā de discipulis, dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autē Paulus: Ioānes baptizauit baptismo pœnitētiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes viri fere duodecim. Ingressus autē Paulus synagogam,

cum

cum fiducia loquebatur per tres mēses, disputans, & suadens de regno
Psal. 117. Dei. Alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Non repetatur Alleluia. Tractus. Laudate
Psal. 116. Dominum omnes gentes: & collaudate eum omnes populi. ℣. Quoniā confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Ad Euangelium thus, & cerei deferantur.

Sequentia Sancti Euāngelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo Patrē, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Nō relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicū: & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mādata mea, & seruat ea: ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Non dicatur Credo. Offertorium.
Psal. 103. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ: sit gloria Domini in sæculum, alleluia.

Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum nostrum. eiusdem. Præfatio. Qui ascendens, & Communicantes & Hanc igitur. dicuntur per totam Hebdomadam.
Communio. Vltimo festiuitatis die Ioan. 7. dicebat Iesus: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autē dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, alleluia.

Postcommunio.

SAncti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. eiusdem.

In Missis priuatis huius Vigiliæ omissis Prophetijs, & Orationibus, & Litanijs vt supra, Missa in hūc modum incipiat.

Officium.

CVm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris: & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: & Ezech. 36. dabo vobis spiritum nouum. ℣. Benedicam Dominū in omni tempore: Psal. 33. semper laus eius in ore meo. Gloria Patri & Filio, &c. Deinde dicitur. Kyrie. & Gloria in excelsis Deo. & alia vt supra.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES

Officium.



Sap. 1. SPiritus Domini repleuit orbẽ terrarum, alleluia: & hoc quod cõtinet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Psal. 67.

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper cõsolatione gaudere. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 2. IN diebus illis: Dum complerẽtur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domũ vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Mesopotomiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Alleluia. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ. Alleluia. * ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Psal. 103. * Surgat Sacerdos, et Ministri, et flent vsque ad Reple.

Sequentia.

SAncti Spiritus adsit nobis gratia;
Quæ corda nostra sibi faciat habitacula.
Expulsis inde cunctis vitijs spiritualibus.
Spiritus alme, illustrator omnium,
Horridas nostræ mentis purga tenebras.
Amator sancte sensatorum semper cogitatuum.
Infunde vnctionem tuam clemens, nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostri oculum interioris hominis:

Vt videri ſupremus Genitor poſſit à nobis;
Mundi cordis quem ſoli cernere poſſunt oculi.
Prophetas tu inſpiraſti, vt præconia Chriſti præcinuiſſent inclyta.
Apoſtolos confortaſti, vt trophæum Chriſti per totū mundum veherent.
Quando machinam per verbū ſuum fecit Deus cæli, terræ, marium:
Tu ſuper aquas foturus eas, numen tuum expandiſti Spiritus.
Tu animabus viuificandis aquas fecundas.
Tu aſpirando das ſpirituales eſſe homines.
Tu diuiſum per linguas mundum, & ritus adunaſti Domine.
Idololatras ad cultum Dei reuocas, magiſtrorum optime.
Ergo nos ſupplicantes tibi exaudi propitius, ſancte Spiritus.
Sine quo preces omnes caſſæ redduntur, & indignæ Dei auribus.
Tu qui omnium ſæculorum ſanctos tui numinis docuiſti inſtinctu, amplectende Spiritus.
Ipſe hodie Apoſtolos Chriſti donās munere inſolito, & cunctis inaudito ſæculis.
Hunc diem glorioſum feciſti. Alleluia.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meū ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus: ſed eius qui miſit me, Patris. Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumq. dixero vobis. Pacē relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. Et nūc dixi vobis priuſquàm fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquā. Sed vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem: & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.

Credo. Offertorium. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis à templo tuo, quod eſt in Ieruſalem: tibi offerent reges munera, alleluia. Pſal. 67.

Secreta.

MVnera, quæſumus Domine, oblata ſanctifica: & corda noſtra ſancti Spiritus illuſtratione emūda. Per Dominum noſtrum Ieſum. eiuſdem. Præfatio. Qui aſcendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Factus eſt repente de cælo ſonus aduenientis ſpiritus vehementis, vbi erant ſedentes, alleluia: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, loquētes magnalia Dei, alleluia, alleluia. Act. 2.

Poſtcommunio.

SAncti ſpiritus Domine corda noſtra mundet infuſio: & ſui roris intima aſperſione fecundet. Per Dominum noſtrum. eiuſdem.

FERIA

FERIA SECVNDA.

Officium.

Psal. 80.



Cibauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra, melle saturauit eos, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis sanctũ dedisti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem. Per Dominum nostrum. eiusdẽ.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 10. In diebus illis: Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri fratres, & patres: nobis præcepit Dominus prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibẽt remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebãt enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritũ sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Iesu Christi. Alleluia. ℣. Spiritus sanctus procedens à throno, Apostolorum pectora inuisibili hodie perlustrauit potentia. Alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarũ: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Sequentia.

Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.
Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.
Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.
In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.
O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.
Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.
Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.
Da tuis fidelibus in te confitentibus, sacrum septenarium.
Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In illo tempore: Dixit Iesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Io. 3. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium: Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorũ mala

opera.

opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Credo. Offertorium.

Psal. 17. Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam: & apparuerunt fontes aquarum, alleluia.

Secreta.

PRopitius, Domine quæsumus, hæc dona sanctifica: & hostiæ spiritualis oblatione suscepta, nosmet ipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes & Hanc igitur. Communio.

Ioan. 14. Spiritus sanctus docebit vos, alleluia, quæcumque dixero vobis, alleluia, alleluia. Postcommunio.

ADesto, quæsumus Domine, populo tuo: & quem mysterijs cælestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA TERTIA.

Officium.



Ccipite iucunditatem gloriæ vestræ, alleluia: gratias agentes Deo, alleluia: qui vos ad cælestia regna vocauit, alleluia, alleluia, alleluia. ℣.

Psal. 77. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

ADsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti: quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 8. IN diebus illis: Cum audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Alleluia. ℣.

Act. 2. Loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei. Alleluia. ℣.

Ioan. 14. Non vos relinquam orphanos: vado, & venio ad vos, & gaudebit cor vestrum. Sequentia. Veni sancte. vt in superiori Missa. 220.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterũ Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouiũ. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egre-

&egredietur,& pascua inueniet. Fur non venit,nisi vt furetur,& mactet,& perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Credo.

Psal. 77. Offertorium. Portas cæli aperuit Dominus: & pluit illis manna vt ederent: panem cæli dedit illis: panem Angelorum manducauit homo, alleluia.

Secreta.

PVrificet nos quæsumus Domine, muneris præsentis oblatio: & dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum nostrum.

Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur.

Ioan. 16. Communio. Spiritus qui à Patre procedit, alleluia, ille me clarificabit, alleluia.

Postcommunio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Spiritus sanctus diuinis reparet sacramentis: quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum. eiusdem.

FERIA QVARTA

Quatuor temporum. Officium.

Psal. 67. DEus dum egredereris coram populo tuo, alleluia, iter faciens eis, alleluia: habitans in illis, alleluia, alleluia. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Non dicatur Dominus vobiscum. sed Oremus.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 2. IN diebus illis: Stans Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioel: Et erit: In nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: iuuenes vestri visiones videbũt, & seniores vestri somnia somniabũt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus. Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Sap. 1 Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt Spiritus sanctus adueniens, templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 5 IN diebus illis: Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat

debat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autē augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateis eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis: vt veniente Petro, saltē vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes. Alleluia. ℣. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis. *Act. 2.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 6. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erūt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Credo. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, alleluia. *Psal. 118.*

Secreta.

ACcipe, quæsumus Domine, munus oblatum, & dignāter operare: vt quod mysterijs agimus, pijs affectibus celebremus. Per Dominū. Præfatio. Qui ascendens. & Hanc igitur. & Communicantes. Communio. Pacem meam do vobis, alleluia: pacem meam relinquo vobis, alleluia, alleluia. *Ioan. 14.*

Postcommunio.

SVmentes Domine cælestia sacramenta, quæsumus clementiam tuam, vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per Dominum nostrum.

FERIA QVINTA.

Officium.

SPiritus Domini repleuit orbem terrarum, alleluia: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. *Sap. 1* *Psal. 67.*

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Philippus descendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ ijs, quæ dicebantur à Philippo, vnanimiter audientes, & videntes signa quæ faciebat. Multi enim *Act. 8*

enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

Psal. 103. Alleluia. ℣. Emitte spiritum tuũ, & creabuntur: & renouabis faciẽ terræ.

Ioan. 14. Alleluia. ℣. Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnẽ veritatẽ.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 9. IN illo tempore: Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnũ Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domũ intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorũ excutite in testimoniũ supra illos. Egressi autem circuibant per castella euãgelizantes, & curantes vbique. Credo.

Psal. 67. Offertor. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem, tibi offerent reges munera, alleluia. Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emũda. Per Dominum nostrum. eiusdem. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis, vbi erant sedentes, alleluia: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia. Postcommunio.

SAncti Spiritus Domine corda nostra mundet infusio: & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum. eiusdem.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum. Officium



Psal. 70. REpleatur os meum laude tua, alleluia: vt possim cantare, alleluia: gaudebunt labia mea, dum cantauero tibi, alleluia, alleluia. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus: vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Ioelis Prophetæ.

Ioel. 2. HAec dicit Dominus Deus: Exultate filiæ Sion, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia: & non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum, Ait Dominus omni-

omnipotens, Alleluia. ℣. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 5. IN illo tempore: Factum est in vna dierum, & Iesus sedebat docens: & erant Pharisæi sedentes, & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante illum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis, attulit lectum in quo iacebat: & abijt in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. Credo. Offertorium. Lauda anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quamdiu ero, alleluia. Psal. 145.

Secreta.

SAcrificia Domine tuis oblata conspectibus, ignis ille diuinus assumat, qui discipulorum Christi Filij tui per Spiritum sanctum corda succendit. Per eundem Dominum. in vnitate eiusdem. Præfatio. Qui ascendens. & Communicantes. & Hanc igitur. Communio. Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, alleluia: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat, alleluia, alleluia, alleluia. Ioan. 3.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine sacri dona mysterij, humiliter deprecantes: vt quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiāt infirmitatis auxilium. Qui viuis.

SABBATO
Quatuor Temporum. Officium.



CHaritas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluia, per inhabitantem Spiritum eius in nobis, alleluia, alleluia. ℣. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Quinque Orationes sequentes dicantur sine Dominus vobiscum, sed dicatur Oremus. Ro. 5. Psal. 87.

Oratio.

MEntibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum

nostram, & laborem, atque angustiam: & eduxit nos de Aegypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pauore, in signis atque portentis: & introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terram lacte & melle manantem, & idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Domini Dei tui. Et adorato Domino Deo tuo, epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Alleluia. ℣. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis. Oremus.

Act. 2.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: vt salutaribus ieiunijs eruditi, ab omnibus etiam vitijs abstinentes, propitiationem tua facilius impetremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium.

Lectio Libri Leuitici.

Leui. 26.

IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel, & dices ad eos: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea; dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros: & corruent corã vobis. Persequentur quinque de vestris cẽtum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterũ, & vetera nouis superuenientibus proijcietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos vltra anima mea. Ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosque eritis meus populus, Dicit Dominus omnipotens. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende. Oremus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere, vt à vitijs irruentibus pariter ieiunemus. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis quasi ventũ roris flantem. Flamma autem diffusa est super fornacem cubitis quadraginta nouẽ: & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis, ministros regis qui eam incendebant. Illos autem omnino non tetigit ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres, quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorũ, & laudabilis in sæcula. Dominus vobiscum.

Dan. 3.

Dan. 3.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 11. O Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. ℟. Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. ℣. Benedicite Deum cæli: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine Deus patrũ nostrorum, & laudabilis in sæcula. Sequentia. Profitentes. ad finem Missalis. 63.

Dan. 3.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Cap. 28. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumq. mandaui vobis: & ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Credo. Offertorium. Benedictus sit Deus Pater, vnigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Secreta.

SAnctifica, quæsumus Domine Deus, per tui sancti nominis inuocationem, huius oblationis hostiam: & per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum. Præfatio. Qui cum Vnigenito. Communio. Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Tob. 12.

Postcommunio.

PRoficiat nobis ad salutem corporis & animæ, Domine Deus, huius sacramenti susceptio: & sempiternæ sanctæ Trinitatis, eiusdemq. indiuiduæ vnitatis confessio. Per Dominum nostrum.

Per Octauas, in Missa de Octaua, Gloria in excelsis Deo. & Præfatio propria de Trinitate dicantur.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Officium.

Psal. 80. 
Cibauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra, melle saturauit eos, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1 Cor. 11. FRatres: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annũciabitis, donec veniat. Itaq. quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit: non dijudicans corpus Domini.

Psal. 144. ℞. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam in tẽpore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Alleluia. ℣.

Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Sequentia.

LAuda Sion Saluatorem, lauda ducem & pastorem in hymnis, & canticis.

Quantum potes, tantum aude: quia maior omni laude, nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, panis viuus & vitalis hodie proponitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.

Dies enim solemnis agitur, in qua mensæ prima recolitur huius institutio.

In hac mensa noui Regis nouum Pascha nouæ legis, Phase vetus terminat.

Vetustatem nouitas, vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.

Docti sacris institutis, panem, vinum in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

Sub diuersis speciebus, signis tantũ & non rebus latent res eximiæ.

Caro cibus, sanguis potus: manet tamen Christus totus sub vtraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer assumitur.

Sumit vnus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille: nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.

Mors est malis, vita bonis: vide paris sũptionis quàm sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles:

cilles: sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura: qua nec status, nec statura signati minuitur.

Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum: vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris præsignatur, cum Isaac immolatur: agnus Paschæ deputatur, datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere, Iesu nostri miserere: tu nos pasce, nos tuere: tu nos bona fac videre in terra viuentium.

Tu qui cuncta scis & vales: qui nos pascis hic mortales: tuos ibi commensales, coheredes, & sodales fac sanctorum ciuium. Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 6. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem; in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri mãna, & mortui sunt. Qui mãducat hunc panem, viuet in æternum. Credo. Offertorium. Sacerdotes Domini incensum
Leui. 21. & panes offerunt Deo: & ideo sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, alleluia. Secreta.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, vnitatis & pacis propitius dona concede: quæ sub oblatis muneribus mystice designantur. Per.

Præfatio. Quia per incarnati. Communio. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat: itaque quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini, alleluia. 1. Cor. 11.

Postcommunio.

FAc nos, quæsumus Domine, diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri: quam pretiosi Corporis, & Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. Qui viuis & regnas.

Per Octauas & in Octaua Corporis Christi, dicatur Missa sicut in Festo Simplici, cũ Gloria in excelsis Deo. & Credo. & Præfatione. Quia per incarnati. Et Feria sexta, & Sabbato post ipsum Festum Corporis Christi, fiat Memoria de Octaua S. Trinitatis.

DOMINICA INFRA Octauas Corporis Christi.

Officium.



FActus est Dominus protector meus: & eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me. Psal. 17. ℣. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Gloria. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

SAncti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum nostrum.

Memoria de Sacramento tantum.

Lectio Epistolæ beati Ioannis Apostoli.

1. Ioan. 3. CHarissimi: Nolite mirari si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiã huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. ℟. Ad Dominum cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me. ℣. Domine, libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Alleluia. ℣. Deus iudex iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies? Psal. 119. Psal. 7.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 14. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in vias & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Credo. Offertorium. Domine conuertere, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Psal. 6.

Secreta.

OBlatio nos, quæsumus Domine, tuo nomini dicanda purificet: & de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per Dominum nostrum. Communio. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi. Psal. 12.

Postcommunio.

SVmptis muneribus sacris quæsumus Domine, vt cum frequentatione mysterij, crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum.

DOMINICA PRIMA post Oct. Trinitatis. Officium.



REspice in me, & miserere mei Domine: quoniam vnicus, & pauper sum ego: vide humilitatem meã, & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea, Deus meus. ℣. Ad te Domine leuaui animã meam: Deus meus in te confido, nõ erubescã. Gloria. Gloria in. Psal. 24.

Oratio

Oratio.

PRotector in te sperantiũ Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplicã super nos misericordiam tuam: vt te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per. Oratio Secunda de Trinitate. Tertia. A cunctis Et sic semper in alijs Dominicis vsque ad Aduentum, nisi Memoriæ fuerint. Cõsule Ordinariũ.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

1. Pet. 5 CHarissimi: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis. Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide: sciẽtes eandem passionem ei quæ in mũdo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorũ. Amen. ℟. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet. ℣. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi. Alleluia. ℣. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Psal. 54.

Psal. 17.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 15. IN illo tempore: Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicẽs: Quis ex vobis homo qui habet centum oues; & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicẽs illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meã, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudiũ erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decẽ, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernã, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdiderã. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Credo. Offer. Sperent in te omnes, qui nouerunt nomen tuum Domine: quoniam non derelinquis quærentes te: psallite Domino, qui habitat in Sion: quoniam non est oblitus orationem pauperum. Psal. 9.

Secreta.

REspice, quæsumus Domine, munera supplicantis Ecclesiæ: & saluti credentium perpetua sanctificatione sumenda concede. Per Dominum nostrum. Communio. Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Psal. 16.

Postcommunio.

SAncta tua Domine nos sumpta viuificent: & misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per.

DOMINICA SECVNDA.

Officium.

Psal. 26.



Ominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. ℣. Si cõsistant aduersum me castra, non timebit cor meũ. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, vt & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 8. FRatres: Existimo quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Propitius esto Domine peccatis nostris: ne quando dicant Gentes, Vbi est Deus eorũ? ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Alleluia. ℣. Domine in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

Psal. 78.

Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 5. IN illo tempore: Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei; & ipse stabat secus stagnũ Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabãt retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinẽ copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonẽ Iesus: Noli timere: ex hoc iam eris

eris homines capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum, Credo. Offertoriū.

Psal. 12. Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Secreta.

OBlationibus nostris, quæsumus Domine, placare susceptis: & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dñm.

Psal. 17. Communio. Dominus firmamentū meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus.

Postcommunio.

MYsteria nos, Domine quæsumus, sumpta purificent: & suo munere tueantur. Per Dominū.

DOMINICA TERTIA.

Officium.



Psal. 26. EXaudi Domine vocē meam, qua clamaui ad te: adiutor meus esto, ne derelinquas me: neque despicias me Deus salutaris meus. ℣. Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

1. Pe. 3. CHarissimi: Omnes vnanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam. Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Iesum Christum sanctificate in cordibus vestris. ℟. Protector noster aspice Deus: & respice super seruos tuos. ℣. Domine Deus virtutum, exaudi preces seruorum tuorum. Alleluia. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me: inclina ad me aurem tuam: accelera vt eripias me. Psal. 83. Psal. 30.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen dico vobis, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, nō intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus

tuum

tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Credo. Offertorium.

Psal. 15. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: prouidebam Deũ in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

Secreta.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris: & has oblationes famulorum, famularumque tuarum benignus assume: vt quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per.

Psal. 26. Communio. Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitẽ in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Postcommunio.

QVos Domine cælesti dono satiasti: præsta quæsumus: vt à nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per.

DOMINICA QVARTA.

Officium.

Psal. 27. DOminus fortitudo plebis suæ: & protector salutarium Christi sui est: saluum fac populum tuum Domine: & benedic hereditati tuæ, & rege eos vsque in sæculum. ℣. Ad te Domine clamabo: Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à me: & assimilabor descendentibus in lacum. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: vt quæ sunt bona, nutrias ac pietatis studio quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 6. FRatres: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est: vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiã viuemus cum illo: scientes quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro. ℟.

Psal. 89. Conuertere Domine aliquantulum: & deprecare super seruos tuos. ℣. Domine refugium factus es nobis, à generatione & progenie. Alleluia.

Psal. 58. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Marc. 8. IN illo tempore: Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent: conuocatis discipu-

ſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli: Vnde illos poterit quis hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent, & appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos. Credo. Offertorium. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt nō moueantur veſtigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te, Domine. *Pſal. 16.*

Secreta.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris: & has populi tui oblationes benignus aſſume: & vt nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, præſta quæſumus, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per. Coīo. Circuibo, & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino. *Pſal. 26* Poſtcōio.

REpleti ſumus Domine muneribus tuis: tribue quæſumus, vt eorum mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per Dominum.

DOMINICA QVINTA.

Officium.



OMnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. ℣. Subiecit populos nobis: & Gentes ſub pedibus noſtris. Gloria Patri. Gloria in excelſis. *Pſal. 46.*

Oratio.

DEus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus: vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos.

FRatres: Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita & nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum, mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. ℟. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos ℣. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur. Alleluia. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ieruſalem. *Cap. 6. Pſal. 33. Pſal. 64.*

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Matthæum.

Matt. 7. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Credo. Offertorium. Sicut in holocaustis arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi, quia non est confusio confidentibus in te Domine. Dan. 3.

Secreta.

DEus, qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti: accipe sacrificium à deuotis tibi famulis, & pari benedictione, sicut munera Abel, sanctifica: vt quod singuli obtulerunt ad maiestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Psal. 30 Communio. Inclina Domine aurem tuam: accelera vt eripias nos.

Postcommunio.

TVa nos Domine medicinalis operatio, & à nostris peruersitatibus clementer expediat, & ad ea quæ sunt recta perducat. Per Dñm.

DOMINICA SEXTA.

Officium.



SVscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. ℣. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 47.

Oratio.

LArgire nobis, quæsumus Domine, semper spiritũ cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi: vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli
Apostoli ad Romanos.

FRatres: Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. ℟. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij: vt saluum me facias. ℣. Deus in te speraui: Domine, non confundar in æternum. Alleluia. ℣. Attendite populę meus legem meam. Ro. 8. Psal. 30. Psal. 77.

Se-

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Lucam.

Luc. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe quinquaginta. Deinde alio dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum choros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Psal. 17. Credo. Offertorium. Populum humilē saluum facies Domine: & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine?

Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, munera, quæ tibi de tua largitate deferimus, vt hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, & præsentis vitæ nos cōuersatione sanctificent, & ad gaudia sempiterna perducant. Per Dominum.

Communio. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Psal. 33.

Postcommunio.

SIt nobis Domine, reparatio mentis & corporis cæleste mysteriū: vt cuius exequimur actionem, sentiamus effectum. Per Dominum.

DOMINICA SEPTIMA.

Officium.

ECce Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ: auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos protector meus Domine. ℣. Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio. Psal. 53.

PAteant aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantiū: & vt petentibus desiderata concedas: fac eos, quæ tibi sunt placita, postulare. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli
Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Non simus concupiscētes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmurauēritis, sicut quidam eorum murmurauerūt, & perierunt ab extermina- 1. Cor. 10.

nato-

natore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autē ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendit, nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. ℟. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! ℣. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Alleluia. ℣. Propitius esto Domine peccatis nostris: ne quando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum?

Psal. 8.
Psal. 78

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 19.

IN illo tempore: Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptū est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Credo. Offertorium. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, & iudicia eius dulciora super mel & fauum: nam & seruus tuus custodit ea. Secreta.

Psal. 18.

COncede nobis, quæsumus Domine, hæc digne frequentare mysteria: quia quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per Dominum. Communio. Primum quærite regnum Dei: & omnia adijcientur vobis, dicit Dominus. Matt. 6.

Postcommunio.

TVi nobis, quæsumus Domine, communio sacramenti, & purificationem conferat, & tribuat vnitatem. Per Dominum.

DOMINICA OCTAVA.

Officium.



CVm clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meā ab his qui appropinquant mihi: & humiliauit eos qui est ante sæcula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. ℣. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio. Psal. 54.

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam: vt ad tua promissa currentes, cælestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Scitis quoniam cū Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. 1. Cor. 12.

Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones vero gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationũ ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.

Pſal. 16. ℟. Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me. ℣. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

Pſal. 80. Alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori noſtro: iubilate Deo Iacob: ſumite pſalmum iucundum cum cithara.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 18. IN illo tempore: Dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: velut etiã hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Credo.

Offertorium. Ad te Domine leuaui animã meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui te expectant, non cõfundentur. Pſal. 24.

Secreta.

TIbi Domine ſacrificia dicata reddantur: quæ ſic ad honorẽ nominis tui deferenda tribuiſti, vt eadem remedia fieri noſtra præſtares. Per Dominum.

Communio. Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta ſuper altare tuum, Domine. Pſal. 50.

Poſtcommunio.

QVæſumus Domine Deus noſter: vt quos diuinis reparare non deſinis ſacramentis, tuis non deſtituas benignus auxilijs. Per Dominum.

DOMINICA NONA.

Officium.

DEus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo: ipſe dabit virtutẽ, & fortitudinem plebi ſuæ. Pſal. 67. ℣. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Gloria Patri. Gloria in excelſis.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum excedis & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas quæ conſcientia

metuit, & adijcias quod oratio non præsumit. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1 Cor. 15. FRatres: Notum vobis facio Euãgelium, quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini: qua ratione prædicauerim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis inprimis quod & accepi: Quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plusquã quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium, tamquam abortiuo, visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua

Psal. 27. non fuit. ℟. In Deo sperauit cor meum, & adiutus sum: & refloruit caro mea: & ex voluntate mea con-

Psal. 27. fitebor illi. ℣. Ad te Domine clamaui: Deus meus ne sileas, ne discedas à me. Alleluia. ℣. Domine Deus salutis meæ: in die clamaui, & nocte coram te.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 7. IN illo tempore: Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdũ, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Offertorium. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me: Domine clamaui ad te, & sanasti me. Psal. 29.

Secreta.

REspice, Domine quæsumus, ad nostram propitius seruitutem: vt quod offerimus, sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitati subsidium. Per Dominum. Coĩo. Honora Dominum de tua substantia, Prou. 3. & de primitijs frugum tuarum: vt impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.

Postcommunio.

SEntiamus, quæsumus Domine, tui perceptione Sacramẽti, subsidium mentis, & corporis: vt in vtroque saluati, cælestis remedij plenitudine gloriemur. Per Dominum.

DOMINICA DECIMA.

Officium.



DEus in adiutorium meũ intende: Domine ad adiuuandum me festina: confundantur, & reuereãtur inimici mei, qui quærunt animã meam. ℣. Auer- Psal. 69.

tantur

tantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotēs & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis digne & laudabiliter seruiatur: tribue quæsumus nobis, vt ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Co. 3. FRatres: Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: nō quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti: non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quòd si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est: multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. ℟. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur. Alleluia. ℣. Domine refugium factus es nobis, à generatione, & progenie.

Psal. 33.

Psal. 89.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierūt. Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges Dominum Deū tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi: Recte respondisti, hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare se ipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Accidit autem vt Sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo præterijt. Similiter & Leuita cum esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians, alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddā tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter. Credo. Offertorium. Precatus est Moyses in conspectu Do- Exo. 32.

mini Dei sui, & dixit: Quare Domine irasceris in populo tuo? parce iræ animi tui: memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti dare terram fluentē lac & mel: & placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. Secreta.

HOstias, quæsumus Domine, propitius intende, quas sacris altaribus exhibemus: vt nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem. Per Dominum. Coïo. De fructu operum tuorum Domine satiabitur terra: vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

Psal. 103.

Postcommunio.

VIuificet nos, quæsumus Domine, huius participatio sancta mysterij: & pariter nobis expiationem tribuat, & munimen. Per.

DOMINICA XI.

Officium.

Psal. 73.

REspiceDomine in testamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem: exurge Domine, & iudica causam tuam: & ne obliuiscaris voces quærentium te. ℣. Vt quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum: & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Gal. 3.

FRatres: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno: Et semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, Testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hereditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. ℞. Respice Domine in testamentum tuum: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. ℣. Exurge Domine, & iudica causam tuam: memor esto opprobrij seruorum tuorũ. Alleluia. ℣. Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.

Psal. 73. Psal. 88. Psal. 94.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 17.

IN illo tempore: Cum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediã Samariam, & Galilæam: & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, osten-

ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autẽ ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit. Credo.

Psal. 30. Offertorium. In te speraui Domine: dixi, Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. Secreta.

PRopitiare, quæsumus Domine, populo tuo, propitiare muneribus: vt hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas, & postulata concedas. Per Dominum. Coío.

Sap. 16. Panem de cælo dedisti nobis Domine, habentem omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis.

Postcommunio.

SVmptis Domine cælestibus sacramentis, ad redẽptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum.

DOMINICA XII.

Officium.

Psal. 83. PRotector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui: quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. ℣. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

CVstodi, Domine quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas: tuis semper auxilijs & abstrahatur à noxijs, & ad salutaria dirigatur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

FRatres: Spiritu ambulate, & desideria carnis nõ perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis: quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. ℟. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Psal. 91.
℣. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Alleluia. ℣. Quoniam Deus magnus Dominus: & Rex magnus super omnes deos. Psal. 94.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: Matt. 6.

aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. Credo. Offertorium. Immittit Angelus Domini in Psal. 33. circuitu timentium eum, & eripiet eos: gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.

Secreta.


Concede nobis, quæsumus Domine, vt hæc hostia salutaris, & nostrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio potestatis. Per. Communio. Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Ioan. 6.

Postcommunio.

Purificent semper, & muniant tua sacramenta nos Deus: & ad perpetuæ ducant saluationis effectũ. Per Dominum.

DOMINICA XIII.

Officium.



Inclina Domine aurem tuam ad me, & exaudi me: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te: miserere mihi Domine, quoniam ad te clamaui tota die. ℣. Lætifica animam serui tui: quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 85.

Oratio.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet & muniat: & quia sine te non potest salua consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Fratres: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Gal. 5. & 6. Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, cõsiderans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat,

in

in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autẽ
Psal. 117. ad domesticos fidei. ℞. Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine. ℣. Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in
Psal. 101. principibus. Alleluia. ℣. Timebunt Gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Lucam.

Luc. 7 IN illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deũ, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam. Credo. Offerto-
Psal. 39. rium. Expectans expectaui Dominum, & respexit me: & exaudiuit deprecationem meam, & immisit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro. Secreta.

TVa nos Domine sacramenta custodiant: & contra diabolicos semper tueantur incursus. Per.
Coĩo. Qui manducat meam carnẽ, Ioan. 6.
& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, dicit Dominus.

Postcommunio.

MEntes nostras & corpora possideat, quæsumus Domine, doni cælestis operatio: vt non noster sensus in nobis, sed iugiter eius præueniat effectus. Per Dominum.

DOMINICA XIIII.
Officium.

MIserere mihi Domine, Psal. 85.
quoniam ad te clamaui tota die: quia tu Domine suauis ac mitis es, & copiosus in misericordia omnibus inuocãtibus te. ℣. Inclina Domine aurẽ tuam mihi, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

TVa nos, quæsumus Domine, gratia semper & præueniat, & sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli
Apostoli ad Ephesios.

FRatres: Obsecro vos, ne deficia- Eph. 3.
tis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine: habitare Christum per fidẽ

in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiã supereminẽtem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen. ℞. Timebunt Gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. ℣. Quoniam ædificauit Dominus Sion: & videbitur in maiestate sua. Alleluia. ℣. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter Gentes opera eius.

Psal. 101.

Psal. 104.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 14.

IN illo tempore: Cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum: & ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc respõdere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolã, intendens quomodo primos accubitus eligerẽt, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere: sed cum vocatus fueris, vade, & recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbẽtibus: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Credo. Offertorium. Domine in auxilium meum respice: confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Secreta.

Psal. 39.

MVnda nos, quæsumus Domine, sacrificij præsentis effectu: & perfice miseratus in nobis, vt eius mereamur esse participes. Per Dominum nostrum Iesum Christũ Filium tuum. Communio. Domine memorabor iustitiæ tuæ solius: Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me. Postcommunio.

Psal. 70.

PVrifica, quæsumus Domine, mẽtes nostras benignus, & renoua cælestibus sacramentis, vt cõsequenter & corporum præsens, pariter & futurum capiamus auxilium. Per.

DOMINICA XV.

Officium.



IVstus es Domine, & rectum iudiciũ tuum: fac cum seruo tuo secũdum misericordiam tuam. ℣. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Psal. 118.

Oratio.

DA quæsumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia; & te

& te ſolum Deum pura mente ſectari. Per Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Ephe. 4. FRatres: Obſecro vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & Pater omniũ, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, Qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorũ, Amen. ℟. Beata Gens, cuius eſt Dominus Deus eorum: populus, quem elegit Dominus in hereditatem ſibi. ℣. Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Alleluia. ℣. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam in gloria mea.

Pſal. 32.

Pſal. 107.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 22. IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi: & interrogauit eũ vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuũ ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet, & Prophetæ. Congregatis autẽ Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat reſpondere ei verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eũ amplius interrogare. Credo. Offertor. Oraui Dominum Deum meũ ego Daniel, dicens: Exaudi Domine preces ſerui tui, illumina faciem tuam ſuper Sanctuarium tuum: & propitius intende populum iſtum, ſuper quem inuocatum eſt nomen tuum, Deus. Secreta. Dan. 9.

MAieſtatem tuam Domine, ſuppliciter deprecamur: vt hæc ſancta quæ gerimus, & à præteritis delictis nos exuant, & futuris. Per Dominum noſtrũ. Communio. Vouete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera: terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum: terribili apud omnes reges terræ. Pſal. 75.

Poſtcommunio.

SAnctificationibus tuis omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per Dominum noſtrum.

FERIA QVARTA Quatuor Temporum. Officium.

EXultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob: ſumite pſalmum iucundum cum cithara: canite initium menſis tuba, quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob. Pſal. 80.

℣. Bucci-

℣. Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ. Gloria Patri. Oremus. sine Dominus vobiscum. Oratio.

MIsericordiæ tuæ remedijs, quæsumus Domine, fragilitas nostra subsistat: vt quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per Dominum nostrum.

Lectio Amos Prophetæ.

Am. 9. HAec dicit Dominus Deus: Ecce dies veniunt, & comprehẽdet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Israel: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam: & non euellam eos vltra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus omnipotens. ℟. Beata Gens, cuius est Dominus Deus eorum: populus, quem elegit Dominus in hereditatem sibi. ℣. Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorũ. Dominus vobiscum. Oremus. Oratio.

Psal. 32.

PRæsta quæsumus Domine, familiæ supplicanti: vt dum à cibis corporalibus se abstinet, à vitijs quoque mente ieiunet. Per Dominum.

Lectio Libri Esdræ.

Neh. vel 2. Esd. 8 IN diebus illis: Congregatus est omnis populus quasi vir vnus ad plateam, quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ Scribæ vt afferret Librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem corã multitudine virorum, & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. Et legit in eo aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane vsque ad mediam diem in conspectu virorum, ac mulierum, & sapientium. Et aures omnis populi erant erectæ ad Librum. Stetit autem Esdras Scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquẽdum: & steterunt Leuitæ iuxta eum. Et aperuit Esdras librum coram omni populo. Et benedixit Esdras Domino Deo voce magna. Et respondit omnis populus: Amen, amen, eleuans manus suas. Et incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram. Porro Leuitæ silentium faciebant in populo ad audiendam Legem: populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in Libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum. Dixit autem Nehemias, & Esdras Sacerdos & Scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, & nolite flere. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudiũ etenim Domini est fortitudo nostra. ℟. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo, & in terra? ℣. Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem. Psal. 112.

Sequẽtia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 9. IN illo tempore: Respondens vnus de turba, dixit ad Iesum: Magister,

ster, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui vbicumque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis vt eijcerēt illum, & non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset illum, statim spiritus conturbauit eū: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo hoc ei accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquas misit vt eum perderet: sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cū lacrymis aiebat: Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cū videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere illum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio. Offertorium. Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi valde: & leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi. *Psal. 118.*

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorū tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum. Communio. Comedite pinguia, & bibite mulsum: & mittite partes eis qui non præparauerunt sibi: sanctus enim dies Domini est, nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. *Neh. vel Esd. 2 Cap. 8.*

Postcommunio.

SVmētes Domine dona cælestia, suppliciter deprecamur: vt quæ sedula seruitute donante te gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA

Quatuor Temporum. Officium.

LAetetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum, & confirmabimini: quærite faciem eius semper. ℣. Cōfitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter Gentes opera eius. Gloria Patri & Filio. *Psal. 104.*

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt obseruationes sacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dominum nostrum.

Lectio Osee Prophetæ.

HAec dicit Dominus Deus: Cōuertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominū, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus *Osee 14.*

vitulos

vitulos labiorum nostrorum. Assur non saluabit nos, super equos non ascendemus, nec dicemus vltra: Dij nostri opera manuum nostrarum: quia eius, qui in te est, misereberis pupilli. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium,& erũpet radix eius,vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius: & odor eius vt Libani. Conuertentur sedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani. Ephraim,quid mihi vltra idola? Ego exaudiam,& dirigã eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus est. Quis sapiens,& intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: præuaricatores vero corruent in eis. ℟. Conuertere Domi- *Psal. 89.*
ne aliquantulum, & deprecare super seruos tuos. ℣. Domine refugium factus es nobis à generatione,& progenie.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 7. IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo: & ingressus domũ Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi,attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique quæ, & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiã peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Offertorium. Benedic *Psal. 102.*
anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius: & renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua.

Secreta.

ACcepta tibi sint,Domine quæsumus,nostri dona ieiunij: quæ & expiando, nos gratia tua dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per Dominum.

Com-

Psal. 118. Communio. Aufera me opprobriũ, & contemptũ: quia mandata tua exquisiui Domine: nam & testimonia tua meditatio mea est.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominũ.

SABBATO

Quatuor Temporum.

Officium.

Psal. 94. Enite adoremus Deum, & procidamus ante Dominum, ploremus ante eum, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster. ℣. Venite exultemus Domino: iubilemus Deo salutari nostro. Gloria Patri. Quinque Orationes sequentes dicãtur sine Dominus vobiscum, sed dicatur Oremus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per cõtinentiam salutarem & corporibus mederis, & mentibus: maiestatem tuam supplices exoramus: vt pia ieiunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuas & futura. Per Dominum.

Lectio Libri Leuitici.

Leui. 23. IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Decimo die mensis huius septimi, dies expiationũ erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisq. animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino. Omne opus seruile non facietis in tẽpore diei huius: quia dies propitiationis est, vt propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis: & quæ operis quippiam fecerit, delebo eã de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternũ erit vobis in cũctis generationibus, & habitationibus vestris. Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis: à vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra, Dicit Dominus omnipotens. ℟. Propitius esto Domine peccatis nostris: nequando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Domine libera nos. Oremus. Psal. 78.

Oratio.

DA nobis, quæsumus omnipotẽs Deus: vt ieiunando tua gratia satiemur, & abstinendo cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per Dñm.

Lectio Libri Leuitici.

IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: A quinto decimo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septẽ diebus. Die primo, & die octauo erit Sabbatũ, idest, requies: sumetisq. vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarũ frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro: celebrabitisque solemnitatem eius septem diebus per annũ. Legitimũ sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septẽ diebus. Omnis qui de genere Israel est, manebit in tabernaculis: vt discant posteri vestri quòd in tabernaculis habitare Leui. 23.

fece-

fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti, Ego Dominus Deus vester. ℟. Protector noster aspice Deus: & respice super seruos tuos. ℣. Domine Deus virtutũ exaudi preces seruorum tuorum. Oremus. Oratio.

Psal. 83.

TVere, quæsumus Domine, familiam tuam: vt salutis æternæ remedia quæ te inspirante requirimus, te largiente consequamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Michææ Prophetæ.

Mic. 7

DOmine Deus noster, pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, iuxta dies antiquos. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transfers peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur, & miserebitur nostri: deponet omnes iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob, misericordiã Abrahã: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis, Domine Deus noster. ℟. Dirigatur oratio mea sicut incẽsum, in conspectu tuo Domine. ℣. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Oremus. Oratio.

Psal. 140.

PRæsta, quæsumus Domine, sic nos ab epulis carnalibus abstinere: vt à vitijs irruentibus pariter ieiunemus. Per Dominum.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

Zac. 8.

IN diebus illis: Factum est verbum Domini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Sicut cogitaui vt affligerem vos cum ad iracundiam me prouocassent patres vestri, & non sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis vt benefaciam domui Iuda, & Ierusalem: nolite timere. Hæc sunt ergo verba quæ facietis: Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Et vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: & iuramẽtum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solẽnitates præclaras: veritatem tãtum, & pacem diligite, Dicit Dominus exercituum. ℟. Conuertere Domine aliquantulum: & deprecare super seruos tuos. ℣. Domine refugiũ factus es nobis à generatione & progenie. Oremus. Oratio.

Psal. 89.

VT nobis, Domine, tribuis solẽne tibi deferre ieiunium: sic & nobis, quæsumus, indulgentiæ præsta subsidium. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 3.

IN diebus illis: Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem: & excussit flãmam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Flamma autem diffusa est super fornacem cubitis quadraginta nouem, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros regis, qui eam incendebant: illos autem omni-

no

no non tetigit ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes.

Hymnus.

Dan. 3. BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Et benedictum nomẽ gloriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudabile, & gloriosum in sæcula. ℣. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es super sceptrum diuinitatis tuæ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedictus es, qui sedes super Cherubim, intuens abyssos. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedicant te omnes Angeli, & Sancti tui, Laudabilem, & gloriosum in sæcula. ℣. Benedicant te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, Laudabilem, & gloriosum in sæcula. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Laudabili, & glorioso in sæcula. ℣. Sicut erat in principio, & nũc, & semper: & in sæcula sæculorum. Amen. Et laus, & honor, & potestas, & imperiũ. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorũ. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. Dominus vobiscum. Oremus. Oratio.

DEus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius: vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres: Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quod dicitur Sancta. Post velamentum autem secũdum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectã ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondueerat, & tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita cõpositis: in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offerret pro sua, & populi ignorantia: hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculũ non manu factum, idest, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorũ, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta. Tractus. Laudate Dominum omnes Gentes: & Psal. 116.

collau-

Heb. 9.

collaudate eum omnes populi. ℣. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Lucæ 13. IN illo tempore: Dicebat Iesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorē vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respondēs, dicit illi: Domine, dimitte illā & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decē & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Iesus, vocauit eā ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deū. Respondens autem archisynagogus, indignans quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondēs autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrum Sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati? Et cū hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. Offertorium. Domine Psal. 87. Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te: intret oratio mea in conspectu tuo Domine. Secreta.

COncede, quæsumus omnipotēs Deus: vt oculis tuæ maiestatis munus oblatum & gratiam nobis deuotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominū.

Communio. Mense septimo festa ce- Leui. 23. lebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Aegypti: ego Dominus Deus vester.

Postcommunio.

PErficiant in nobis, Domine quæsumus, tua sacramenta quod continent: vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per Dominum nostrum.

DOMINICA XVI.

Officium.

DA pacem Domine sustinen- Eccl. 36. tibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur: exaudi preces serui tui, & plebis tuæ Israel. ℣. Lætatus sum in his quæ dicta sunt Psal. 121. mihi: In domum Domini ibimus. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DIrigat corda nostra, quæsumus Domine, tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Gratias ago Deo meo sē- 1. Cor. 1. per pro vobis in gratia Dei, quæ data

data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finē sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi. ℟. Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. ℣. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. Alleluia. ℣. Qui timent Dominum, sperent in eum: adiutor, & protector eorum est.

Psal. 121. Psal. 113.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthaeum.

Matt. 9. IN illo tempore: Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam. Videntes autem turbae timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Credo. Offertorium.

Exod. 40. Sanctificauit Moyses altare Domino, offerens super illud holocausta, & immolans victimas: fecit sacrificium vespertinum in odorem suauitatis Domino Deo in conspectu filiorum Israel. Secreta.

DEus, qui nos per huius sacrificij veneranda cōmercia, vnius summae diuinitatis participes efficis: praesta quaesumus: vt sicut tuam cognouimus veritatem, sic eam dignis moribus assequamur. Per Dominum nostrum Iesum. Communio. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in aula sancta eius. Psal. 95.

Postcommunio.

GRatias tibi referimus Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes: vt dignos nos eius participatione perficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

DOMINICA XVII.

Officium.



Salus populi ego sum, dicit Dominus: de quacūque tribulatione clamauerint ad me, exaudiā eos: & ero illorum Dominus in perpetuum. ℣. Attendite popule meus legem meā: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Psal. 77.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude: vt mente & corpore pariter expediti, quae tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Eph. 4. FRatres: Renouamini spiritu mẽtis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locũ dare diabolo: qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operãdo manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. ℞. Dirigatur oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo Domine. ℣. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Alleluia. ℣.

Psal. 140.

Psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 22. IN illo tempore: Loquebatur Iesus principibus Sacerdotum, & Pharisæis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suã, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerũt seruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt. Rex autem cũ audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidẽ paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarum, & quoscũque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, cõgregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Credo. Offertorium. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine: & super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & saluum me fecit dextera tua. Psal. 137.

Secreta.

HAec munera, quæsumus Domine, quæ oculis tuæ maiestatis offerimus, salutaria nobis esse concede. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Communio. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Psal. 118.

Postcommunio.

TVa nos Domine medicinalis operatio, & à nostris peruersitatibus clementer expediat, & tuis semper faciat inhærere mandatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

DO-

DOMINICA XVIII.

Officium.

Dan. 3. Mnia, quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus: sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericor-
Psal. 118. diæ tuæ. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

LArgire, quæsumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem: vt pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deseruiant. Per Dominũ.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Eph. 5. FRatres: Videte quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri. Subiecti inuicem in timore Christi. ℟.
Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam in tempore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal bene-
Psal. 124. dictione. Alleluia. ℣. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Ioan. 4.
Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus veniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quàm moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit. Et credidit ipse, & domus eius tota. Credo. Offertorium. Su- Psal. 136.
per flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Secreta.


CAelestem nobis præbeant hæc mysteria, quæsumus Domine, medicinam: & vitia nostri cordis expurgent. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium. Communio.
Memento verbi tui seruo tuo Domi- Psal. 118.
ne, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea.

Postcommunio.

VT sacris Domine reddamur digni muneribus: fac nos, quæsumus, tuis obedire mandatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA XIX.

Officium.

Esr. 13. 
IN voluntate tua Domine vniuersa sunt posita: & non est qui possit resistere voluntati tuæ: tu enim fecisti omnia, cælum, & terram, & vniuersa quæ cæli ambitu continentur: Dominus vniuersorum tu es. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Psal. 118. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi: vt à cunctis aduersitatibus, te protegente sit libera; & in bonis actibus tuo nomini sit deuota. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Eph. 6. FRatres: Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.

℟. Domine refugium factus es nobis Psal. 89. à generatione & progenie. ℣. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus. Alleluia. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Psal. 129.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini regi, Matt. 18. qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, cõtristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego

tui

tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Credo.

Iob. 1. Offertorium. Vir erat in terra Hus nomine Iob, simplex & rectus, ac timens Deum: quem Satan petijt vt tentaret: & data est ei potestas à Domino in facultate, & in carne eius: perdiditque omnem substantiam ipsius, & filios: carnem quoque eius graui vlcere vulnerauit.

Secreta.

SVscipe Domine propitius hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis salutem potenti pietate restitui. Per Dominum nostrum.

Psal. 118. Communio. In salutari tuo anima mea, & in verbum tuum speraui: quādo facies de persequentibus me iudicium? iniqui persecuti sunt me, adiuua me Domine Deus meus.

Postcommunio.

IMmortalitatis alimoniam consecuti, quæsumus Domine, vt quod ore percepimus, mente sectemur. Per Dominum nostrum Iesum.

DOMINICA XX.

Officium.

Psal. 129. SI iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit: quia apud te propitiatio est Deus Israel. ℣. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus refugium nostrum, & virtus: adesto pijs Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta: vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

FRatres: Confidimus in Domino Iesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustū hoc sentire pro omnibus vobis: eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu: vt probetis potiora, & sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei. Phil. 1.

℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucundū habitare fratres in vnū. ℣. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluia. ℣. Psal. 132.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum. Psal. 145.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 22. IN illo tempore: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt vt caperent Iesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum,

rum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Credo. Offertorium. Recordare mei Domine omni potentatui dominans: & da sermonem rectum in os meum, vt placeant verba mea in conspectu principis. *Esth. 14.*

Secreta.

DA misericors Deus: vt hæc salutaris oblatio, & à proprijs nos reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Communio. Dico vobis: gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. *Luc. 15.*

Postcommunio.


SVmpsimus Domine sacri dona mysterij, humiliter deprecantes, vt quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per Dominum.

DOMINICA XXI.

Post Octauas Trinitatis.

Quando non fuerit vltima post easdem Octauas: quia si fuerit vltima, tunc loco xxj. ponitur quæ inferius posita est xxiij. & Missa xxj. dicitur Feria vj. aut v. aut alia vacante præcedentis Hebdomadæ.

Officium.



DIcit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. *Iere. 29.* *Psal. 84.*

Oratio.

ABsolue, quæsumus Domine, tuorum delicta populorum: vt à peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

FRatres: Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua possit etiam subijcere sibi omnia. Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor id ipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. ℟. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt, confudisti. ℣. In Deo laudabimur tota die: & nomini tuo confitebi- *Cap. 3. & 4.* *Psal. 43.*

fitebimur in sæcula. Alleluia. ℣. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Psal. 147.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum

Matth. 9.

IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius: dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eã, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eũ. Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius. Et surrexit puella. Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam. Credo. Offertorium. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam.

Psal. 129.

Secreta.

PRo nostræ seruitutis augmento sacrificium tibi Domine laudis offerimus: vt quod immeritis contulisti, propitius exequaris. Per Dominum. Communio. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.

Mar. 11.


Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster: vt quos diuina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subiacere periculis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

SI Dominicæ post Octauas Trinitatis fuerint plures viginti duabus, tunc post vigesimam primam, resumantur (quo ad Orationes, Epistolas, & Euangelia tantum) Missæ Dominicarum quæ superfuerunt post Epiphaniam (vt hic infra post Dominicam xxij. ponuntur) hoc ordine. Si Dominicæ fuerint viginti tres, in Dominica vigesima secunda dicatur Missa Dominicæ Quintæ post Octauas Epiphaniæ. Si fuerint viginti quatuor, in Dominica vigesima secũda dicatur Missa Dominicæ Quartæ post Octau. Epiphaniæ, & in vigesima tertia dicitur Missa Dominicæ Quintæ. Si fuerint viginti quinque, in Dominica vigesima secunda dicitur Missa Dominicæ Tertiæ post. Octau. Epiphaniæ. In vigesima tertia, Dominicæ Quartæ: & in vigesima quarta, Dominicæ Quintæ. Si fuerint viginti sex, in Dominica vigesima secunda dicitur Missa Dominicæ Secundæ post Octauas Epiphaniæ. In vigesima tertia, Dominicæ Tertiæ. In vigesima quarta, Dominicæ Quartæ. In vigesima quinta, Dominicæ Quintæ. Et vltimo loco semper dicitur Missa, quæ posita est Dominica vigesima secunda post Octau. Trinitatis. pagina. 264. Introitus autem, Responsorium, Alleluia. Offertorium, & Communio in prædictis Dominicis semper dicuntur, vt in Dominica vigesima prima post Octauas Trinitatis.

DOMINICA XXII.

Officium.

Ierem. 29. Icit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 84.

Oratio.

EXcita quæsumus Domine, tuorum fidelium voluntates: vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Cap. 1. FRatres: Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia & intellectu spirituali: vt ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescẽtes in sciẽtia Dei: in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia, & longanimitate cum gaudio gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt, confudisti. Psal. 43.

℣. In Deo laudabimur tota die: & nomini tuo confitebimur in sæcula. Alleluia. ℣. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te. Psal. 147.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 24. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suã. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem vt nõ fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsq. modo, neq. fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere. Surgẽt enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiã electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentẽ: ita erit aduentus Filij hominis. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autẽ post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venien-

venientem in nubibus cæli cū virtute multa,& maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba,& voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis,à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Ab arbore autē fici discite parabolam: cū iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas:ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis.Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.Cælum,& terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. Credo. Offertorium.

Psal. 129. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meā.

Secreta.


PRopitius esto Domine supplicationibus nostris: & populi tui oblationibus,precibusque susceptis, omnium nostrorum ad te corda conuerte: vt à terrenis cupiditatibus liberati,ad cælestia desideria transeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Communio.

Mar. 11. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis,credite quia accipietis, & fiet vobis. Postcommunio.

COncede nobis, quæsumus Domine: vt per hæc sacramenta quæ sumpsimus,quidquid in nostra mente vitiosum est,ipsorum medicationis dono curetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Dominicæ post Oct. Trinitatis quando fuerint plures viginti duabus, sumendæ ex his quæ superfuerunt post Epiphaniam, iuxta superiorem Rubricam. 263.

DOMINICA II. quæ superfuit post Octa. Epiphaniæ. Officium.



DIcit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam:auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. Iere. 29. Psal. 84.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

FRatres: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantum coram Deo,sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Nō vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ: scriptū est enim: Mihi vindictam: & ego retribuam, dicit Dominus.Sed si esurierit inimicus tuus,ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens,carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Ro. 12.

℟. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt, confudisti. ℣. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæcula. Alleluia. Psal. 43.

℣. Qui

Psal. 147. ℣. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 8. IN illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum Iesus, tetigit eũ, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habẽs sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alio, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Credo.

Psal. 129. Offertorium. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam. Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum. Communio.

Marc. 11. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Postcommunio.

QVos tantis Domine largiris vti mysterijs: quæsumus, vt effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per Dominum.

DOMINICA III. quæ superfuit post Octau. Epiphaniæ. Officium.



Iere. 29. DIcit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Psal. 84. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis: vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Cap. 13. FRatres: Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, Legem impleuit. Nam: Non adulterabis:

rabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo Legis est dilectio.

Psal. 43. ℟. Liberasti nos Domine ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt, confudisti. ℣. In Deo laudabimur tota die: & nomini tuo confitebimur in sæcula. Alleluia. ℣. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te. Psal. 47.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Cap. 8. IN illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. Et accesserunt discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei. Credo. Offertorium. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam. Psal. 129.

Secreta.

COncede, quæsumus omnipotens Deus: vt huius sacrificij munus oblatum, fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Mar. 11. Communio. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.

Postcommunio.

MVnera tua nos Deus à delectationibus terrenis expediāt: & cælestibus semper instaurent alimentis. Per Dominum nostrum.

DOMINICA IIII. quæ superfuit post Octau. Epiphaniæ. Officium.



DIcit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & nō afflictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. Iere. 29. ℣. Benedixisti Domine terram tuā: auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 84.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

FRatres: Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos in psalmis, Cap. 3.

mis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per Iesum Christum Dominum nostrum.

Psal. 43. ℟. Liberasti nos Domine ex affligētibus nos: & eos qui nos oderunt, confudisti. ℣. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæcula. Alleluia. ℣. Qui

Psal. 147. posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factū est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cū autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meū.

Psal. 129. Credo. Offertorium. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam.

Secreta.

HOstias tibi Domine placationis offerimus: vt & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Communio. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Mar. 11.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum nostrum.

DOMINICA V.

quæ superfuit post Octa. Epiphaniæ.

Officium.

DIcit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non affictionis: inuocabitis me, & ego exaudiam vos: & reducam captiuitatem vestram de cunctis locis. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Iere. 29. Psal. 84.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

FRatres: Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris: sine intermissione, memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrē nostrum: scientes fratres dilecti, à 1. Thess. 1.

Deo

Deo electionem veſtram: quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cũ gaudio Spiritus ſancti: ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolũ in Macedonia, & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quidquã loqui. Ipſi enim de nobis annunciant qualẽ introitũ habuerimus ad vos: & quomodo conuerſi eſtis ad Deũ à ſimulacris, ſeruire Deo viuo, & vero, & expectare Filium eius de cælis (quem ſuſcitauit ex mortuis) Ieſum, qui eripuit nos

Pſal. 43. ab ira ventura. ℞. Liberaſti nos Domine ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt, confudiſti. ℣. In Deo laudabimur tota die: & nomini tuo confitebimur in ſæcula. Alleluia.

Pſal. 147. ℣. Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnũ cælorũ grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cũ autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolã locutus eſt eis: Simile eſt regnum cælorũ fermẽto, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatũ eſt totũ. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Credo.

Offertorium. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam. Pſal. 129.

Secreta.

HAec nos oblatio Deus mundet, quæſumus, & renouet, gubernet, & protegat. Per Dominum.

Communio. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Mar. 11.

Poſtcommunio.

CAeleſtibus Domine paſti delicijs quæſumus: vt ſemper eadẽ, per quæ veraciter viuimus, appetamus. Per Dominum noſtrum.

DOMINICA POSTREMA, & vltima poſt Octa. Trinitatis. Dicatur Miſſa quæ ſuperius poſita eſt in ordine Vigeſima ſecunda Dominica. Pag. 264.

IN ANNIVERSARIO Dedicationis Eccleſiæ. Officium.

TErribilis eſt locus iſte: hic domus Dei eſt, & porta cæli: & vocabitur aula Dei. Gen. 28. Tempore Reſurrectionis. Alleluia. ℣. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Pſal. 83. Gloria Patri. Gloria in excelſis Deo.

Oratio.

DEus, qui nobis per ſingulos annos huius ſancti Templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſterijs repræſentas

inco-

incolumes: exaudi preces populi tui, & præsta: vt quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apo. 21. IN diebus illis: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus: & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. ℟. Locus iste à Deo factus est, inæstimabile sacramentum, irreprehensibilis est. ℣. Deus, cui astat Angelorum chorus, exaudi preces seruorum tuorum. Alleluia. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuum: & confitebor nomini tuo.

Psal 137.

Si in Septuagesima euenerit. Tractus. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus. ℣. In ea omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata: bene fundata est super firmam petram. Tempore Resurrectionis, secundum Alleluia. ℣. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.

Matt. 21 Mar. 11. Ro. 6.

Tempore Ascensionis, secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Sequentia ℟ ex Salomon. ad finem Missalis. 63.

Eph. 4.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 19. IN illo tempore: Ingressus Iesus perambulabat Iericho: & ecce vir nomine Zacchæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues. Et quærebat videre Iesum quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacchæus dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quòd & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Credo.

Offertorium. Domine Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa: & populum tuum qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio: Deus Israel custodi hanc voluntatem. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

1. Par. 29.

Secreta.

ANnue, quæsumus Domine, precibus nostris: vt quicumque intra Templi huius, cuius anniuersarium Dedicationis diẽ celebramus, ambitum continemur: plena tibi atque

que perfecta corporis, & animæ deuotione placeamus: vt dum hæc vota præsentia reddimus, ad æterna præmia, te adiuuante, peruenire mereamur. Per Dominum nostrum Iesum.

Luc. 19. Communio. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Tempore Resurrectionis. Alleluia, alleluia.

Postcommunio.

DEus, qui Ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es, vt quæ haberet gratiam per fidei deuotionem; haberet etiam ex nomine pietatem: da vt omnis hæc plebs nomini tuo seruiens, huius vocabuli consortio digna esse mereatur, & Ecclesia tua in Templo, cuius anniuersarius Dedicationis dies celebratur, tibi collecta te timeat, te diligat, te sequatur, vt dum iugiter per vestigia tua graditur, ad cælestia promissa te ducente peruenire mereatur. Qui viuis & regnas.

In die Consecrationis Ecclesiæ, & quotidie per Octauas, quando de Dedicatione agitur, & in Octau. Officium, Epistola. ℟. Alleluia. vel Tractus pro Tempore: Euangelium, Offertorium, Communio sicut supra in Anniuersario Dedicationis, cum Oratione sequenti.

Oratio.

DEus, qui inuisibiliter omnia contines, & tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis: Templum hoc potentia tuæ inhabitationis illustra: & concede vt omnes, qui huc deprecaturi conueniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamauerint, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, Templum hoc nomini tuo dedicatum cælesti virtute, & benedictione sanctifica, & omnibus in te sperantibus auxilij tui munus ostende: vt hic & sacramentorum virtus, & votorum contineatur effectus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt hoc in loco, qui nomini tuo dedicatus est, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

LAVS DEO.

MIS-

MISSAE DE SANCTIS.

Nouembris Die 29.

Die 29. Nouembris. IN VIGILIA SANCTI Andreæ Apostoli. Officium.

Matt. 4.



DOminus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Petrum & Andream, & vocauit eos: Venite post me: faciam vos fieri piscatores hominum. ℣. At illi relictis retibus, & naui secuti sunt eum. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt beatus Andreas Apostolus, cuius præuenimus festiuitatem, tuum pro nobis imploret auxilium: vt à nostris reatibus absoluti, à cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum nostrum.

Sancti Saturnini Martyris. Oratio.

DEus, qui nos beati Saturnini martyris tui concedis natalitio perfrui: eius nos tribue meritis adiuuari. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. & 45. BEnedictio Domini super caput iusti. Ideo dedit illi Dominus hereditatem, & diuisit ei partem in tribubus duodecim: & inuenit gratiam in conspectu omnis carnis. Et magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, & excelsum fecit illum. Statuit illi testamentum æternum, & circumcinxit eum zona iustitiæ. Et induit eum Dominus coronam gloriæ. ℟. Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Dinumerabo eos: & super arenam multiplicabuntur. Psal. 138.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister) vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierãt à Ioan- Ioan. 1.

Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Meſſiam, (quod eſt interpretatum, Chriſtus.) Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Ionæ: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dixit ei Ieſus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida, ciuitate Andreæ, & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph, à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Vidit Ieſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Dicit ei Nathanael: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cũ eſſes ſub ficu, vidi te. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit eis: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis. Offertorium. Gloria & honore coronaſti eũ: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum Domine. Pſal. 8.

Secreta.

SAcrandum tibi Domine munus offerimus: quo beati Andreæ Apoſtoli tui ſolemnia recolentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus. Per Dominum.

De S. Saturnino. Secreta.

MVnera tibi Domine dicata ſãctifica: & intercedente beato Saturnino martyre tuo, per hæc eadem nos placatus intende. Per Dominum. Communio. Dixit Andreas Simoni fratri ſuo: Inuenimus Meſſiam, qui dicitur Chriſtus. Et adduxit eum ad Ieſum. Ioan. 1.

Poſtcommunio.

PErceptis Domine ſacramentis ſuppliciter exoramus: vt intercedẽte beato Andrea Apoſtolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum noſtrum.

De S. Saturnino. Poſtcommunio.

SAnctificet nos, quæſumus Domine, tui perceptio ſacramenti: & interceſſione beati Saturnini martyris tui, tibi reddat acceptos. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

IN DIE S. ANDREAE. Die 30.

Officium.

MIhi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. ℣. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meã. Gloria Patri. Gloria in excelſis Deo. Pſal. 138.

Oratio.

MAieſtatem tuam Domine, ſuppliciter exoramus: vt ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector: ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 10. FRatres: Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. Psal. 18. ℟. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi confitebuntur tibi. Psal. 44. Alleluia. ℣. Dilexit Andream Dominus, in odorem suauitatis.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 4. IN illo tempore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

Credo. Offertorium. Mihi autē nimis honorificati sūt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138.

Secreta.

SAcrificium nostrum tibi, Domine quæsumus, beati Andreæ Apostoli tui precatio sancta conciliet: vt in cuius honore solemniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

Præfatio. Te Domine. Communio. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, & naui, secuti sunt Dominum. Mat. 4.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine diuina mysteria, beati Andreæ festiuitate lætātes: quæ sicut tuis sanctis ad gloriam; ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FESTA DECEMBRIS. Dic. 4

Sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris. Officium.



DIlexisti iustitiam, & odidi iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuos oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Psal. 44.

Patri

Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Barbaræ virginis & martyris tuæ festiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Epistola. Qui gloriatur. vt in Festo
Psal. 66. S. Luciæ. 279. ℟. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter
1. Co 11. dextera tua. Alleluia. ℣. Aemulor enim vos Dei æmulatione: despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Euangelium. Thesauro abscondito. vt in Festo S. Lu-
Psal. 44. ciæ. 279. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

Psal. 44. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

Die 6 S. NICOLAI EPISCOPI & Confessoris.

Officium.

Eccl. 45. STatuit ei Dominus testamentum pacis: & principem fecit eum: vt sit illi sacerdotij dignitas
Psal. 88. in æternum. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui beatum Nicolaum Pontificem tuum innumeris decorasti miraculis: tribue quæsumus, vt eius meritis & precibus à gehennæ incendijs liberemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres: Mementote præpositorũ vestrorum, qui vobis locuti sunt Heb. 13.
verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis quæ nõ profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horũ corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficientiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationẽ pro animabus
vestris reddituri. ℟. Ecce Sacerdos Eccl. 44.

magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Alleluia. ℣. Iustus germinabit sicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum.

Sequentia Sancti Euangelii Secundum Matthæum.

Matth. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscẽs, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talẽta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo talenta acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Offertorium. Iustus vt palma

Psal. 91. florebit: sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Secreta.

SAnctifica, quæsumus Domine Deus, hæc munera, quæ in solemnitate sancti Antistitis tui Nicolai offerimus: vt per ea vita nostra inter aduersa & prospera vbique dirigatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Communio.

Matth. 25. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amẽ dico vobis: super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

SAcrificia, quæ sumpsimus Domine pro solemnitate sancti Pontificis tui Nicolai, sempiterna nos protectione confirment. Per Dominum.

Dic. 7

IN ORDINATIONE S. Ambrosij Episc. & Confess. ac Doctoris Ecclesiæ. Officium.



Eccl. 15. IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritũ sapientiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eũ. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus mundi auctor & conditor: qui hodiernæ festiuitatis diem beati Ambrosij Sacerdotij electione consecrasti: præsta populo tuo, vt cuius annua celebritate deuotis resultat obsequijs, eius suffragijs tuæ pietatis consequatur auxilium. Per Dominum nostrũ Iesum Christum.

Memoria pro Octaua S. Andreæ.

Oratio.

PRotegat nos Dñe sæpius beati Andreæ Apostoli tui repetita solem-

solemnitas: vt cuius patrocinia sine intermissione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 3. CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tẽpus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cõfortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Tu es Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedech.

Psal. 88.

Psal. 109.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mũdi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponũt eã sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: nõ veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec trãseat cælum, & terra, iota vnũ, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mãdatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Ego sum pastor bonus: pastor bonus ponit animam suam pro ouibus suis. Ioan. 10.

Secreta.

INteruentu precis, & obtentu orationis beati Ambrosij Sacerdotis & confessoris tui, Domine, his muneribus tibi oblatis benedictionem effunde de cælis: quo ex eis sumentes & omnibus careamus culpis, & cælestibus repleamur edulijs. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filiũ tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

De S. Andrea. Secreta.

INdulgentiam nobis præbeat hæc munera, quæsumus Domine, largiorem: quæ pro venerabilis Andreæ Apostoli tui suffragijs offeruntur. Per Dominum nostrũ. Communio. Fidelis seruus, & prudens, Luc. 12.

quem cõstituit Dominus super familiam suam; vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

R Epleti sumus Domine muneribus tuis, quæ de festiuitate beati Sacerdotis, & confessoris tui Ambrosij percepimus: tribue quæsumus, vt eorum emundemur effectu, & viuamus auxilio. Per Dominum nostrum.

De S. Andrea. Postcommunio.

A Diuuet familiam tuam tibi Domine supplicando beatus Andreas Apostolus: & pius interuẽtor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum.

Die 8 IN SANCTIFICATIONE Beatissimæ Virginis Mariæ.

D Icitur Missa sicut de eius Natiuitate infra, die 8. Septembris, mutato nomine Natiuitatis in Sãctificationis.

S. DAMASI PAPAE, & Confessoris. Officium.

Psal. 131. S Acerdotes tui Domine induant iustitiam: & sãcti tui exultent: propter Dauid seruum tuũ non auertas faciem Christi tui. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.

Oratio.

D A quæsumus omnipotẽs Deus: vt beati Damasi confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

F Ratres: Plures facti sunt Sacerdotes secundum Legem, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: Iesus autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Qui non habet quotidie necessitatem quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerẽdo, Dominus noster Iesus Christus. ℟. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cõfortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

Heb. 7. Psal. 88. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. I N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quẽ constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

pore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua cõstituet
Psal. 88. eum. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

SAncti tui Domine nos vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per
Luc. 12. Dominum. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente Beato Damaso confessore tuo atque Põtifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.

Die 13. S. LVCIAE VIRGINIS & Martyris. Officium.

Psal. 44. DIlexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ cõsortibus tuis. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Luciæ virginis & martyris tuæ festiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. ℟. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Psal. 44.
℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Aemulor enim vos Dei æmulatione: 2. Cor. 11.
despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterũ simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autẽ vna pretiosa margarita, abijt, & vẽdidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterũ simile est regnum cælorũ sagenæ missæ in mare, & ex omni genere pisciũ congreganti: quam, cum impleta esset, educẽtes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis:

Ideo omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo
Pſal. 44. noua & vetera. Offertorium. Offerentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

ACcepta tibi ſit Domine ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium. Per Dominum. Com-
Pſal. 44. munio. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Poſtcommunio.

SAtiaſti Domine familiam tuam muneribus ſacris: eius quæſumus interuentione nos refoue, cuius ſolemnia celebramus. Per Dominum.

Die 21. S. THOMAE APOSTOLI.

Officium.

Pſal. 138. MIhi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. ℣. Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, beati Apoſtoli tui Thomæ ſolemnitatibus gloriari: vt eius ſemper & patrocinijs ſubleuemur, & fidem congrua deuotione ſectemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Eph. 2. FRatres: Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamẽtum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto. ℟. In Pſal. 18.
omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Alleluia. ℣. Nimis ho- Pſal. 138.
norati ſunt amici tui Deus: nimis cõfortatus eſt principatus eorum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Thomas vnus Ioan. 20.
ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meũ: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Credo. Offerto-
rium. Conſtitues eos principes ſu- Pſal. 44.
per omnem terram: memores erunt nomi-

nominis tui Domine, in omni progenie, & generatione.

Secreta.

DEbitum Domine nostræ reddimus seruitutis, suppliciter exorantes: vt suffragijs beati Thomæ Apostoli tui, in nobis tua munera tuearis: cuius honoranda confessione, laudis tibi hostias immolamus. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Coῖo. Mitte manum tuam, & cognosce loca clauorum, alleluia: & noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia, alleluia. Postcommunio.

Ioan. 20.

ADesto nobis, quæsumus misericors Deus: & intercedente pro nobis beato Thoma Apostolo tuo, tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum.

Die 26.

SANCTI STEPHANI Protomartyris. Officium.

Psal. 118.

SEderunt principes, & aduersum me loquebantur: & iniqui persecuti sunt me: adiuua me Dñe Deus meus: quia seruus tuus exercebatur in tuis iustificationibus. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus, vt discamus & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiã pro persecutoribus exorare, Dominũ nostrum Iesum Christũ Filium tuum. Qui tecum. Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriam, & sequitur alia Oratio immediate, finiatur sic: pro persecutoribus exorare.

Oratio de Natiuitate.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per carnẽ Natiuitas liberet: quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Per eundem Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 6.

IN diebus illis, Stephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autẽ quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorũ, & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Audientes autẽ hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantẽ à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stãtem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabãt: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino. ℟.

Sederunt principes, & aduersum me loquebantur: & iniqui persecuti sunt me. ℣. Adiuua me Domine Deus meus: saluum me fac propter miseri- Psal. 118.

Act. 7. sericordiam tuam. Alleluia. ℣. Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Sequentia. Lætabundus. vt in Missa maiori Natiuitatis Domini. pagina. 17.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 23. IN illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes; & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templū & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istā. Ierusalem Ierusalē, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Credo. Offertorium.

Psal. 20. In virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

Secreta.

SVscipe Domine munera pro tuorum commemoratione Sanctorum: vt sicut illos passio gloriosos effecit, ita nos deuotio reddat innocuos. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Secreta de Natiuitate.

OBlata Domine munera, noua Vnigeniti tui Natiuitate sanctifica: nosq. à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eundem Dominum. Præfatio. Quia per incarnati. & Communicantes. Communio. Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: Domine Iesu, suscipe spiritum meū, & ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Act. 7.

Postcommunio.

AVxilietur nobis Domine sumpta mysteria: & intercedente beato Stephano martyre tuo, sempiterna protectione confirment. Per Dominum nostrum.

Postcommunio de Natiuitate.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt natus hodie Saluator mundi, sicut diuinæ nobis generationis est auctor, ita & immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum.

S. IOANNIS APOSTOLI, & Euangelistæ. Officium. Die 27.

IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum. Eccli. 15.

℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

ECclesiam tuam Domine benignus illustra: vt beati Ioannis Apostoli tui & Euangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat sempiterna. Per Dominum.

Memoria de Natiuitate, & de sancto Stephano.

Le-

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 15. QVi timet Deum, faciet bona: & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos. In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit eũ Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, & stolam gloriæ induet eum. Iucunditatem, & exultationem thesaurizabit super eum, & nomine æterno hereditabit illum, Dominus Deus noster. ℟. Exijt sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. ℣. Sed sic eum volo manere, donec veniam: tu me sequere. Alleluia. ℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus quia verum est testimoniũ eius.

Ioan. 21.

Sequentia. Lætabundus exultet. vt in Missa maiori Natiuitatis Domini. pagina 17.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 21. IN illo tempore: Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, Quia non moritur, sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius. Credo. Offert. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Psal. 91.

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in eius tibi solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum. Præfatio, & Communicantes, de Natiuitate. Communio. Exijt sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur: & non dixit Iesus: Non moritur, sed: Sic eum volo manere donec veniam. Ioan. 21.

Postcommunio.

REfecti cibo potuque cælesti Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum.

SS. INNOCENTIVM. Dec. 28.

Officium.

EX ore infantium Deus, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. ℣. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Gloria Patri. Non dicatur Gloria in excelsis Deo, nisi Dominica fuerit. Psal. 8.

Oratio.

DEus, cuius hodierna die præconium Innocentes martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica: vt fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

Me-

Memoria de Natiuitate & de Sanctis.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apoc. 14. IN diebus illis: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, & cum eo centū quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frōtibus suis. Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouū ante sedem Dei, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno: & in ore ipsorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. ℟. Psal. 123. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. ℣. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Loco Alleluia, dicatur Laus tua Deus. ℣. Matt. 2. Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem Iudæ ciuitate Dauid: Laus tua Deus. Si Dominica fuerit. Alleluia. ℣. Apo. 14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim permanserunt.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 2. IN illo tempore: Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum: & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum: & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui Filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Credo. Offertorium. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Psal. 123. Secreta.

SAnctorum tuorum Domine nobis pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiā semper obtineat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Præfatio. Quia per incarnati. & Communicantes. Communio. Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Matth. 2.


Post-

Postcommunio.

VOtiua Domine dona percepimus: quæ Sanctorum nobis precibus, & præsentis quæsumus vitæ pariter & æternæ tribue conferre subsidium. Per. Benedicamus Domino. nisi fuerit Dominica.

Die 29. SANCTI THOMAE Cantuariensis Episcopi, & Martyris. Officium.

Psal. 63.



LAetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. ℣. Exaudi Deus orationē meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, pro cuius Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladijs impiorum occubuit: præsta quæsumus, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis suæ salutarē consequantur effectum. Per Dominum. Memoria de Natiuit. & de Sanctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb 5 FRatres: Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum: vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tāquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedech. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorū eius non fraudasti eum. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Psal. 20. Psal 63

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Cap. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnū ouile, & vnus pastor. Credo. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine. Psal. 8.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorū tibi corpora, mentesq. sanctificet. Per Dominum nostrum.

Præfa-

Præfatio. Quia per incarnati Verbi. & Communicantes. Communio.
Matt. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Thoma martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum.

Die 31. S. SILVESTRI PAPAE & Confessoris. Officium.

Psal. 131. SAcerdotes tui Domine induant iustitiam, & sancti tui exultent: propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DA quæsumus omnipotẽs Deus: vt beati Siluestri confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

Memoria de Natiuit. & de Sanctis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim 4 CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentũ eius.

℟. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Alleluia. ℣. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. Eccl. 44. Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Cap. 12. Credo. Offertorium. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur Psal. 88.

ei,

ei, & brachium meum confortabit eum. Secreta.

SAncti tui nos, Domine quæsumus, vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Præfatio. Quia per incarnati. & Communicantes. Communio. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: Amen dico vobis: super omnia bona sua constituet eum. Postcommunio. *Matt. 24.*

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Siluestro confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

FESTA IANVARII.

In Octaua Sancti Stephani. Officiũ. Oratio, Epistola, ℟. Alleluia. Euangelium, Offertorium, Secreta, Communio, Postcommunio sicut in Die. Prædicto modo fiat in Octaua sancti Ioannis, & Sanctorum Innocentium: & in Octaua sancti Ioannis dicatur Præfatio. Te Domine. & in Oct. Innocentium dicatur Gloria in excelsis Deo. Alleluia. & Ite Missa est.

Die 7. S. RAYMVNDI CONFESSORIS Ordinis Prædicatorum.

Officium.

Eccl. 15.



IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui Beatum Raymundum Pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris vndas mirabiliter traduxisti: concede vt eius intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum peruenire valeamus. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

OPtaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec cõparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidia cõmunico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Optime pater & patrone singularis ò beate Raymunde, benigne nos de cælis intuere. Sequentia. Profitemur. ad finem Missalis. 64. *Sap. 7.* *Psal. 36.*

Se-

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Psal. 88.

Secreta.

MVnera Domine maiestati tuæ oblata sanctifica, & intercedente beato Raymundo Confessore tuo, auxilium nobis tuæ defensionis impende. Per. Coĩo. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram. Luca 12.

Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster, vt sancti Raymundi Confessoris tui celebrata solemnitas, nobis indulgentiam peccatorum, & gloriam æternæ felicitatis acquirat. Per.

Quando de B. Raymundo celebratur per annum ex voto, vel deuotione, omnia fiant vt supra, exceptis Sequentia & Credo. & intra Septuagesimam dicitur Tractus. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis. ℣. Et quasi sol refulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarum in diebus vernis. ℣. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Eccl. 50. Tẽpore Paschali primum Alleluia. Optime pater. Secundum Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Matt. 28. Tempore Ascensionis secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Eph. 4

S. HILARII EPISCOPI & Confessoris. Officium. Die 14.

STatuit ei Dominus testamẽtum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. Eccl. 45. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Psal. 88. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Hilarium ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Epistola. Testificor, vt in Festo S. Siluestri. pag. 286. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabi- Psal. 88.

liabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non
Psal. 109. nocebit ei. Alleluia. ℣. Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Euangeliũ. Vos estis sal terræ. vt in Festo S. Raymundi, pag. 288. Offertorium. Ve-
Psal. 88. ritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus munera tuæ maiestati oblata, per intercessionem beati Hilarij confessoris tui atque Pontificis, ad perpetuam nobis fac prouenire salutem. Per Dominum. Communio. Do-
Mat. 25. mine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beati Hilarij confessoris tui atque Pontificis nos vbique oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

Die 15. S. MAVRI ABBATIS.

Officium.

Psal. 36. OS iusti meditabitur sapientiã, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri, & Filio. Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Mauri Abbatis commendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 45. DIlectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipsius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, & Legem vitæ & disciplinæ. ℟. Domine, præuenisti Psal. 20.
eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Os iusti meditabitur sa- Psal. 36.
pientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 19. IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autẽ dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxo-

rem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Secreta.

Psal. 20.

SAcris altaribus Domine hostias superpositas sãctus Maurus Abbas, quæsumus, in salutem nobis prouenire deposcat. Per Dominum.

Matt. 19. Communio. Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

PRotegat nos, Domine, cum tui perceptione Sacramenti beatus Maurus Abbas pro nobis intercedẽdo: vt conuersationis eius experiamur insignia, & intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per Dñm.

Die 16. S. MARCELLI PAPAE, & Martyris. Officium.

Eccl. 45. STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Gloria Patri. Oratio.

Psal. 88.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi: vt beati Marcelli martyris tui atque Pontificis meritis adiuuemur, cuius passione lætamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Co. 1. FRatres: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christũ abundat consolatio nostra. Siue autẽ tribulamur pro vestra exhortatione & salute, siue consolamur pro vestra consolatione, siue exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundẽ passionum, quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundũ lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Matt. 16.

Patris

Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuiq. secundũ opera eius.

Psal. 88. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, munera dignanter oblata, & beati Marcelli martyris tui atque Pontificis suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede.

Matt. 25. Per Dominũ. Coio. Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

Die 17. S. ANTONII ABBATIS.

Officium.

Psal. 36. OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri: Gloria in excelsis Deo: Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Antonij Abbatis cõmendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum. Epistola. Dilectus Deo. In Festo S. Mauri Abbatis. pag. 289.

Psal. 36. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Disposui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo.

Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 12. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lũbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quãdo reuertatur à nuptijs: vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autẽ scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Secreta. Psal. 20.

SAcris altaribus Domine hostias superpositas sanctus Antonius Abbas, quæsumus, in salutem nobis prouenire deposcat. Per Dominum.

Communio. Beatus seruus, quem cum venerit dominus, inuenerit vigilantem: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Matt. 24.

Postcommunio.

PRotegat nos Domine cum tui perceptione sacramenti beatus Antonius Abbas pro nobis intercedendo: vt conuersationis eius expe-

riamur insignia, & intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per Dñm.

Die 18. S. PRISCAE VIRGINIS & Martyris. Officium.

Psal. 118. LOquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis quæ dilexi nimis. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Oratio.

DA quæsumus omnipotés Deus: vt qui beatæ Priscæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus: & annua solemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 10. & 11. FRatres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinã sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginẽ castam exhibere Christo. ℟. Speciẽ tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinẽ, & iustitiã, & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam.

Psal. 44.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 13. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cælorũ sagenæ missæ in mare, & ex omni genere pisciũ congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Offertorium. Filiæ regum in honore tuo, astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Secreta.

Psal. 44.

HOstia, quæsumus Domine, quã tibi sanctæ Priscæ virginis & martyris tuæ natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ prauitatis absoluat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum nostrum Iesum. Communio. Feci iudicium & iustitiam Domine, non calumnientur mihi superbi: ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui. Psal. 118.

Postcommunio.

QVæsumus Domine, salutaribus repleti mysterijs: vt beatæ Priscæ virginis & martyris tuæ,

tuæ, cuius solemnia celebramus, orationibus adiuuemur. Per Dominum.

Die 14. S. FELICIS MARTYRIS.

Officium.

Psal. 36. 
OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt ad meliorem vitam Sanctorũ tuorum exempla nos prouocent: quatenus quorum solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 13. FRatres: Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem. Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, nõ escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, idest, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. ℟. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Alleluia. ℣. Disposui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo. Psal. 109. Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia in nomine tuo subijciuntur nobis. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subijciuntur vobis: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine. Psal. 8.

Secreta.

HOstias tibi, Domine, beati Felicis martyris tui dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum

nobis tribue prouenire subsidium. Per Dominum. Communio. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso.

Psal. 20.

Postcommunio.

QVæsumus Domine salutaribus repleti mysterijs: vt beati Felicis martyris tui, cuius solemnia celebramus, orationibus adiuuemur. Per Dominum.

Die 20. SS. MARTYRVM Fabiani, & Sebastiani. Officium.

Psal. 78.



INtret in cōspectu tuo Domine gemitus cō peditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templū sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui beatos martyres tuos Fabianum atque Sebastianum virtute constantiæ in passione roborasti: ex eorum nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 11.

FRatres: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiā, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetū ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Gloriosus Deus in sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Sancti tui Domine benedicent te: gloriam regni tui dicēt. Intra Septuagesimam Tractus. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Exod. 15.

Psal. 144.

Psal. 125.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 6.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri: & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pau-

peres,

peres, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quoniã saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Offertorium. Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde. (Psal. 31.)

Secreta.

ACcepta sit in cõspectu tuo Domine nostræ deuotionis oblatio: & eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solemnitate defertur. Per Dominum.

(Luc. 6.) Communio. Multitudo languentiũ, & qui vexabantur à spiritibus immundis veniebant ad eum: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Postcommunio.

SAcro munere satiati, supplices te Domine deprecamur: vt quod debitæ seruitutis celebramus officio, intercedentibus beatis martyribus tuis Fabiano atque Sebastiano, saluationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum.

(Die 21.) S. AGNETIS VIRGINIS & Martyris. Officium.

(Psal. 118.) ME expectauerũt peccatores vt perderent me: testimonia tua Domine intellexi: omnis cõsummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Agnetis virginis & martyris tuæ solemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

(Eccl. 51.) COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorẽ meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escã, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, & à rege iniquo, & à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus gentium, Domine Deus noster. ℟. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. (Psal. 44.) ℣. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia. ℣. Adducentur Regi virgines post eã: proximæ eius afferentur tibi in lætitia. Si intra Septuages. euenerit. Tractus Qui seminãt in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & (Psal. 125.)

flebant mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudẽtes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lāpadibus. Moram autem faciẽte sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiā ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Offertoriũ. Psal. 44. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templũ Regi Domino. Secreta.


HOstias Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe: & intercedente beata Agnete virgine & martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per Dominum.

Communio. Matt. 25. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exite obuiam Christo Domino.

Postcommunio.

REfecti cibo potuque cælesti Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum.

SANCTI VINCENTII Martyris. Officium. Die 22.



LAetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: Psal. 63. & laudabuntur omnes recti corde. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Vincentij martyris tui intercessione liberemur. Per Dominũ.

Lectio Libri Sapientiæ. Eccl. 14.

BEatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur: & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos, & nomine æterno hereditabit illum, Dominus Deus noster.

℟. Po-

Psal. 20. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Sequentia. Iubilantes. ad finem Missalis. 64. Intra Septuagesimam
Psal. 111. dicatur Tract. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 12. Rom. quia de duobus Martyrib. Cum audie ritis gratia. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cæ-
Psal. 8. lis. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine.

Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis: intercedente beato Vincentio martyre tuo, cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per.
Matt. 16. Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedente beato Vincentio martyre tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per.

S. EMERENTIANAE Virg. & Martyris. Officium. Die. 23.



VVltum tuũ deprecabũtur omnes diuites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius adducentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Psal. 44.

Oratio.

INdulgentiam, nobis quæsumus Domine, beata Emerentiana virgo & martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

DOmine Deus meus exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata sum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. Propterea cõfitebor tibi, & laudem dicã nomini tuo, Domine Deus noster. ℟. Dilexisti iusti- Psal. 44.
tiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, Eccl. 51.

procede, & regna. Euangelium. Simile est regnum cælorum thesauro. In Festo Sanctæ priscæ. pag. 292.

Psal. 44. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ tibi in beatæ Emerentianæ virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Matt. 13. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eã. Postcommunio.

AVxilientur nobis Domine sumpta mysteria: & intercedente beata Emerentiana virgine & martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum.

Die 24. SANCTI TIMOTHEI Episcopi & Martyris. Officium.

Psal. 63. LAetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. ℣. Exaudi Deus orationẽ meã cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria. Oratio.

LAetetur Ecclesia tua Deus, beati Timothei martyris tui atque Põtificis confisa suffragijs: atq. eius precibus gloriosis & deuota permaneat, & secura consistat. Per Dñm.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

1. Tim. 6. CHarissime: Sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem corã multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem: vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile vsque in aduentum Domini nostri Iesu Christi, quẽ suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium in sempiternum, Amen. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronã de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Psal. 20. Psal. 63.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Siquis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne, postquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, Luc. 14.

vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellũ aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Offertorium.

Psal. 20. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in eius tibi solemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum.

Psal. 20. Communio. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eũ Domine.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris; eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

Die. 25. IN CONVERSIONE S. Pauli Apostoli. Officium.



LAetemur omnes in Domino, hodiernum diem solemniter celebrantes, quo beatus Paulus Cõuersione sua præsentem mundum decorauit. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 138. Oratio.

DEus, qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt qui eius hodie Conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabãt stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. Et Dominus ad illum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. Et vidit vi-

Act. 9.

rum

rum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus vt visum recipiat. Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Ierusalem: & hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domũ: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo ingressus in synagogas prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes Sacerdotum? Saulus autem multo magis cõualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. ℟. Qui operatus est Petro in Apostolatum, operatus est & mihi inter gentes: & cognouerunt gratiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Gratia Dei in me vacua nõ fuit: sed gratia eius semper in me manet. Alleluia. ℣. Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificãdus. Si infra Septuag. euenerit, Tract. Tu es vas electionis sancte Paule Apostole: vere digne es glorificandus. ℣. Prædicator veritatis, & Doctor gentium in fide, & veritate. ℣. Per te omnes gentes cognouerunt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Gal. 2

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 19.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. Credo. Offertorium.

Psal. 138.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Secreta.

APostoli tui Pauli precibus Domine, plebis tuæ dona sanctifica: vt quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Postcommunio.

Matt. 19.

SAnctificati Domine salutari mysterio, quæsumus: vt pro nobis eius

eius non desit oratio, cuius nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Die 26. SANCTI POLYCARPI Episcopi & Mart. Officium.

Psal. 131. SAcerdotes tui Domine induant iustitiam, & sancti tui exultēt: propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius. Gloria.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Polycarpi martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Ioannis Apostoli.

1. Ioan. 3. CHarissimi: Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligatis alterutrum. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum: Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant; fratris autem eius iusta. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. ℟. Inueni Dauid seruum meum; oleo sancto meo vnxi eum: Psal. 88.

manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nihil opertum, quod non reueletur: neq. occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse væneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Matt. 10. Psal. 88.

Secreta.

SAncti tui nos, quæsumus Domine, vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram. Luca 12.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt de perceptis muneribus

bus gratias exhibentes, intercedente beato Polycarpo martyre tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.

Die 27. S. IOAN. CHRYSOSTOMI.

Officium.

Eccl. 15. 

N medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

ECclesiam tuam, quæsumus Domine, gratia cælestis amplificet: quam beati Ioannis Chrysostomi confessoris tui atque Pontificis illustrare voluisti gloriosis meritis, & doctrinis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4. CHarissime: Testificor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebũt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tẽpus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Si intra Septuages. euenerit, Tractus. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis. ℣. Et quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei. ℣. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarũ in diebus vernis. ℣. Quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ: & quasi thus redolẽs in diebus æstatis. ℣. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. ℣. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Psal. 36. Psal. 88. Eccl. 50.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & cõculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neq. accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super cãdelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legẽ, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & Matt. 5.

terra,

terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiãt. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit; hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Psal. 88.

Secreta.

PAssionis Filij tui Domine memoriam recensentes deposcimus: vt quod tibi in beati Ioannis Pontificis tui solemnitate deferimus, sacrificiũ sit acceptum. Per eundem Dominũ. Communio. Domine, quinque talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Mat. 25.

Postcoĩo.

HAec nos, quæsumus Domine, communio sancta lætificet: qua beati Ioannis Pontificis tui suffragijs virtutes roborentur interius, & actus exterius piæ operationis excrescant. Per Dominum nostrum.

S. AGNETIS SECVNDO. Die 28.

Officium.

VVltum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis, adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius adducẽtur tibi in lætitia, & exultatione. Psal. 44. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Agnetis virginis & martyris tuæ solemnitate lætificas: da quæsumus, vt quam veneramur officio, etiã piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Dominum. Epistola. Qui gloriatur. vt in Festo S. Priscæ. pag. 292. ℟. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Psal. 44. Euangelium. Simile est regnũ cælorum thesauro. vt in Festo S. Priscæ. pag. 292. Offertorium. Offerẽtur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. Psal. 44.

Secreta.

SVper has, quæsumus Domine, hostias benedictio copiosa descendat: quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de sanctæ Agnetis virginis & martyris tuæ solemnitate lætificet. Per Dominum. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita dedit omnia sua, & comparauit eam. Mat. 13.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine celebritatis annuæ votiua sacramenta: præsta quæsumus, vt & temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ. Per Dominum nostrum.

SANCTI PAVLI primi Eremitæ. Die 29.

Officium.

IVstus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Psal. 91. ℣. Bonum est confiteri Domino: & psal-

psallere nomini tuo Altissime. Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui nos beati Pauli confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiã actiones imitemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Phil. 3. FRatres: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem sciẽtiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vt & inueniar in illo nõ habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis: non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sũ

Psal. 20. à Christo Iesu. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierũ

Psal. 63. in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Euangelium. Confiteor tibi Pater, vt in Festo S. Matthiæ. 317. Offertorium. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur.

Secreta.

LAudis tibi Domine hostias immolamus in tuorũ commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per. Communio. Amen Matt. 19. dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Postcommunio.

REfecti cibo, potuque cælesti, Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum.

Die 31. S. IVLIANI EPISCOPI, & Confessoris. Officium.

Eccl. 45. STatuit ei Dominus testamẽtum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternũ. ℣. Mi- Psal. 88. sericordias Domini in æternum cantabo. Gloria Patri. Oratio.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras, quas in beati Iuliani confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis ab omnibus nos absoluas peccatis. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. & 45 ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam: benedictionẽ omniũ gentium dedit illi, & testamentum suũ confir-

confirmauit super caput eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam coram oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternũ, & dedit illi Sacerdotium magnum, & beatificauit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius: & offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis. ℟.
Psal. 109 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede
Psal. 88. à dextris meis. Alleluia. ℣. Inueni Dauid seruum meũ: oleo sancto meo vnxi eum. Euangelium. Sint lumbi. vt in Festo S. Antonij. 291. Offerto-
Psal. 88. rium. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meum confortabit eum. Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo Domine nostra deuotio: vt eius nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur. Per Do-
Psal. 88. minum nostrum. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

Postcommunio.

DA, quæsumus Domine, fidelibus tuis, Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

FESTA FEBRVARII. Die 1.

Sancti Ignatij Episcopi & Martyris.

Officium.



LAetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 63.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Ignatij martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

FRatres: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. ℟. Posuisti Psal. 20.
Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus Psal. 63.
in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Si intra Septuagesimam euenerit. Tractus. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Psal. 111.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 12.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solũ manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animã suam, perdet eam: & qui odit animã suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus qui est in cælis. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine.

Psal. 8.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorũ tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum. Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Matt. 16.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Ignatio martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

IN PVRIFICATIONE Beatæ Mariæ Virginis.

FInita Sexta, Prior cum cappa serica, & Diaconus cum Missali, & Subdiaconus sericeis induti, præcedentibus Acolythis in albis, cum cereis accensis, in Chorum veniant. Et si Dominica fuerit, aqua more solito aspergatur. Finita aspersione aquæ, vel si aqua non fuerit aspergenda, postquam in Chorum venerint: Prior stans ante gradus Presbyterij, verso vultu ad altare, Diacono coram ipso tenente librum, candelas benedicat voce mediocri, eo modo, quo dicuntur Orationes ad Horas. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die Vnigenitum tuum in vlnis sancti Simeonis in templo sancto suscipiendum præsentasti: tuam supplices deprecamur clementiam: vt has candelas, quas nos famuli tui in tui nominis magnificentia suscipientes, gestare cupimus luce accensas; bene ✠ dicere, & sanctificare ✠, atque lumine supernæ benedictionis accendere digneris: quatenus eas tibi Domino Deo nostro offerendo, digni, & sancto igne dulcissimæ charitatis tuæ accensi, in templo sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Postea aspergatur aqua benedicta. Deinde fiat Processio. Facta Processione, Prior, & Ministri in Sacristiam reuertantur, & deposita cappa sericea, assumptaque casula à Priore, Missa inchoata procedant more solito ad altare.

Die 2.

AD MISSAM.

Officium.

Psal. 47. SVscepimus Deus misericordiã tuã in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. ℣. Magnus Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, maiestatẽ tuam supplices exoramus: vt sicut vnigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus: ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eundem Dominum nostrum Iesum.

Lectio Malachiæ Prophetæ.

Mal. 3. HAec dicit Dominus Deus: Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meã. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituũ. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, Dicit Dominus omnipotens. Psal. 47. ℟. Suscepimus Deus misericordiã tuã in medio templi tui: secundũ nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ. ℣. Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei nostri. Alleluia. ℣. Adorabo ad templum sanctum tuũ: & confitebor nomini tuo. Psal. 137. Sequentia. Lætabũdus. vt in Missa maiori. Nat. Dom. pag. 17. Intra Septuagesim. Tractus. Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. ℣. Dum virgo Deum, & hominem genuisti: & post partum virgo inuiolata permansisti. ℣. Dei genitrix intercede pro nobis.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 2. IN illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, (sicut scriptum est in Lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.) Et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeõ, & homo iste iustus, & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinẽ Legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuũ Domine,

ne, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuũ, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Credo. Offertorium. Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster. Post Offertorium, Prior candelam suam reddat Sacristæ, postmodum Diaconus, & alij Ministri, deinde ceteri Fratres, incipientes à maioribus, candelas suas offerant, Sacrista eas de manu offerentium accipiente. Dum autem Fratres candelas offerunt, manum Prioris osculentur. Finita oblatione, Prior ad altare se vertens, thurificet illud more solito, & digitos lauet.

Secreta.

EXaudi Domine preces nostras: & vt digna sint munera, quæ oculis tuæ maiestatis offerimus, subsidium nobis per intercessionem beatæ Mariæ Virginis perpetuæ, tuæ pietatis impende. Per Dominum nostrũ. Præfatio. Quia per incarnati.

Luc. 2. Communio. Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster: vt sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata Maria semper Virgine, & præsens nobis remedium esse facias, & futurum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

S. BLASII EPISCOPI & Martyris. Officium. Die 3.



LAetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. ✠. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 63.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Blasij martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui cõsolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationẽ, qua exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute: siue consolamur, pro vestra cõsolatione: siue exhortamur, pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quoniam sicut socij passionũ estis, sic eritis & consolationis, In Christo Iesu Domino nostro. ℞. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ✠. Desideriũ animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorũ eius nõ 2. Cor. 1. Psal. 20.

frau-

Psal. 63. fraudasti eum. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Si intra Septuages. euenerit,
Psal. 111. Tract. Beatus vir qui timet Dominũ: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: iustitia eius manet in sæculum sæculi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.
Psal. 8. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum Domine.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine emundet nostra delicta: & sacrificium celebrandum subditorũ tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum nostrũ. Communio.
Mat. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Blasio martyre tuo atque Pontifice, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

SANCTAE AGATHAE Virginis & Martyris. Officium. Die 5.


GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Agathæ martyris: de cuius passione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Psal. 44. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti: concede propitius: vt qui beatæ Agathæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Videte vocationem vestrã, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potẽtes, nõ multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapiẽtes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, & iustitia & sanctificatio, & redẽptio: vt quemadmodũ scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. ℟. Adiuuabit eã Psal. 45. Deus vultu suo: Deus in medio eius 1. Cor. 1.

non cõmouebitur. ℣. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.
Psal. 44. Alleluia. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Si intra Septuagesimam euenerit, Tract. Qui semi-
Psal. 125. nant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Cap. 19. IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam ex quacumque causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniã Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. Offertorium.
Filiæ regum in honore tuo: astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Secreta. Psal. 44.

SVscipe munera Domine, quæ in B. Agathæ virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Communio. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, & mamillam meam meo pectori restituere: ipsum inuoco Deum viuum.

Postcommunio.

AVxilientur nobis Domine sumpta mysteria: & intercedente beata Agatha virgine & martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum nostrum.

SANCTAE DOROTHEAE Virginis & Martyris. Officium. Die 6.


VVltum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius adducẽtur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Psal. 44.
Eructauit cor meũ verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Dorotheæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificas: da quæsumus, vt quã veneramur officio, etiã piæ cõuersationis sequamur exemplo. Per.

S S. CONFESSORVM Vedasti, & Amandi. Oratio. Die 6.

DEus, qui nos sanctorum confessorum tuorũ Vedasti & Amãdi

di confessionibus gloriosis circũdas, & protegis: da nobis eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 51. DOmine Deus meus exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata sum. Inuocaui Dominum Patrẽ Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborũ sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo: propterea confitebor tibi, & laudem dicam nomini tuo, Domine Deus noster. ℟. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Si intra Septuagesimam euenerit, Tractus. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

Psal. 44

Psal. 125.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscõdito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminũ ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. Psal. 44.

Secreta.

SVper has, quæsumus Domine, hostias benedictio copiosa descendat: quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de sanctæ Dorotheæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificet. Per Dominum.

SS. Vedasti & Amandi. Secreta.

SAncti tui, quæsumus Domine, nos vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam. Matth. 13.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine, celebritatis annuæ votiua sacramẽta: præsta quæsumus, vt & tẽporalis nobis vitæ remedia præbeant, & æternæ. Per.

SS. Vedasti & Amandi.

Postcommunio.

QVæsumus Domine, salutaribus repleti mysterijs: vt quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

Die 7. DE S. ROMVALDO Abbate.

DIcatur Missa vt in Festo sancti Mauri Abbatis, pag. 289. mutato tantum nomine Mauri in Romualdi.

Die 8. S. APOLLONIAE VIRGINIS & Martyris. Officium.



Psal. 44. VVltum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius adducentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri & Filio. Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Apolloniæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificas: da quæsumus, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 51. COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, & à rege iniquo, & à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus gentium, Domine Deus noster. ℟. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. ℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Euangelium. Simile est regnum cælorum decem: vt in sequenti Missa Sanctæ Scholasticæ. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. Psal. 44.

Secreta.

SVper has, quæsumus Domine, hostias benedictio copiosa descendat: quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de sanctæ Apolloniæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificet. Per Dominum nostrum. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eã. Postcõmunio. Matt. 13.

SVmpsimus Domine celebritatis annuæ votiua sacramenta: præsta quæsumus, vt & temporalis nobis vitæ remedia præbeant, & æternæ. Per Dominum nostrum.

S. SCHO-

Die 10. S. SCHOLASTICAE Virginis. Officium.



Gaudeamus omnes in Domino, diem festũ celebrantes sub honore beatæ Scholasticæ virginis: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Psal. 44.
Gloria Patri. Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Scholasticæ virginis tuæ festiuitate gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Co. 10 & Fratres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinã sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginẽ castam exhibere Christo. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam. Psal. 44.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25. In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, nõ sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Offertorium.

Filiæ regum in honore tuo: astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Psal. 44.

Secreta.

Accepta tibi sit Domine sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum nostrum. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Psal. 44.

Postcommunio.

Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus

mus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominũ.

Die 14. SANCTI VALENTINI Martyris. Officium.

Psal. 20. N virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. ℣. Quoniam præuenisti eũ in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Gloria Patri & Filio.

Oratio

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Valentini martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eius intercessione liberemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 10. IVstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnũ Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium illi affuit, & honestum fecit illum. Custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam, Dominus Deus noster.

Psal. 111. ℟. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Extra Septuagesimam. Alleluia. ℣. Posuisti Psal. 20. Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari quia Matt. 10. venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladiũ: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socerum suam: & inimici hominis, domestici eius. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiã super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Offertorium. In Psal. 20. virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

Secreta.

HOstias tibi Domine, beati Valentini martyris tui meritis dicatas benignus assume: & ad perpetuum

tuum nobis tribue prouenire subsidium. Per. Communio. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum Domine. Postcommunio.
Psal. 20.

SVmptis Domine sacramentis quæsumus: vt intercedente beato Valentino martyre tuo, supplicationes nostras placatus intendas. Per Dominum nostrum.

Die 22. IN CATHEDRA S. PETRI Apostoli. Officium.

Eccl. 45.



STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Gloria Patri & Filio.
Psal. 88.

Oratio.

DEus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni cælestis, ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti: concede, vt intercessionis eius auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui viuis & regnas,

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

1. Petr. 1. PEtrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Gratia vobis & pax multiplicetur. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelationem Iesu Christi Domini nostri. ℟. Exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum. Tractus. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. ℣. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. ℣. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. ℣. Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.
Psal. 106. *Matt. 16.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 16. IN illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quẽ dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, Quia tu es

tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eã. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Credo. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.
Psal. 88.

Secreta.

ECclesiæ tuæ quæsumus Domine, preces & hostias beati Apostoli tui Petri commendet oratio: vt quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per Dominum nostrum. Præfatio. Te Domine. Communio. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Postcommunio.
Matt. 16.

LAetificet nos, quæsumus Domine, munus oblatum: vt sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per Dominum nostrum.

Die 24.
SANCTI MATTHIAE Apostoli. Officium.

Psal. 138.
MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui beatum Matthiam Apostolorum tuorum collegio sociasti: tribue quæsumus, vt eius interuentione, tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 1.
IN diebus illis: Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum simul fere centum viginti.) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortẽ ministerij huius. Et hic quidem possedit agrũ de mercede iniquitatis, & suspẽsus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalẽ, ita vt appellaretur ager ille lingua eorũ, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptũ est enim in libro Psalmorũ: Fiat cõmoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatũ eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tẽpore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diẽ, qua assumptus est à nobis, testẽ resurrectionis eius nobiscũ fieri vnũ ex istis. Et statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omniũ, ostende, quẽ elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas vt abiret in locũ suũ. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Matthiã, & annumeratus est cum vndecim Apostolis. ℟. Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Dinumerabo Psal. 138.

eos:

eos: & super arenā multiplicabūtur.

Psal. 20. Tract. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. ℣. Quoniā præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. ℣. Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 11. IN illo tempore: Respondens Iesus Dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscōdisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniā sic placitū fuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Credo. Offertorium. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Psal. 18.

Secreta.

DEus, qui proditoris apostatæ ruinam, ne Apostolorum tuorum numerus sacratus perfectione careret, beati Matthiæ electione supplesti: præsentia munera sanctifica, vt ea nos gratiæ tuæ virtute confirment. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Communio. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Matt. 17.


Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt per hæc sancta quæ sumpsimus, interueniente beato Matthia Apostolo tuo, veniam consequamur, & pacem. Per Dnm.

FESTA MARTII. Die 1.

S. Albini Episcopi & Confessoris.

Officium.



STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternū. Psal. 41. ℣. Misericordias Domini in æternū cantabo. Psal. 88. Gloria Patri & Filio & Spiritui. Oratio.

DA quæsumus omnipotēs Deus: vt beati Albini confessoris tui atq. Pontificis venerāda solemnitas & deuotionē nobis augeat, & salutē. Per. Episto. Ecce Sacerdos magnus. vt in Festo S. Iuliani, pag. 304. ℟. Inueni Dauid seruū meum, oleo sancto meo vnxi eū: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiū meū cōfortabit eū. Psal. 88. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis quā hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quē constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic faciē-

tem.

tem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Psal. 88. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

SAncti tui, quæsumus Domine, nos vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.


Psal. 88. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo: & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Albino confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum.

Die 7. S. THOMAE DE AQVINO Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ.

Officium.



Eccl. 15. IN medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eũ Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eũ. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ Confessoris tui mira eruditione clarificas, & sancta operatione fecũdas: da nobis quæsumus, & quæ docuit, intellectu conspicere: & quæ egit, imitatione cõplere. Per.

Lectio Libri Sapientiæ.

OPtaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniã omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapiẽtia, & ignorabam quoniã horum omniũ mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. ℟. Os iusti meditabitur sapientiã: & lingua eius loquetur iudicium. Psal. 36. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & nõ supplantabuntur gressus eius. Tract. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis. Eccl. 50. ℣. Et quasi sol refulgens: sic ille refulsit in templo Dei. ℣. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarum in diebus vernis. ℣. Quasi lilia quæ sunt in transitu

tu

tu aquæ: & quasi thus redolens in diebus æstatis. ℣. Quasi ignis effulgens: & thus ardens in igne. ℣. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & cōculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neq. accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: nō veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnū, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mādatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Psal. 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Secreta.

PAssionis Filij tui Domine memoriam recēsentes deposcimus: vt quod tibi in Beati Thomæ Confessoris tui atque Doctoris solemnitate deferimus, sacrificium fit acceptum. Per eundem Dominum. Communio. Matt. 25. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Postcommunio.

HAec nos, quæsumus Domine, cōmunio sancta lætificet: qua Beati Thomæ Confessoris tui atque Doctoris suffragijs virtutes roborentur interius, & actus exterius piæ operationis excrescant. Per Dominū nostrum Iesum Christum Filium.

Quando de Beato Thoma celebratur per annum ex voto, vel deuotione, extra Septuagesimam, & Tempus Paschale. ℟. O s iusti. vt supra. Alleluia. ℣. O radiosum lilium florens corona duplici: optatum duc ad brauium Thoma rogatu supplici. In Tēpore Paschali primum Alleluia. ℣. O radiosum lilium. Secundum Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit Matt. 28. de cælo: & accedens reuoluit lapidē, & sedebat super eum. Tempore Ascensionis, secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, capti- Eph. 4. uam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Reliqua omnia fiant sicut supra in Festo notata sunt, excepto Credo.

S. GREGORII PAPAE, Die 12. & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ. Officium.



SAcerdotes Dei benedicite Dominū: Dan. 3. sancti, & humiles corde laudate Deum. ℣. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

Oratio.

DEus, qui nos beati Gregorij cōfessoris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius opere, atque doctrina Scripturæ tuæ mysteria multa cognouimus, eius apud te semper patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Iesum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4. CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iā delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Tractus. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculū sæculi. Euangelium. Vos estis sal terræ. vt in præcedenti Missa S. Thomæ. 319. Credo. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Psal. 88.

Secreta.

ANnue nobis, quæsumus Domine: vt intercessione beati Gregorij hæc nobis prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum.

Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram. Luc. 12.

Postcommunio.

DEus, qui beatum Gregorium Pontificem tuum sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius, vt qui eius festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum.

SANCTI IOSEPH Sponsi Beatissimæ Virg. Mariæ. Die 19.

Officium.



IVstus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Psal. 91.

Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. Gloria Patri. Gloria in.

Oratio.

BEati Patriarchæ Ioseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsi, quæsumus Domine, precibus adiuuemur: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Qui viuis & regnas cum Deo.

Lectio

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 45. DIlectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipsius, & induxit illum in nubē. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ. ℟. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Psal. 91.

Psal. 20. Tractus. Desideriū animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. ℣. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. ℣. Posuisti super caput eius coronam de lapide pretioso.

Tempore Resurrectionis. Alleluia. Mat. 1. ℣. Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Alleluia. ℣. In die resurrectionis meæ præcedam vos in Galilæam.

Sequentia Sancti Euangelij Secundùm Matthæum.

Matt. 1. CVm esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autē filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Offertorium. Psal. 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Temp. Resurrect. Alleluia. Secreta.

DEbitū tibi Domine nostræ reddimus seruitutis, suppliciter exorantes: vt suffragijs beati Ioseph sponsi Genitricis Filij tui Iesu Christi Domini nostri, in nobis tua munera tuearis: ob cuius venerandam festiuitatem, laudis tibi hostias immolamus. Per eundem. Communio. Matt. 2. Tolle puerum & matrem eius, & vade in terrā Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Postcommunio.

SIt nobis, quæsumus Domine, per hæc sancta quæ sumpsimus, beatissimi Ioseph Patriarchæ solemnitas præsidium salutare: qui pretiosæ sponsæ suæ Virginis Matris Filium in præsepio meruit adorare, Dominum nostrum Iesum Christum.

S. BENEDICTI ABBATIS. Die 21.

Officium.



Psal. 36. OS iusti meditabitur sapiētiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatē. Gloria. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Benedicti Abbatis commendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum.

Epistola. Dilectus Deo. Vt in præcedenti Missa S. Ioseph. pag. 321.

Psal. 20. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Tractus. Beatus vir qui timet Dominũ: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum: stolam gloriæ induit eum. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Psal. 111. (margin)

Mat. 28. (margin)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 19. IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Offert. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Temp. Resurrect. Alleluia. Secreta.

SAcris altaribus Domine hostias superpositas sanctus Benedictus Abbas, quæsumus, in salutem nobis prouenire deposcat. Per. Coïo. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Temp. Resurrectionis. Alleluia. Postcommunio. Matt. 19.

PRotegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Benedictus Abbas, pro nobis intercedendo: vt conuersationis eius experiamur insignia, & intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per.

IN ANNVNCIATIONE B. Mariæ Virginis. Officium. Die 25.



ROrate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Tempore Resurrect. Alleluia, alleluia. ℣. Et iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum. Gloria. Isaia 45.

Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero Verbum tuũ, Angelo nunciãte, carnẽ suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis: vt qui vere eã Genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi Isa. 7.

signum

signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signũ. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, &
Psal. 23. eligere bonum. ℟. Tollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. ℣. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde. Tract. Aue Maria gratia plena, Do-
Luc. 1 minus tecum. ℣. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. ℣. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. ℣. Ideoque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Tempore Resurrect. Alleluia. ℣. Virga Iesse floruit, Virgo Deum, & hominẽ genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluia.
Mat. 28. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Sequentia. Aue Maria gratia plena. ad finem Missalis. 64.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 1 IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Credo. Offertorium. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Luc. 1

Secreta.

IN mentibus nostris, Domine, veræ fidei sacramenta confirma: vt qui conceptum de Virgine Deum verum & hominem confitemur, per eiusdem salutiferæ resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur peruenire lætitiam. Per eundem Dominũ. Præfatio. Et te in Annũciatione.

Isa. 7. Communio. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Postcommunio.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante, Christi Filij tui Incarnationem cognouimus, per passionem eius & Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum.

Die 2. FESTA APRILIS.

S. Francisci de Paula Confessoris.

Officium.



Psal. 91. IVstus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DEus humilium celsitudo, qui beatum Franciscum confessorem sanctorum tuorum gloria sublimasti: tribue quæsumus, vt eius meritis & imitatione, promissa humilibus præmia feliciter consequamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 4. FRatres: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionẽ patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium perispema vsque adhuc. Nõ vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. Psal. 36. Psal. 111.

Tempore Quadragesimæ, Tractus. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Matt. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynã. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit: vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrũ erit. Offert. In virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Luca 12. Psal. 20.

Secreta.

Secreta.

HAec dona deuotæ plebis, Domine, quibus tua cumulamus altaria, beati Francisci meritis tibi grata, nobisque salutaria, te miserante reddantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.


Mat. 19. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Postcommunio.

SVmpta Domine sacramenta cælestia, beato Francisco confessore tuo intercedente precamur: vt & temporalis vitæ subsidia nobis conferant, & æternæ. Per Dominum.

Die 4. S. AMBROSII EPISCOPI, & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ. Officium.

Eccl. 45.



STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternũ. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 88. ℣. Misericordias Domini in æternũ cantabo. Gloria Patri. Gloria in.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatũ Ambrosium ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4. CHarissime: Testificor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebũt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tẽpus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Eccl. 44. Tractus. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. Psal. 111. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. Psal. 88. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Matt. 28. Euangelium. Vos estis sal terræ. vt in Sequenti Missa S. Vincentij. pagina. 326. Credo. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Psal. 88. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, munera tuæ maiestati oblata, per intercessionem beati Ambrosij confessoris tui atque Pontificis, ad perpetuam nobis fac prouenire salutem. Per Dominum. Communio.

Matth. 24. Fidelis seruus & prudens, quem cõstituit Dominus super familiam suã: vt det illis in tempore tritici mensuram. Tempore Resurrect. Alleluia.

Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beati Ambrosij confessoris tui atque Pontificis nos vbique oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

Die 5. IN FESTO S. VINCENTII Ferrerij Confessoris. Officium.

Eccl. 15. N medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus: stolam gloriæ induit eum. Tempore Paschali Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui Gentium multitudinem mira beati Vincentij Cõfessoris tui prædicatione, ad agnitionẽ tui nominis venire tribuisti: præsta quæsumus, vt quem venturum iudicem nunciauit in terris, præmiatorem habere mereamur in cælis, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apoc. 14. IN diebus illis: Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: dicens magna voce: Timete Dominũ, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. Psal. 91. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Tractus. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis. Eccl. 50. ℣. Et quasi sol refulgens: sic ille refulsit in templo Dei. ℣. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarum in diebus vernis. ℣. Quasi lilia quæ sunt in trãsitu aquæ: & quasi thus redolẽs in diebus æstatis. ℣. Quasi ignis effulgens: & thus ardens in igne. ℣. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Tempore Resurrectionis. Primũ Alleluia. ℣. Gloriose Pater Vincenti, clara proles Dominici Ordinis: preces funde summo Iudici pro cunctis tibi deuotis populis. Alleluia. ℣. Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis; & ita intrare in gloriam Dei. Luc. 24. Sequentia. Gaude Christi Ecclesia. si dicenda erit, require in fine Missalis. 65.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd

quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorũ.

Psal. 20. Credo. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

MVnera Domine nostræ deuotionis offerimus: quæ vt tibi grata sint, & nobis salutaria reddantur, beatus Vincentius Confessor tuus, qui donis tuis hic extitit gloriosus, apud clementiam tuam pius pro nobis intercessor existat. Per Dominum nostrum.

Apoc. 2. Communio. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Postcommunio.

DIuinis Domine muneribus satiati quæsumus, vt beati Vincentij Confessoris tui meritis gloriosis, salutaris victimæ desideratum sentiamus effectum. Per Dominum.

Quando de beato Vincentio per anni circulum celebratur ex voto, vel deuotione, fiant omnia sicut supra, excepto quòd extra tempus Paschale dicitur ℟. Os iusti. & Alleluia. ℣. Gloriose Pater. Tempore Ascensionis. Primum Alleluia ℣. Gloriose Pater Secundum Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubæ. Psal. 46. Cetera vt supra, excepta Sequentia, & Credo.

SANCTORVM MARTYRVM Die 14.

Tiburtij, Valeriani, & Maximi.

Officium.



SAncti tui Domine benedicẽt te: gloriam regni tui dicent, alleluia. ℣. Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculũ, & in sæculũ sæculi. Gloria Patri. Psal. 144. Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: vt qui sanctorum martyrum tuorum Tiburtij, Valeriani, & Maximi solemnia colimus: eorum etiam virtutes imitemur. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

STabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. S. p. 5. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt,

quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Alleluia. ℣.
Psal. 32. Gaudete iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Euangelium. Ego sum vitis vera. vt in Festo S. Georgij pag. 329. Offertorium. Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde, alleluia. Psal. 31.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, quam sanctorum Martyrũ tuorum natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ prauitatis absoluat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum. Coĩo.
Psal. 32. Gaudete iusti in Domino, alleluia: rectos decet collaudatio, alleluia.

Postcommunio.

SAcro munere satiati, supplices te Domine deprecamur: vt quod debitæ seruitutis celebramus officio, saluationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum.

Die 20. IN FESTO B. AGNETIS de Monte Politiano Virginis, Ordinis Prædicatorum.

Officium.



Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Agnetis virginis: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei, alleluia. ℣.
Psal. 44. Eructauit cor meum verbum bonũ: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui Beatam Agnetẽ virginem tuã cælesti rore sæpe perfundere, & orationis eius loca diuersis enatis floribus decorare dignatus es: concede propitius, vt eius precibus perpetuo tuæ benedictionis rore conspersi, æternitatis fructus percipere mereamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 10 & 11. FRatres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commẽdat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Alleluia. ℣. O beata Agnes, Agno sponso iuncta, ipsum sequuta es, & accepisti palmã. Alleluia. ℣. Surrexit Christus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Mat. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 13. IN illo tẽpore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniãt, & habitent in ramis eius. Aliam parabolã locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptũ mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc

omnia

omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Credo. Offertorium. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi, alleluia. Secreta.

Psal. 44.

OBlatis Domine placare muneribus, & sicut Beatam Agnetē virginem vexillo sanctæ Crucis insignire dignatus es, ita eius meritis holocausti tui in ara Crucis oblati participes nos esse concede. Qui viuis.

Psal. 44. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, alleluia.

Postcommunio.

SAcratissimi corporis, & sanguinis tui Domine sanctificati libamine, præsta, vt huius vitæ cursu lætanter expleto, intercedente Beata Agnete virgine tibi acceptissima, æternis gaudijs perfrui mereamur. Qui viuis & regnas.

Quādo infra annū de Beata Agnete ex voto, vel ex deuotione contigerit celebrari, fiant omnia ad normam de S. Catharina Senensi inferius positam: seruatis tamen, quæ sunt Beatæ Agnetis propria.

Die 23. S. GEORGII MARTYRIS.

Officium.

Psal. 63. PRotexisti me Deus à cōuentu malignantium, alleluia: à multitudine operantium iniquitatē, alleluia, alleluia. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui nos beati Georgij martyris tui meritis & intercessione lætificas: concede propitius, vt qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

CHarissime: Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cū gloria cælesti. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionē, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiā, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur. Alleluia. — 2. Ti. 2. & 3.

Psal. 91. ℣. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur. Alleluia.

Matt. 28. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fru-

fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sũ vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non mãserit; mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignẽ mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Offertorium. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum, alleluia, alleluia.

Psal. 88. (margin)

Secreta.

MVnera Domine oblata sanctifica: & intercedente beato Georgio martyre tuo, nos à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum.

Psal. 63. Communio. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, alleluia, alleluia. Postcommunio.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus: vt quos tuis reficis sacramentis, intercedente beato Georgio martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deseruire. Per Dominum nostrum.

Die 24. SANCTI ADALBERTI Episcopi & Martyris. Officium.

Dan. 3. SAcerdotes Dei benedicite Dominum: sancti & humiles corde laudate Deum, alleluia. ℣. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eũ in sæcula. Gloria Patri.

Oratio.

INfirmitatem nostram, quæsumus omnipotens Deus, respice: & quia pondus propriæ actionis grauat, beati Adalberti martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 14. & 15. BEatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circũspectionem Dei. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos. Et nomine æterno hereditabit illum, Dominus Deus noster. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronã de lapide pretioso. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 22. IN illo tempore: Facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis Iesus: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tẽtationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam

meam

meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius, alleluia. Secreta.

Psal. 88.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Adalberto martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

Psal. 88. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis, alleluia. Postcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & intercedente beato Adalberto martyre tuo, atque Pontifice, cælestis remedij faciat esse consortes. Per Dominum.

Die 25. S. MARCI EVANGELISTAE.

Officium.

Psal. 63. PRotexisti me Deus à conuentu malignantium, alleluia: à multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria. Gloria in. Oratio.

DEus, qui beatum Marcum Euangelistam tuum, Euangelicæ prædicationis gratia sublimasti: tribue quæsumus, eius nos semper & eruditione proficere, & oratione defendi. Per Dominum nostrum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Ezec. Cap. 1 SImilitudo vultus quatuor animalium, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum: & vnũquodque eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur: nec reuertebantur cum ambularent. Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Alleluia. ℣. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt: & Ierusalem Euangelistam dabo. Alleluia. Isai. 41.

℣. In die resurrectionis meæ, dicit Dominus, præcedam vos in Galilæã. Mat. 26.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 10. IN illo tempore: Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidẽ multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. In eadem

autem

autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque domum intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

Psal. 89. Credo. Offertorium. Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauimus, & delectati sumus, alleluia.

Secreta

BEati Marci Euangelistæ tui solemnitate tibi munera deferentes, quæsumus Domine: vt sicut illũ prædicatio Euangelica fecit gloriosum; ita nos eius intercessio & verbo, & opere tibi reddat acceptos. Per.

Præfatio. Te Domine. Communio.

Ioan. 15. Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia.

Postcommunio.

PAsti cibo spiritualis alimoniæ, quæsumus Domine Deus noster: vt quod mysterio frequentamus, intercedente beato Marco Euangelista, plena veritate consequamur. Per Dominum nostrum.

Die 28. S. VITALIS MARTYRIS.

Officium.

Psal. 63. PRotexisti me Deus à conuentu malignantium, alleluia: à multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animã meam. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt intercedente beato Vitale martyre tuo, & à cunctis aduersitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum.

Epistola. Memor esto. vt in Festo S. Georgij. pag. 329. Alleluia. ℣. Iustus non conturbabitur: quia Dominus firmat manum eius. Psal. 63. Euangelium. Ego sum vitis vera. vt in Festo S. Georgij pag. 329. Offertorium Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauimus, & delectati sumus, alleluia. Psal. 89.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo Domine nostra deuotio: & eius nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur. Per.

Communio. Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia. Ioan. 15.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Vitale martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

IN FESTO S. PETRI Martyris. Die 29.

Officium.

PRotexisti me Deus à conuentu malignantium, alleluia: à multitudine operantiũ iniquitatem, alleluia, alleluia. ℣. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore Psal. 63.

more inimici eripe animam meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt beati Petri martyris tui fidem congrua deuotione sectemur: qui pro eiusdem fidei dilatatione, martyrij palmam meruit obtinere. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 2. CHarissime: Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primũ de fructibus percipere. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti. Alleluia. ℣. Felix ex fructu triplici, quem sub Patre mirifico, ex virtute multiplici legit sancto Dominico. Alleluia. ℣. Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis: & pro suo grege mori dignatus est. Ioan. 10.

Sequentia. Adest dies celebris. In fine Missalis, si dicenda erit. 65.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 9. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum. Credo. Offertorium. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso: vitam petijt à te, & tribuisti ei, alleluia. Psal. 20.

Secreta.

PReces quas tibi Domine offerimus, intercedente beato Petro martyre tuo clementer intende, & pugiles fidei sub tua protectione custodi. Per Dominum. Communio. Ego sum vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia. Ioan. 15

Postcommunio.

FIdeles tuos Domine custodiant sacramenta quæ sumpsimus: & intercedente beato Petro martyre tuo, contra omnes aduersos tueantur incursus. Per Dominum.

Quando per anni circulum celebratur de beato Petro martyre, ex voto vel deuotione, si fuerit extra Septuages. & Tempore Paschali, dicatur Officiũ. Protexisti me Deus. vt supra. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronã de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Alleluia. ℣. Felix ex fructu triplici, quẽ sub Patre mirifico ex virtute multiplici legit sancto Dominico. Psal. 20.

Tempore Ascensionis. Primum A lleluia. F elix. Secundum A lleluia.
Eph. 4. ℣. A scendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem &c.
Cetera omnia vt supra, excepta Sequentia, & Credo.

SI AVTEM INTRA Septuagesimam. Officium.

Psal. 63. L Aetabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. ℣. E xaudi Deus orationem meã cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. G loria Patri. Oratio, & ℟. P osuisti Domine. vt supra. Si Missa Solemnis fuerit.
Psal. 111. Tractus. B eatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. P otens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. ℣. G loria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Cetera omnia vt supra sine Alleluia.

Die 1. FESTA MAII.

Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi. Officium.

2. Esdr. 9. C Lamauerunt ad te Domine in tempore afflictionis suæ: & tu de cælo exaudisti eos, alleluia, alleluia. ℣. E xultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. G loria Patri. G loria in excelsis Deo.
Psal. 32.

Oratio.

D Eus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi & Iacobi solemnitate lætificas: præsta quæsumus, vt quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5. S Tabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. A lleluia. ℣.
S tabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Sap. 5
A lleluia. ℣. I n die resurrectionis meæ, dicit Dominus, præcedam vos in Galilæam. Matth. 26. Tempore Ascensionis. Secundum A lleluia. ℣. A scendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Eph. 4

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. I N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Et quò ego vado, scitis, & viã scitis. Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi

per

per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Et quomodo tu dicis: Ostēde nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Credo. Offertorium. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: & veritatem tuam in ecclesia sanctorum, alleluia, alleluia. *Psal. 88.*

Secreta.

MVnera, Domine, quæ pro Apostolorum tuorū Philippi, & Iacobi solénitate deferimus, propitius suscipe: & mala omnia quæ meremur, auerte. Per Dominum.

Præfatio. Te Domine. nisi venerint infra Octauam Ascensionis, quia tūc Præfatio, & Communicantes erunt de Ascensione. Coõ. Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, alleluia: non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? alleluia, alleluia. Postcommunio. *Ioan. 14.*

QVæsumus Domine, salutaribus repleti mysterijs: vt quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adiuuemur. Per Dominum.

SANCTI ANTONINI *Die 2.*

Archiepiscopi Florentini.

Officium.



STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eū: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum, alleluia. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Gloria. Patri. Gloria in excelsis Deo. *Eccl. 45.* *Psal. 88.*

Oratio.

SAncti Antonini Domine, Confessoris tui atque Pontificis meritis adiuuemur: vt sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per.

Lectio Libri Sapientiæ.

ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam corā oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi Sacerdotium magnum, & beatificauit illū in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere *Eccl. 44.*

bere

bere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis. Alleluia. ℣. Antoninus electus Dei Pontifex: virgo, & doctor est glorificãdus. Alleluia.
Ioan. 10. ℣. Surrexit pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis: & pro suo grege mori dignatus est. Sequẽtia. Antonino magno. Si dicetur, est in fine Missalis. 66.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Cap. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Credo. Offertorium. Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuaui manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi, alleluia. Psal. 118.

Secreta.

SAcrificium nostrum Domine, beatus Antoninus Sacerdos maiestatis tuæ oculis reddat acceptum: qui se tibi, dum vixit, sanctam, & placentem hostiam immolauit. Per Dominum nostrum Iesum Christũ. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram, alleluia.

Postcommunio.

VItali cibo recreati, gratias tibi Domine agimus, & rogamus: vt quod ad gloriam sumpsimus sancti tui Præsulis Antonini, eius precibus sit nobis contra hostiles impetus auxilium. Per Dominum.

Quando de beato Antonino per annum celebratur ex voto, vel deuotione, fiant omnia sicut supra: excepto quod extra tempus Paschale dicitur. ℟. Inueni Dauid seruum meũ, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis nõ nocebit ei. Intra Septuagesimã, ℟. Inueni. Tractus. Quasi stella. vt in Festo S. Vincentij, pag. 326. Reliqua vt supra, excepta Sequentia & Credo. Psal. 88.

IN INVENTIONE S. Crucis. Officium. Die 3.

NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quẽ saluati & liberati sumus, alleluia, alleluiã. ℣. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Gal. 6. Psal. 66.

Oratio.

DEus, qui in præclara salutiferæ Crucis Inuentione, passionis tuæ miracula suscitasti: concede, vt vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

EO-

EODEM DIE SANCTORVM Alexandri, Euentij, & Theoduli Martyrum. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui sanctorum martyrum tuorum Alexandri, Euentij, & Theoduli natalitia colimus: à cunctis malis imminẽtibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dñm.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Phil. 2. FRatres: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine *Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Alleluia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cælorum, & Dominum. Alleluia. ℣. Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno. Intra Ascensionem. Secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

*Hic genuflectitur.

Eph. 4

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 3. IN illo tempore: Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci? Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrũ non accipitis. Si terrena dixi vobis, & nõ creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis? Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filiũ hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitam æternã. Credo. Offert. Protege Domine plebem tuam per signum sanctæ Crucis ab omnibus insidijs inimicorum omnium: vt tibi gratam exhibeamus

ſeruitutem, & acceptabile tibi fiat ſacrificium noſtrum, alleluia.

Secreta.

SAcrificium Domine, quod immolamus, placatus intende: vt ab omni nos eruat bellorum nequitia, & per vexillum ſanctæ Crucis Filij tui, ad conterendas poteſtatum aduerſarum inſidias, nos in tuæ protectionis ſecuritate conſtituat. Per eũdem Dominum noſtrum Ieſum.

De S. Alexandro. Secreta.

SVper has hoſtias, quæſumus Domine, benedictio copioſa deſcendat: quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de ſanctorum Martyrum tuorum nos ſolemnitate lætificet. Per Dominum noſtrum.

Præfatio. Qui ſalutem. Communio. Per lignum ſerui facti ſumus, & per ſanctam Crucem liberati ſumus: fructus arboris ſeduxit nos: Filius Dei redemit nos, alleluia.

Poſtcommunio.

INeffabilem clementiam tuam, quæſumus omnipotens Deus: vt ab ijs, quos per lignum ſanctæ Crucis pio cruore Filij tui redemiſti, dira ſerpẽtis antiqui venena depellas, & eis per gratiam ſancti Spiritus poculum ſalutis infundas. Per eundem. eiuſdem Spiritus ſancti.


De S. Alexandro.

Poſtcommunio.

REfecti participatione muneris ſacri, quæſumus Domine Deus noſter: vt cuius exequimur cultum, intercedẽtibus ſanctis tuis Alexandro, Euentio, & Theodulo, ſentiamus effectum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

FESTVM SANCTAE Chatarinæ de Senis.

Celebratur proxima Dominica poſt Inuentionem S. Crucis. Officium.



GAudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes ſub honore Beatæ Chatarinæ virginis: de cuius ſolemnitate gaudẽt Angeli, & collaudant Filium Dei. Alleluia, alleluia. ℣. Eructauit cor meum verbum bonũ: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelſis Deo. Pſal. 44.

Oratio.

DEus, qui beatæ Catharinæ virginitatis, & patientiæ ſpeciali priuilegio decoratæ, malignantium ſpirituum certamina vincere, & in amore tui nominis inconcuſſe permanere tribuiſti: concede quæſumus, vt eius imitatione, calcata mundi nequitia, & omnium hoſtium ſuperatis inſidijs, ad tuã ſecure gloriam tranſeamus. Per Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

FRatres: Qui glorìatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commẽdat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat. Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Alleluia. ℣. Sideribus cunctis fulgentior eſt Catharina: Et decus æternum eſt hæc quoque virginibus. Alleluia. ℣. 2. Cor. 10. et 11.

Surre-

Matt. 28. Surrexit Christus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Post Ascensionem. Secundum Alleluia. Eph. 4. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Sequentia. Lux aduenit. ad finem Missalis. *66.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tēpore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniāt, & habitent in ramis eius. Aliam parabolā locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptū mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Credo. Offertorium. Psal. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi, alleluia. Secreta.

MVnera, quæsumus Domine, quæ tibi in honorē beatæ Catharinæ virginis offerimus, benigno suscipe vultu: & nos eius meritis ac intercessione, ad tuam facito propitius peruenire lætitiam. Per Dominum. Communio. Psal. 44. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, alleluia.

Postcommunio.

SVmptis Domine diuinæ gratiæ sacramentis, quæsumus: vt intercedente beata Catharina virgine tibi acceptissima, hostiles superemus incursus: & ad æternæ redemptionis augmenta proficientes, tuis semper oculis placeamus. Per Dominum.

Quando celebratur de Beata Catharina ex voto, vel deuotione per annū.

Officium.

DIlexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ cōsortibus tuis. Psal. 44. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Eructauit cor meum verbū bonum: dico ego opera mea Regi. Psal. 44. Gloria Patri & Filio. Oratio, & Epistola vt supra. ℟. Adiuuabit eam Deus vultu suo: Deus in medio eius non commouebitur. Psal. 45. ℣. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Alleluia. ℣. Sideribus cunctis. Intra Septuagesimam, ℟. Adiuuabit. Tractus. Qui seminant. vt in Festo S. Dorotheæ, pagina. 311. Cetera vt in Die, exceptis Sequentia & Credo.

S. ATHANASII EPISCOPI & Confessoris. Officium. Die 2.

IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapiētiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eū, alleluia, alleluia, alleluia. Eccl. 15. ℣. Iucunditatem, & exultationē thesaurizauit super eum. Gloria. Gloria in.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Athanasiū mini-

strum tribuisti: præsta quæsumus: vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 4. FRatres: Non nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum; nos autem seruos vestros per Iesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortificationē Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum: vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cū Iesu suscitabit, & constituet vobiscū.

Psal. 88. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Alleluia. ℣. Angelus

Mat. 28. Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Tempore Ascensionis. Secundū Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Eph. 4.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reueletur: & occultum, quod nō sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehēnā. Credo. Offertorium. Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde: & leuaui manus meas ad mādata tua, quæ dilexi, alleluia. Cap. 10. Psal. 118.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, munera tuæ maiestati oblata, per intercessionem beati Athanasij confessoris tui atque Pontificis, ad perpetuam nobis fac prouenire salutem. Per Dominū. Communio. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Mat. 25.

Domi-

Domini tui, alleluia, alleluia.

Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beati Athanasij confessoris tui atque Pontificis nos vbique oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum nostrum.

Die 6. S. IOANNIS ANTE portam Latinam. Officium.

Eccl. 45. N medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: stolã gloriæ induit eum, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo Oratio.

DEus, qui conspicis quia nos vndique mala nostra perturbant: præsta quæsumus: vt beati Ioãnis Apostoli tui & Euãgelistæ intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum Iesum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5. STabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisũ, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Alleluia. ℣. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: & scimus, quia verum est testimonium eius. Alleluia. Ioan. 21.

℣. In die resurrectionis meæ, dicit Dominus, præcedam vos in Galilæã. Matt. 26.

Tempore Ascensionis. Secundum Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Psal. 46.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Credo. Offertorium. Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauimus, & delectati sumus, alleluia. Secreta. Matt. 20. Psal. 89.

MVneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis: intercedẽte beato Ioanne Apostolo tuo & Euangelista, & cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum. Præfatio: Te Domine. nisi venerit intra Octauas Ascensionis, quia tunc Præfatio, & Communicantes, erit de Ascensione. Communio. Ego sũ vitis vera, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia. Ioan. 15.

Postcommunio.

Refecti Domine pane cælesti: intercedente beato Ioãne Apostolo tuo & Euangelista, ad vitam quæsumus nutriamur æternam. Per Dominum nostrum.

Die 7. IN FESTO SACRATISSIMAE Coronæ Domini. Officium.



Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Coronæ Domini, de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei, alleluia, alleluia. ℣. Omnes gẽtes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 46.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: vt qui in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi Coronã eius spineam veneramur in terris, ab ipso gloria & honore coronari mereamur in cælis. Qui tecũ.

Lectio Libri Sapientiæ.

Cant. 3. Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suũ propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascẽsum purpureum, media charitate cõstrauit, propter filias Ierusalem. Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Alleluia. ℣. Diadema spineum veneremur hodie, cuius per aculeum sertum datur gloriæ. Alleluia. ℣. Surrexit Christus, & illuxit populo suo, quẽ redemit ipse sanguine suo. Tempore Ascensionis Secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatẽ: dedit dona hominibus. Eph. 4.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus portãs spineam coronam, & purpureum vestimentum. Credo. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & cõstituisti eum super opera manuum tuarum Domine, alleluia. Io. 19. Psal. 8.

Secreta.

Tuorum militum Rex omnipotens virtutem corrobora: vt quos in huius mortalitatis stadio vnigeniti Filij tui Corona lætificat, cõsummato cursu certaminis, immortalitatis brauium apprehendat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit. Communio. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso, alleluia. Psal. 20.

Post-

Postcommunio.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus: vt hæc sacramenta, quæ sumpsimus, per sacrosanctæ Filij tui Coronæ, cuius solemnia recensemus, virtutem nobis proficiant ad medelam. Per eundem Dominum nostrum. Quando celebratur de Corona extra tempus Paschale. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei; & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Cetera omnia vt supra, excepto quòd non dicitur Alleluia & in Postcommunione vbi dicitur Solemnia, dicatur Commemorationẽ.

Psal. 20.

Die 8. IN APPARITIONE Sancti Michaelis Archangeli.

MIssa dicatur sicut in alio Festo eiusdem 29. Septemb. & dicitur. Credo. & ad finẽ Introitus, Offertorij, & Communionis additur Alleluia. Et Alleluia post Epistolam cum Versibus hoc modo dicatur. Alleluia. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Domine Deus meus. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Tempore Ascensionis. Secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

Psal. 137. Matt. 28. Eph. 4.

Die 9. SANCTI GREGORII Nazianzeni Episcopi & Confessoris. Officium.

STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Misericordias Domini in æternũ cantabo. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Eccl. 45. Psal. 88.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Gregorium ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

IVstus cor suum tradet ad vigilãdum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur: aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipse tamquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione cõfitebitur Domino. Et ipse diriget consilium eius, & disciplinam: & in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in Lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationẽ. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit Ecclesia. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Tempore Ascensionis. Secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Post Trinitatem. ℟. Os iusti medita-

Eccl. 39. Psal. 88. Matt. 28. Eph. 4. Psal. 36.

ditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Posui adiutorium. *vt supra*.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mũdi. Non potest ciuitas abscondi supra montẽ posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: nõ veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorũ: qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo.

Psal. 88. Offertor. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius, alleluia.

Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus munera tuæ maiestati oblata, per intercessionem beati Gregorij confessoris tui atque Pontificis, ad perpetuam fac nobis prouenire salutem. Per.

Luc. 12. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram, alleluia, alleluia.

Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beati Gregorij confessoris tui atque Pontificis nos vbique oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

SANCTORVM Gordiani & Epimachi Mar. Officiũ. Die 10.



Psal. 144. Ancti tui Domine benedicent te: gloriam regni tui dicent, alleluia, alleluia. ℣. Exaltabo te Deus meus Rex: & benedicam nomini tuo in sæculũ, & in sæculum sæculi. Gloria Patri.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beatorũ martyrum tuorum Gordiani & Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

IN diebus illis: Post hæc ego Ioãnes audiui quasi vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia: Laus, & gloria, & virtus Deo nostro est: quia vera, & iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. Et iterum dixerũt: Alleluia. Et fumus eius ascendit in sæcula sæculorũ. Et ceciderũt seniores Apoc. 19.

res

tes viginti quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amé: Alleluia. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius: & qui timetis eũ pusilli, & magni. Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinũ enim iustificationes sunt Sãctorum. Et dixit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sũt. Alleluia. ℣. Sancti, & iusti in Domino gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Io. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimũ afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Offertoriũ. Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, alleluia. Psal. 67.

Secreta.

HOstias tibi Domine beatorum martyrum tuorum Gordiani & Epimachi dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per. Communio. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, alleluia. Sap. 3. Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedentibus sanctis martyribus tuis Gordiano & Epimacho, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum.

SANCTI STANISLAI Episcopi & Martyris. Officium. Die 11.

LAetabitur iustus in Domino, & sperabo in eo: & laudabuntur omnes recti corde, Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Psal. 63. Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, pro cuius honore gloriosus Põtifex Stanislaus gladijs impiorum occubuit: præsta quæsumus, vt omnes, qui eius implorant auxi-

auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5. STabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisũ, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos

Psal. 20. sors illorum est. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eũ. Al-

Psal. 63. leluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde. Tempore Resur-

Mat. 28. rectionis. Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Tempore Ascensionis. Alle-

Eph. 4 luia. ℣. Ascendens Christus in altũ, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Offertorium.

Psal. 8. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuũ tuarum Domine. Tempore Paschali. Alleluia. Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra deuotio: & beati Stanislai martyris tui atque Pontificis nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur. Per Dominum nostrum. Communio.


Matt. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Temp. Pasch. Alleluia.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: beati Stanislai martyris tui atque Pontificis, quæsumus, interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dñm.

SANCTORVM Die 12.

Nerei, Achillei, atque Pancratij Martyrum. Officium.



Psal. 32. ECce oculi Domini super timentes eum, sperantes in misericordia eius, alleluia: vt eripiat à morte animas eorum, quoniam

niam adiutor, & protector noster est, alleluia. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

SEmper nos Domine, sanctorum martyrum tuorum Nerei, & Achillei, atque Pancratij foueat, quæsumus, beata solemnitas: & tuo dignos reddat obsequio. Per Dominũ. Epistola. Stabunt iusti. vt in præcedenti Missa S. Stanislai. 346. Alleluia. ℣. Gaudete iusti in Domino:
Psal. 32. rectos decet collaudatio.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 4. IN illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus veniret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine descende prius quam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes, quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota. Offertorium. Confitebuntur cæli mirabilia
Psal. 88. tua Domine, & veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum, alleluia, alleluia.

Secreta.

SAnctorum martyrum tuorum, quæsumus Domine, Nerei, & Achillei, atque Pancratij tibi grata confessio & munera nostra commendet: & tuam nobis indulgẽtiam semper imploret. Per Dominum nostrũ. Communio. Gaudete iusti in Domino, alleluia: rectos decet collaudatio, alleluia. Psal. 32.

Postcommunio.

QVæsumus Domine, vt beatorum martyrum tuorum Nerei, & Achillei, atque Pancratij deprecationibus, sacramenta sancta quæ sumpsimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum. Per.

IN FESTO S. SERVATII Die 13.

Episcopi & Confessoris.

DIcatur Missa vt in Festo S. Medardi pag. 351. mutato tantũ nomine Medardi, in Seruatij.

IN FESTO S. PVDENTIANAE Die 19.

Virginis.

MIssa dicatur vt in die Sanctæ Scholasticæ, mutato tantum nomine Scholasticæ in Pudentianæ. 10. Februarij. pag. 313. & Tempore Paschali addatur Alleluia. ad finem Introitus, Offertorij, & Cõmunionis.

IN FESTO TRANSLATIONIS Die 24.

Beatissimi Dominici Patris nostri.

OMnia fiant vt in Missa eius, quæ dicitur Tertijs Ferijs infra inter Votiuas posita, 21. & dicatur, Credo.

S. VRBANI PAPAE Die 25.

& Martyris. Officium.

SAcerdotes tui Domine induant iustitiam, & Sancti tui exultent: propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Tempore Resurrectionis. Psal. 131.

nis. Alleluia. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Vrbani martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 1. FRatres: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi consolari eos: qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. Siue autem tribulamur, pro vestra exhortatione & salute: siue consolamur, pro vestra consolatione: siue exhortamur, pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur: vt spes nostra firma sit pro vobis: scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis, In Christo Iesu Domino nostro.

Psal. 20. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Extra Tempus Paschale. Gr. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posuisti Dñe. vt sup.

Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij secundum Matthæum.

Mat. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo talenta acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudiũ domini tui.

Psal. 88. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Tempore Resurrectionis: Alleluia.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, emundet nostra delicta: & sacri-

sacrificium celebrandum subditorũ tibi corpora, mentesq. sanctificet: Per Dominum. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensurã. Tẽpore Resurrect. Alleluia, alleluia.

Luc. 12.

Postcommunio.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Vrbano martyre tuo atque Pontifice sentiamus effectum. Per Dominum.

Die 31. S. PETRONILLAE Virginis. Officium.

Gaudeamus omnes in Domino, diẽ festum celebrãtes sub honore beatæ Petronillæ virginis: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filiũ Dei. Tempore Resurrectionis. Alleluia, alleluia. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Oratio.

Psal. 44.

Exaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Petronillæ virginis tuæ festiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1 Cor. 7. Fratres: De virginibus præceptũ Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniã bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico frãtres: Tempus breue est: reliquum est vt & qui habent vxores, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mũdo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu, In Christo Iesu Domino nostro. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam. Extra Tempus Paschale. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Veni electa. vt supra.

Psal. 44.

Psal. 44.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, Cap. 13.

habet, & emit agrum illum. Iterum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: quam, cum impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis ſcriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua &
Pſal. 44. vetera. Offertorium. Filiæ regum in honore tuo: aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Tempore Reſurrectionis. Alleluia.

Secreta.

Accepta tibi ſit, Domine, ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium. Per Dominum.

Pſal. 44. Communio. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis propterea benedixit te Deus in æternum. Tempore Reſurrectionis. Alleluia.

Poſtcommunio.

Satiaſti Domine familiam tuam muneribus ſacris: eius quæſumus interuentione nos refoue, cuius ſolemnia celebramus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit.

FESTA IVNII.

SS. Marcellini & Petri Martyrum. Die 2.

Officium.



Clamauerũt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Tempore Reſurrectionis. Alleluia. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. Gloria Patri. (Pſal. 33.)

Oratio.

Deus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum Marcellini & Petri ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, prouocemur exemplis. Per Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos.

Fratres: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futurã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Tempore Paſchali. Alleluia. ℣. Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, & regnabunt in æternum. Extra Tempus Paſchale. ℟. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis: mirabilis in maie- (Ro. 8.) (Sap. 3.) (Exod. 15.)

maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Fulgebunt iusti, & tamquam. vt supra.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 21. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq. de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia, inijcient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimoniũ. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodũ respondeatis: ego enim dabo vobis os, & sapiẽtiam, cui non poterunt resistere, & cõtradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Offertorium. Psal. 97. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, quam sanctorum Martyrũ tuorum natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ prauitatis absoluat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum. Cõio. Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Tempore Resurrectionis. Alleluia, alleluia.

Postcommunio.

SAcro munere satiati, supplices te Domine deprecamur: vt quod debitæ seruitutis celebramus officio, saluationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum.

S. MEDARDI EPISCOPI & Confessoris. Officium. Die 8.



STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. Eccl. 45. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Psal. 88. Gloria Patri. Oratio.

EXaudi Domine preces nostras, quas in beati Medardi confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absoluas peccatis. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Eccl. 44. & 45. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam: benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius.

eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam corã oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi Sacerdotium magnum: & beatificauit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorẽ suauitatis. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Extra Tempus Paschale. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posui adiutorium. vt supra.

Psal. 88.

Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 24.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Offertoriũ. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 88.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo Domine, nostra deuotio: vt eius nobis fiat supplicatione salutaris, pro cuius solemnitate defertur. Per Dominum. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 88.

Postcommunio.

DA quæsumus Domine, fidelibus tuis Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum.

SANCTORVM Primi & Feliciani Martyrum.

Die 9.

Officium.

SApientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorũ nunciet Ecclesia: nomina autem eorum viuent in sæculum sæculi. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri.

Eccl. 44.

Psal. 32.

Oratio.

FAc nos quæsumus Domine, sanctorum martyrum tuorum Primi & Feliciani semper festa sectari, & eorum suffragijs protectionis tuæ dona sentire. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5

IVsti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum: & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget

teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Mirabilis Deus noster in Sanctis suis. Extra Tempus Paschale. ℟. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Cantate Domino canticum nouum: laus eius in Ecclesia Sanctorum. Alleluia. ℣. Mirabilis Deus. vt supra. Euangelium. Confiteor tibi Pater. vt in Festo S. Matthiæ. 24. Februarij, pagina. 317. Offertorium. Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 67.
Psal. 149.
Psal. 31.

Secreta.

Fiat tibi quæsumus Domine, hostia sacranda placabilis pretiosi celebritate martyrij: quæ & peccata nostra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Communio. Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Ioan. 15.

Postcommunio.

Quæsumus omnipotens Deus: vt sanctorum martyrum tuorum Primi & Feliciani cælestibus mysterijs celebrata solemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate.

S. BARNABAE APOSTOLI. Die 11.

Officium.



Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Psal. 138.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus, vt beatus Barnabas Apostolus tuum pro nobis imploret auxilium: vt à nostris reatibus absoluti, à cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

In diebus illis: Multus numerus credentium Antiochiæ conuersus est ad Dominum. Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis: & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis manere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa turba Dño. Profectus est autem Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt turbam multã, ita vt cognominarentur primũ Antiochiæ discipuli, Christiani. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius

Cap. 11.

Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulũ & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. ℟. In omnem terram
Psal. 18. exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Alleluia.
Psal. 138. ℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Ante Pentecosten, Primum Alleluia. ℣. Nimis honorati
Psal. 46. sunt. Secundum Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quo modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus, propter nomẽ meum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Credo.

Offertorium. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 18.

Secreta.

SAcrandum tibi Domine munus offerimus: quo beati Barnabæ Apostoli tui solemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploremus. Per Dominum.

Præfatio. Te Domine suppliciter.

Communio. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Matt. 19.

Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis suppliciter exoramus: vt intercedente beato Barnaba Apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum.

SANCTORVM Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij. Die 12.

Officium.



INtret in conspectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri & Filio. Psal. 78.

Oratio.

SAnctorum martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Na-

Nazarij, quæsumus Domine, natalitia nobis votiua resplendeant: & quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ deuotionis accrescat. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 10. FRatres: Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionẽ. Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide viuit.

Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Te Martyrum candidatus laudat exercitus Domine. Extra tempus Paschale. ℟. Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Psal. 78. ℣. Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Alleluia. ℣. Te Martyrum candidatus. vt supra.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. IN illo tempore: Sedente Iesu super montem Olineti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quãdo hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis: consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erũt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Offertorium. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: & exaltationes Dei in faucibus eorum. Psal. 149.

Secreta.

PRo sanctorum martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarij sanguine venerando hostias tibi Domine solemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quem talis est perfecta victoria. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat. Communio. Posuerunt mortalia seruorum tuorum Domine escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. Psal. 78.

Postcommunio.

SEmper, Domine, sanctorum martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarij solemnia celebrantes, præsta quæsumus: vt eorum patrocinia iugiter sentiamus. Per Dominum nostrum.

Post hunc Diem duodecimum Iunij non celebratur de aliquo Sancto more Temporis Paschalis.

Die 13. SANCTI ANTONII Patauini Confessoris. Officium.

Psal. 13.



OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignátibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

ECclesiam tuam Deus, beati Antonij confessoris tui solemnitas votiua lætificet: vt spiritualibus semper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis. Per Dominũ.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 31. BEatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino: & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. ℟. Psal. 20. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Ose. 14. & Psal. 91.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 12. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniã si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Offertorium.

Psal. 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.


Secreta.

PRæsens oblatio fiat Domine populo tuo salutaris: pro quo dignatus es Patri tuo te viuentem hostiam immolare. Qui viuis. Communio. Matt. 19. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Postcommunio.

DIuinis Domine muneribus satiati, quæsumus, vt beati Antonij

tonij confessoris tui meritis gloriosis, salutaris victimæ desideratum sentiamus effectum. Per Dominum.

Die 14. S. BASILII EPISCOPI & Confessoris. Officium.



Ecclẽ. 45. STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternũ.

Psal. 88. ℣. Misericordias Domini in æternũ cantabo. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Basilium ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4. CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iã delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Ecce Sacerdos magnus, qui diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi, qui cõseruaret legẽ Excelsi. Alleluia. ℣. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ: Tu es Sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech. Eccl. 44. Psal. 109.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animã suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucẽ suam, & venit post me, nõ potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne, postquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiãt illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regẽ, non sedens prius cogitat, si possit cũ decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal. Si autem sal quoque euanuerit, in quo condietur? Neq. in terrã, neq. in sterquiliniũ vtile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat. Credo. Offertor. Inueni Dauid Cap. 14. Psal. 88.

seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Secreta.


SAncti Basilij confessoris tui atq. Pontificis, quæsumus Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: vt per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

Luc. 12. Communio. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis: Super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

DEus, fidelium remunerator animarum, præsta: vt beati Basilij confessoris tui atque Pontificis, cuius venerandam celebramus festiuitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum nostrum.

Die 15. SANCTORVM Viti, & Modesti, atque Crescentiæ Martyrum. Officium.



Eccl. 44. SApientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia: nomina autem eorum viuent in sæculum sæculi.

Psal. 32. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri.

Oratio.

DA Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, sanctis martyribus tuis Vito, Modesto, atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere: vt praua despiciens, quæcumque recta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Rom. 5. FRatres: Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. ℟. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. Psal. 149. ℣. Cantate Domino canticum nouum: laus eius in Ecclesia Sanctorum. Alleluia. ℣. Mirabilis Deus noster in Sanctis suis. Psal. 67.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit. Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicẽtes: Domine, etiam dæmonia in nomine tuo subijciuntur nobis. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem: ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus subijciuntur vobis: gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Offertorium.

Psal. 31. Lætamini in Domino, & exultate iusti:

iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Secreta.

SIcut gloriam diuinæ potentiæ munera pro sanctis Martyribus oblata testantur: sic nobis effectum, Domine, tuæ saluationis impendāt. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Communio. Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. *Ioan. 15.*

Postcommunio.

REfecti, Domine, benedictione solemni, quæsumus: vt per intercessionem sanctorum martyrum tuorum Viti, Modesti, & Crescentiæ, medicina sacramenti & corporibus nostris prosit, & mentibus. Per Dominum nostrum.

Die 16. SANCTI MARTIALIS Episcopi & Confessoris. Officium.



Eccl. 45. STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. Gloria Patri & Filio. *Psal. 88.*

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui beatum Martialem confessorem tuum atque Pontificem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti: quæsumus, vt eius suffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Die 16. EODEM DIE SANCTORVM Quirici & Iulittæ Martyrum.

Oratio.

DEus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Quirici & Iulittæ natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. & 45. ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam: benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam coram oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi Sacerdotium magnum: & beatificauit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eū: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. *Psal. 88.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos

estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quẽ constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Psal. 88. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

ACcepta tibi sit Domine sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

De SS. Quirico & Iulitta.

Secreta.

MVnera tibi, Domine, nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per Dominum.

Psal. 88. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

Postcommunio.

DA quæsumus Domine fidelibus tuis, Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum.

De SS. Quirico & Iulitta.


Postcommunio.

PRæsta nobis, Domine quæsumus, intercedentibus sanctis Martyribus tuis Quirico & Iulitta, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

SANCTORVM Die 18.

Marci & Marcelliani Martyrum.

Officium.



SAlus autem iustorum à Domino: & protector eorum est in tempore tribulationis. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neq. zelaueris facientes iniquitatem. Psal. 36.

Gloria Patri.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui sanctorum martyrum tuorum Marci & Marcelliani natalitia colimus: à cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

IVstorũ animæ in manu Dẽi sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. ℟. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. ℣. Laqueus contritus est, & nos liberati Sap. 3. Psal. 123.

berati

berati sumus: adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum
Psal. 31. & terram. Alleluia. ℣. Sancti, & iusti in Domino gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniã ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittã ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur. Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi, à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare, & ædẽ. Ita dico vobis, requiretur ab hac
Psal. 149. generatione. Offertorium. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in faucibus eorum. Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Marco & Marcelliano, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum
Matt. 19. Iesum Christũ. Communio. Amen dico vobis, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab initio sæculi.

Postcommunio.

SAlutaris tui Domine munere satiati, supplices exoramus: vt cuius lætamur gustu, intercedentibus sanctis martyribus tuis Marco & Marcelliano, renouemur effectu. Per Dominum nostrum.

SANCTORVM Geruasij & Prothasij Martyrum. Die 19.

Officium.



Psal. 84. LOquetur Dominus pacem in plebem suam, & super Sanctos suos: & in eos qui cõuertuntur ad ipsum. ℣. Benedixisti Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Geruasij & Prothasij solemnitate lætificas: concede propitius: vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

CHarissimi: Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus quidem vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Itaque & hi, qui patiuntur 1. Petri. 4.

tiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas
1.Pet. 4. suas in benefactis. ℟. Iustorum animæ in manu Dei sunt: & non tanget illos tormentum malitiæ. ℣. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem
Psal. 67. sunt in pace. Alleluia. ℣. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 6. IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo.


Psal. 123. Offertorium. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Geruasio & Prothasio, per eadem nos placatus intende. Per Dominum. Communio,

Psal. 78. Posuerunt mortalia seruorum tuorum, Domine, escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui possidc filios morte punitorum. Postcommunio.

SAlutaris tui Domine munere satiati, supplices exoramus: vt cuius lætamur gustu, intercedentibus sanctis martyribus tuis Geruasio & Prothasio, renouemur effectu. Per Dominum nostrum.

DECEM MILLIVM Martyrum. Officium. Die 22.



Psal. 36. SAlus autem iustorũ à Domino: & protector eorum est in tempore tribulationis. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui ad imitandum passionis tuæ exemplum, decem millia Martyrum crucis patibulum subire fecisti: concede propitius, vt qui passionem eorum veneramur in terris, passionis tuæ remedia consequi mereamur in cælis. Qui viuis.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 11 FRatres: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam: adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alij

alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, angustiati, afflicti: quibus dignus nõ erat mundus: in solitudinibus errantes in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati inuẽti sunt, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Sancti, & iusti in Domino gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

Exo. 15.

Psal. 32.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 21.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca: & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Offertorium. Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Psal. 67.

Secreta.

BEnedictio tua Domine larga descendat: quæ & munera nostra deprecantibus sanctis Martyribus tuis tibi reddat accepta, & nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum. Communio. Posuerunt mortalia seruorum tuorum Domine escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. Psal. 78.

Postcommunio.

CAelestibus refecti sacramentis, & gaudijs, supplices te Domine deprecamur: vt quorum gloriamur triumphis, protegamur auxilijs. Per Dominum nostrum.

IN VIGILIA SANCTI Ioannis Baptistæ. Officium. Die 23.



NE timeas Zacharia, exaudita est oratio tua: & Elisabeth vxor tua pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannem: & erit magnus coram Domino: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multi in natiuitate eius gaudebunt. ℣. Apparuit autem Angelus

gelus Domini Zachariæ, ſtans à dextris altaris incenſi. Gloria Patri.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt familia tua per viam ſalutis incedat: & beati Ioannis Præcurſoris hortamenta ſectando, ad eũ quem prædixit, ſecura perueniat, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Iere. 1. IN diebus illis: Factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Et dixi: A a a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa quæ mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum: quia ego tecum ſum vt eruam te, dicit Dominus. Et miſit Dominus manum ſuã, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper Gẽtes, & ſuper regna vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes, Dicit Dominus omnipotens.

Ioan. 1. ℟. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. ℣. Hic venit vt teſtimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam.

Initium Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 1. FVit in diebus Herodis regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth. Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela: & non erat illis filius eo quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem, cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotij, ſorte exijt vt incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit tibi gaudium, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: & vinum, & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ: & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.

Offertorium. Gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum Domine. Psal. 8.

Secreta.

MVnera Domine oblata ſanctifica: & intercedente beato Ioanne Baptiſta, nos per hæc à peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Communio. Magna eſt gloria eius Psal. 20.


in ſa-

in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum Domine. Postcommunio.

BEati Ioannis Baptistæ nos Domine præclara comitetur oratio: & quem venturum esse prædixit, poscat nobis fore placatum, Dominum nostrum Iesum Christum.

Die 24. IN DIE S. IOANNIS Baptistæ. Officium.

Isaia 49.



E ventre matris meæ vocauit me Dominus nomine meo: & posuit os meum vt gladiũ acutum: sub tegumento manus suæ protexit me, & posuit me quasi sagittam electam. ℣. Audite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis Natiuitate fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum: & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 49. AVdite insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me quasi sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. Et dixit mihi: Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi: Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt Dñm Deum tuum, & sanctum Israel, qui elegit te.

℟. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vẽtre, sanctificaui te. ℣. Misit Dñs manũ suam, & tetigit os meũ. Alleluia. Ierem. 1.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Sequentia. Præcursorem. ad finem Missalis. 67. Matt. 11.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

ELisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini, & cognati eius quia magnificauit Dominus misericordiã suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioãnes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autẽ patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorũ: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: & prophetauit, dicens: Benedictus Dñs Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionẽ plebis suæ. Nõ dicatur Credo. Luc. 1.

nisi fuerit Dominica, aut infra Octa-uas Corporis Christi, aut in propria Ecclesia S. Ioannis Baptistæ. Offertorium. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur. *Psal. 91.*

Secreta.

TVa Domine muneribus altaria cumulamus: illius Natiuitatē honore debito celebrantes: qui Saluatorem mundi & cecinit affuturum. & adesse monstrauit, Dominum nostrum Iesum Christum. Communio. Tu puer propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. *Luc. 1.*

Postcommunio.

SVmat Ecclesia tua Deus, de beati Ioannis Baptistæ generatione lætitiam: per quem suæ regenerationis cognouit auctorem, Dominum nostrum Iesum Christum.

Infra Octauas B. Ioannis, quandò de ipsis agitur, omnia fiant sicut in Die, excepta Sequentia.

Die 26. SANCTORVM MARTYRVM Ioannis & Pauli. Officium.

MVltæ tribulationes iustorum: & de his omnibus liberauit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: vnum ex his non conteretur. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. *Psal. 33.*

Oratio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt nos geminata lætitia hodiernæ festiuitatis excipiat, quæ de beatorum martyrum Ioannis & Pauli glorificatione procedit: quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Libri Sapientiæ.

HI sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt. Cum semine eorum permanent bona: hereditas sancta nepotes eorum. Et in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter eos in æternum manent. Generatio eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum viuent in sæcula. Sapientiam eorum narrent omnes populi, & laudem eorum pronunciet omnis Ecclesia sanctorum. *Eccl. 44.*

℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. ℣. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluia. ℣. Isti sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent potestatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius: quia linguæ eorum claues cæli factæ sunt. *Psal. 132.* *Apo. 11.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab ijs, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occide- *Luc. 12.*

ciderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei. Offertorium. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu Domine benedices iusto: Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Psal. 5.

Secreta.

HOstias tibi, Domine, sanctorũ martyrum tuorum Ioannis & Pauli dicatas meritis benignus assume: & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per Dominum nostrum. Communio. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentauit eos: tamquam aurum in fornace probauit eos: & quasi holocausta accepit eos. Sap. 3. Postcommunio.

SVmpsimus Domine, sanctorum martyrum tuorum Ioannis & Pauli solemnia celebrantes, sacramenta cælestia: præsta quæsumus: vt quod temporaliter gerimus, æternis gaudijs consequamur. Per Dominũ.

IN VIGILIA SANCTORVM Apostolorum Petri & Pauli. Die 28.

Officium.



Icit Dominus Petro: Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cũ autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Gloria Patri. Ioan. 21. Psal. 18. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt nullis nos permittas perturbationibus concuti: quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE SANCTI Leonis Papæ. Oratio.

DEus, qui beatum Leonem Pontificem tuum Sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius, vt qui commemorationis eius festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Act. 3. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur, quem ponebãt quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intra-

intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quoniam ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & repleti sunt omnes stupore, & extasi in
Psal. 18. eo, quod contigerat illi. ℟. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 21. IN illo tempore: Dixit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Amen, amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu nō vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Psal. 138. Offertorium. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Secreta.

MVnus populi tui, quæsumus Domine, Apostolica intercessione sanctifica, nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum.

De Sancto Leone. Secreta.

ANnue nobis, quæsumus Domine: vt intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum. Communio. Simon Ioannis Ioan. 21.
diligis me plus his? Domine, tu omnia nosti: tu scis Domine, quia amo te.

Postcommunio.

QVos cælesti Domine alimento satiasti: Apostolicis intercessionibus ab omni aduersitate custodi. Per Dominum.

De S. Leone. Postcommunio.

DEus, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius: vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, eius apud te precibus subleuemur. Per Dominum nostrum.

IN DIE APOSTOLORVM Die 29.
Petri & Pauli. Officium.

NVNC scio vere, quia misit Dominus Angelum suum: & eripuit me Act. 12.
de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. ℣. Domine probasti Psal. 138.
me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ, eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 12. IN diebus illis: Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militũ custodiendum, volens post Pascha producere eũ populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autẽ fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiẽs sequebatur eum, & nesciebat quia verũ est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum vnum: & continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. ℟. Constitues

Psal. 44. eos Principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluia. ℣. Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. Sequentia. Iubar. ad finem Missalis. 67. Matt. 16.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quẽ dicũt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannẽ Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Credo. Offertorium. Constitues eos Principes super omnem terram: memores erũt nominis tui Domine in omni progenie & generatione. Matt. 16. Psal. 44.

Secreta.

HOstias Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, Apostolica prosequatur oratio: per quam nos expiari tribuas, & defendi. Per.

Præfatio. Te Domine. Communio. Matt. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Postcommunio.

QVos cælesti Domine alimento satiasti: Apostolicis intercessionibus ab omni aduersitate custodi. Per Dominum.

Die 30. IN COMMEMORATIONE S. Pauli. Officium.

2. Tim. 4.



SCio cui credidi, & certus sum, quia potẽs est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. ℣. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui vniuersum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis quæsumus, vt cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

MEMORIA DE S. PETRO.

Oratio.

DEus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni cælestis, ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti: concede, vt intercessionis eius auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per Dominum nostrum.

Deinde Memoria de Sancto Ioanne.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Gal. 1. FRatres: Notum vobis facio Euãgelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiã Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existẽs paternarum mearum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquieui carni & sanguini, neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abij in Arabiam: & iterum reuersus sum Damascum: deinde post annos tres veni Ierosolymã videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autẽ Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. ℟. Qui operatus est Gal. 2. Petro in Apostolatum, operatus est & mihi inter gentes: & cognouerunt gratiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Gratia Dei in me vacua non fuit: sed gratia eius semper in me manet. Alleluia. ℣. Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificandus.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cap. 10. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabũt vos: & ad præsides, & ad reges

reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus. Cum autem tradẽt vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filiũ: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meũ: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Credo. Offertorium. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138.

Secreta.

HOstias Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, Apostolica prosequatur oratio: per quam nos expiari tribuas, & defendi. Per Dominum nostrum.

De Sancto Petro. Secreta.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces & hostias beati Petri Apostoli tui commendet oratio: vt quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Præfatio. Te Domine. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Matt. 19.

Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis, beato Paulo Apostolo tuo interueniente deprecamur: vt quæ pro illius celebrata sũt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

De S. Petro. Postcommunio.

LAetificet nos Domine munus oblatum: vt sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per Dominum.

FESTA IVLII. Die 1.

IN Octaua die S. Ioannis Baptistæ Missa sicut in die. Ad Memoriam de Apostolis, Oratio. Deus, qui hodiernam. Per Octauas Apostolorum Petri & Pauli fiat quotidie Memoria de Apostolis in Missa, & dicatur Oratio, Secreta, & Postcommunio sicut in die.

IN FESTO VISITATIONIS Die 2.

Beatæ Virginis Mariæ.

Officium.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cuius Visitatione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 44.

Oratio.

OMnipotẽs, & misericors Deus, maiestatem tuam suppliciter exoramus: vt sicut Vnigenitũ tuum per visitationem, & salutationem Genitricis eius, puero clauso in vtero reuelasti: ita meritis eiusdem Genitricis, & precibus ipsum nos facias reuelata facie perpetuo contemplari. Qui tecum viuit.

Lectio Libri Sapientiæ.

ECce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum: en ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Cant. 2.

Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transijt, imber abijt, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suũ. Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis,
Psal. 44. & facies tua decora. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiã: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣.
Luc. 1. Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Sequentia. Laudis thema. ad finem Missalis. 68.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 1. In illo tempore: Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata, quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Credo. Offertorium. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster.

Secreta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui de omnibus in te confidẽtibus curam semper habes: præsta quæsumus, vt per oblationem quam tibi offerimus, visitationem spiritualem Beatæ Mariæ Virginis in nostris necessitatibus semper sentiamus. Per Dominum. *Præfatio*. Et te in Visitatione. Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui commemorationem Visitationis Beatissimæ Mariæ matris Dei fieri voluisti: præsta quæsumus, vt per hoc sacrificium, quod sumpsimus, ab eius visitationis gratia nullatenus excidamus. Per eundem.

Infra Octauas Visitationis Beatæ Mariæ, & in Octaua, omnia fiant sicut in Die, excepta Sequentia, & Credo.

SS. MARTYRVM Processi & Martiniani. Die 3. Oratio.

Deus, qui nos sanctorum martyrum tuorum Processi & Martiniani cõfessionibus gloriosis circumdas & protegis: da nobis & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum. Secreta.

Suscipe Domine preces & munera, quæ vt tuo sint digna conspectũ, sanctorum Martyrum tuorũ precibus adiuuemur. Per Dominum.

Post-

Postcommunio.

Corporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster: vt quod pia deuotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per Dominum.

Die 6. IN OCTAVA APOSTOLORVM Petri & Pauli. Officium.

Eccl. 44. Sapientiam Sanctorũ narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia: nomina autem eorum viuent in sæculum sæculi. ℣. Exultate iusti in Domino: Psal. 32. rectos decet collaudatio. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & Coapostolum eius Paulum tertio naufragantẽ de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius, & concede: vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Qui viuis.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt: cum semine eorum permanẽt bona, hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filij eorũ propter eos in æternum manent. Generatio eorum, & gloria eorum non derelinquetur: corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum viuent in sæcula. Sapientiam eorum narrẽt omnes populi, & laudem eorum pronunciet omnis Ecclesia sanctorum. Psal. 18. ℟. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriã Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentũ. Alleluia. ℣. Isti sũt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent potestatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius: quia linguæ eorum claues cæli factæ sunt.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 14. In illo tempore: Iussit Iesus discipulos suos ascendere in nauiculã, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi: nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans supra mare. Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimque locutus est eis Iesus, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo extendens Iesus manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Vere Filius Dei es. Credo. Offertorium. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus Psal. 149.

suis: & exaltationes Dei in faucibus eorum. Secreta.

Offerimus tibi Domine preces, & munera: quæ vt tuo sint digna conspectu, Apostolorum tuorũ precibus adiuuemur. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Communio.


Ioa. 15. Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat. Postcommunio.

Protege Domine populum tuũ: & Apostolorum tuorum Petri & Pauli patrocinio confidentem, perpetua defensione conserua. Per.

Die 10. SANCTORVM

Septem Fratrum Martyrum.

Officium.



Psal. 112. Laudate pueri Dominũ, laudate nomen Domini: qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantẽ. ℣. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vsque in sæculum. Gloria Patri. Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui gloriosos Martyres fortes in sua cõfessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Prou. 31. Mulierem fortẽ quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Reddet ei bonum, & non malũ omnibus diebus vitæ suæ. Quæsiuit lanam & linũ, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditq. prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperẽ. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatã vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumẽtum eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius. ℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. ℣. Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluia. ℣. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Psal. 132. Psal. 112.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 12. In illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, ecce mater eius, & fratres

tres stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est. Offertorium. A nima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantiũ: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Psal. 123.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, quæsumus Domine, intende placatus; & intercedentibus sanctis Martyribus tuis, deuotioni nostræ proficiat, & saluti. Per Dominum. Communio. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est, dicit Dominus.

Matt. 12.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt intercedẽtibus sanctis Martyribus tuis, illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria, pignus accepimus. Per Dñm.

IN FESTO S. PROCOPII Abbatis.

Die 11.

MIssa dicatur sicut in Festo sancti Mauri Abbatis, mutato tantum nomine Mauri in Procopij. pagina. 289.

S. BONAVENTVRAE Episcopi & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ. Officium.

Die 14.

IN medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eũ.

Eccl. 15

℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Bonauenturam ministrum tribuisti: præsta quæsumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secun-

2. Tim. 4.

Psal. 36.

Psal. 109.

dum ordinem Melchisedech.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legẽ, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Psal. 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

SAncti confessoris tui atque Pontificis Bonauẽturæ nobis Domine pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum. Communio. Luc. 12. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

VT nobis Domine tua sacrificia dent salutem, beatus Bonauẽtura confessor tuus & Pontifex, quæsumus, precator accedat. Per Dñm.

S. ALEXII CONFESSORIS. Die 17.

Officium.

Psal. 36. OS iusti meditabitur sapiẽtiã, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui beato Alexio cõfessori tuo tribuisti, vt & noua mundum arte deluderet, & de hoste humani generis mirabiliter triumpharet: concede propitius, vt eius semper muniamur auxilijs, cuius salutiferis erudimur exemplis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

1. Cap. 6. CHarissime: Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorũ est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ò homo Dei, hæc fuge, sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatẽ, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende

vitam

Psal. 36. vitam æternam. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabũtur gressus eius. Alleluia. ℣. Iustus Psal. 91. germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 19. IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Offertorium. Psal. 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Secreta.

QVæsumus omnipotens Deus, vt intercedente beato Alexio confessore tuo, munera nostra suscipias, & nos idoneos fieri ad hæc percipienda concedas. Per.

Matth. 19. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

CAelestibus epulis recreati, quæsumus omnipotens Deus: vt intercedente beato Alexio confessore tuo, salutare mysterium quod te largiente suscepimus, te custodiente seruemus. Per Dominum.

S. MARGARITAE VIRGINIS & Martyris. Officium. Die 20.



LOquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Psal. 118. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, beata Margarita virgo & martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccli. 51. DOmine Deus meus exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata sum. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo: propterea confitebor tibi, & laudem dicam nomini tuo, Domine Deus noster. ℟. Specie tua & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam; & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia. ℣. Aemulor enim vos Dei æmulatione: despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Psal. 44. 2. Cor. 11.

Se-

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Matthæum.

Matt. 13. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnũ cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere pisciũ congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Offertoriũ. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. (Psal. 44.)

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in beatæ Margaritæ virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia sua, & comparauit eam. (Matt. 13.)

Postcommunio.

AVxilietur nobis Domine sumpta mysteria: & intercedente beata Margarita virgine & martyre tua, sempiterna protectione confirment: Per Dominum.

S. PRAXEDIS VIRGINIS. (Die 21.)

Officium.

DIlexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri & Filio. (Psal. 44.)

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Praxedis virginis tuæ festiuitate gaudemus; ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli
Apostoli ad Corinthios.

FRatres: De virginibus præceptũ Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniã bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorẽ. Si autem acceperis vxorẽ, non peccasti. Et si nupserit virgo, nõ peccauit: tribulationẽ tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaq. dico, fratres: Tẽpus breue est: reliquũ est, vt & qui habẽt vxores, tamquã non habentes sint: & qui flent, tamquam nõ flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: (1. Cor. 7.)

dentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquã non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore, & spiritu, In Christo Iesu Domino nostro. ℞. Dilexisti iustitiam: & odisti iniquitatem. ℣. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluia. ℣. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Euangelium. Simile est regnum cælorum thesauro. vt in præcedenti Missa S. Margaritæ. 378. Offertorium. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

Psal. 44.

Psal. 44.

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorũ honore Sanctorum: quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Matt. 25. Communio. Quinque prudẽtes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam Christo Domino.

Postcommunio.

SAtiasti Domine, familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominũ nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit.

S. MARIAE MAGDALENAE. Die 22.

Officium.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Mariæ Magdalenæ: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

LArgire nobis clementissime Pater: quòd sicut beata Maria Magdalena Dominum nostrum Iesum Christum super omnia diligendo, suorum obtinuit veniam peccatorum: ita nobis apud misericordiã tuam sempiternam impetret beatitudinem. Per eundem Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

SVrgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosq. camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere

Cant. 3.

Cap. 8

guere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eã. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia cõcupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Sequentia. Monti Sion. ad finem Missalis. 68.

Psal. 44.

Matt. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 7.

IN illo tempore: Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguẽto vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diliget? Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Videns hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos: propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Credo. Offertorium. Angelus Domini descendit de cælo, & dixit mulieribus: Quem quæritis, surrexit sicut dixit, alleluia.

Matt. 28.

Secreta.

HAnc nostræ oblationis hostiã, terribilis, & pijssime Deus, beata Maria Magdalena suarũ precum cumulet incrementis: & ad remedium nobis prouenire deposcat. Per Dominum. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Psal. 44.

Postcommunio.

SAnctificet nos, quæsumus Domine, & muniat, intercedente beata Maria Magdalena, diuini muneris sacra libatio, & cælestium virtutum coheredes efficiat. Per Dominum nostrum.

Infra Octauas, & in Octaua beatæ Mariæ Magdalenæ, quando de ipsa agitur,

agitur, omnia fiant vt supra, excepta Sequentia, & Credo. Quando per anni circulum celebratur de beata Magdalena ex voto, vel deuotione.

Officium.

Psal. 44. Dilexisti iustitiã, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Reliqua dicuntur vt supra, excepta Sequentia, & Credo.

Die 23. S. APOLLINARIS EPISCOPI & Martyris. Oratio.

DEus, qui nos beati Apollinaris martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius: vt cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum. Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Apollinare martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Postcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & intercedente beato Apollinare martyre tuo atque Pontifice, cælestis remedij faciat esse consortes. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Die 24. S. CHRISTINAE VIRGINIS & Martyris. Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, beata Christina virgo & martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum. Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in beatæ Christinæ virginis & martyris tuæ solemnitate deferimus: cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Postcommunio.

AVxilientur nobis Domine sumpta mysteria: & intercedente beata Christina virgine & martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum.

S. IACOBI APOSTOLI. Die 25.

Officium.

Psal. 138. MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meã. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

ESto Domine plebi tuæ sanctificator & custos: vt Apostoli tui Iacobi munita præsidijs, & conuersatione tibi placeat, & secura mente deseruiat. Per Dominum.

EODEM DIE SS. Martyrum Christophori, & Cucuphatis. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui gloriosos martyres tuos Christophorum, & Cucuphatem fortes in sua confessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dñm.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cap. 4. FRatres: Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tam-

tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque in hanc horā & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamēta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. ℟. Cō-
Psal. 44. stitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi con-
Ioan. 15. fitebuntur tibi. Alleluia. ℣. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 20. IN illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cū filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo. Credo. Offertorium. Mihi autem nimis honori- Psal. 138.
ficati sunt amici tui Deus: nimis cōfortatus est principatus eorum.

Secreta.

OBlationes populi tui, quæsumus Domine, beati Apostoli tui Iacobi passio beata conciliet: vt quæ nostris non apta sunt meritis, fiant tibi placita eius deprecatione. Per Dominum.

De SS. Christophoro & Cucuphate.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, Domine quæsumus, intende placatus: & intercedentibus sanctis Martyribus tuis, deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Communio. Vos qui se- Matt. 19.
cuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.

Postcommunio.

BEati Apostoli tui Iacobi, quæsumus Domine, intercessione nos adiuua: pro cuius solemnitate percepimus tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum.

De SS. Christophoro & Cucuphate.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus, vt intercedētibus sanctis martyribus tuis Christophoro & Cucuphate, illius salutaris capiamus effectum, cuius per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate.

IN

Die 26.
IN FESTO S. ANNAE Matris Beatiss. Virginis Mariæ.

Officium.



Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Annæ: de cuius solemnitate gaudẽt Angeli, & collaudant Filium Dei.
Psal. 44. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DEus, qui beatam Annam Genitricis tuæ matrem ad cælestis vitæ gaudia extulisti: fac nos quæsumus, gloriosis eius meritis ad æternam pertingere beatitudinem, ex cuius salutari puerperio pro salute mundi humanam naturam assumere dignatus es. Qui viuis.

Lectio Libri Sapientiæ.

Prou. 31. MVlierem fortẽ quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ. Quæsiuit lanã & linum, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditq. prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarũ plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Manũ suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suã aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Psal. 44. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matt. 13.

ritas.

ritas: inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnũ cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere pisciũ congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Offertorium. Filiæ regum in honore tuo: astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. *Psal. 44.*

Secreta.

ACcipe Domine munera dignãter oblata: & beatæ Annæ suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede. Per Dominum. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. *Psal. 44.*

Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beatæ Annæ matris Beatissimæ Virginis Mariæ nos vbique oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

S. MARTHAE VIRGINIS. *Die 27.*

Officium.



GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Marthæ virginis: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filiũ Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. *Psal. 44.*

Oratio.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt sicut de beatæ Marthæ virginis tuæ festiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commẽdat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam. *2. Cor. 10. & 11.* *Psal. 44.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam *Luc. 10.*

solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnũ est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.
Psal. 44. Offertorium. Filiæ regum in honore tuo: astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Secreta.

ACcepta tibi sit Domine sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Psal. 44.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominũ.

Die 28. SANCTORVM Nazarij, Celsi, & Pantaleonis Martyrum. Oratio.



DEus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Nazarij, Celsi, & Pantaleonis natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Secreta.

MVnera tibi Domine nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per Dominum.

Postcommunio.

PRæsta nobis, Domine quæsumus, intercedẽtibus sanctis martyribus tuis Nazario, Celso, & Pantaleone, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

Die 29. SANCTORVM Martyrum Felicis, Simplicij, Faustini, & Beatricis. Oratio.



PRæsta quæsumus Domine, vt sicut populus Christianus martyrum tuorum Felicis, Simplicij, Faustini, & Beatricis temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna: & quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

Secreta.

HOstias tibi Domine, pro sanctorum martyrum tuorum Felicis, Simplicij, Faustini, & Beatricis commemoratione deferimus, suppliciter deprecantes, vt indulgentiam nobis pariter conferant, & salutem. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt sanctorum martyrum tuorum Felicis, Simplicij, Faustini, & Beatricis cælestibus mysterijs celebrata solemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per Dominum nostrum.

Die 30. SANCTORVM Martyrum Abdon & Sennen. Officium.



INtret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Psal. 78.

Oratio.

DEus, qui sanctis tuis Abdon & Sennen, ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti: da famulis tuis suorum veniã peccatorum: vt Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur aduersitatibus liberari. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 6. FRatres: Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus: in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egẽtes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia

Exod 15. possidentes. ℟. Gloriosus Deus in sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute tua: dextera manus tua confregit inimicos. Alleluia. ℣. Te martyrũ candidatus laudat exercitus Domine.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugẽt: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiã consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniã ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Offertorium. Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Psal. 167.

Secreta.

HAec hostia, quæsumus Domine, quam sanctorum Martyrũ tuorum natalitia recensentes offerimus, & vincula nostræ prauitatis absoluat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum. Cōīo.

Posuerunt mortalia seruorum tuorũ Psal. 78.
Domine escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum.

Postcommunio.

PEr huius Domine operationem mysterij & vitia nostra purgentur: & intercedentibus sanctis martyribus tuis Abdon & Sennen, iusta desideria compleantur. Per Dñm.

S. GER-

S. GERMANI EPISCOPI, & Confessoris.

MIssa dicatur vt in Festo S. Medardi Episcopi & confessoris. pagina 351. mutato tantum nomine Medardi in Germani.

FESTA AVGVSTI.

Die 1. Ad Vincula S. Petri. Officium.

Act. 12. 
Vnc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meã, & resurrectionem meã. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DEus, qui beatum Petrum Apostolum, à vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: nostrorum, quæsumus, absolue vincula peccatorum: & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per Dominum.

EODEM DIE SS. Machabæorum Martyrum.

Oratio.

FRaterna nos Domine Martyrũ tuorum corona lætificet: quæ & fidei nostræ præbeat incrementa virtutum: & multiplici nos suffragio consoletur. Per. Lectio Epistolæ. Misit Herodes rex manus. vt in Festo Apostolorum Petri & Pauli. pag. Psal. 44. 369. ℟. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. ℣. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: propterea populi confitebuntur tibi. Alleluia. ℣. Solue iubente Deo terrarum Petre catenas: Qui facis, vt pateãt cælestia regna beatis. Euangel. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. vt in Festo Apostolorum Petri & Pauli. pag. 369. Credo. Offertorium. Cõstitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine, in omni progenie, & generatione. Secreta. Psal. 44.

OBlatum tibi Domine sacrificium, intercedente beato Petro Apostolo tuo, viuificet nos semper, & muniat. Per Dominum.

De Sanctis Machabæis. Secreta.

VOtiua nos Domine mysteria pro sanctorum Martyrum tuorum constantia, deuota mente tractanda sanctificent, quibus præsidiũ nobis crescat, & gaudium. Per. Præfatio. Te Domine. Communio. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matt. 16.

Postcommunio.

COrporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster: vt quod pia deuotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per Dominum.

De Sanctis Machabæis.

Postcommunio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: vt quorum memoriam sacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo sectemur. Per Dominum.

SANCTI STEPHANI PAPAE & Martyris. Officium. Die 2.

SAcerdotes eius induãtur salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. ℣. Memẽto Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri. Oratio. Psal. 131.

DEus, qui nos beati Stephani martyris tui atque Pontificis

annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

Cap. 20. IN diebus illis: A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocauit Maiores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice, & per domos, testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum

Psal. 36. Iesum Christum. ℟. O s iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. L ex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. A lleluia. ℣. A ma-

Eccl. 15. uit eum Dominus, & ornauit eum: stolam gloriæ induit eum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

Offertorium. I nueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Psal. 88.

Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedēte beato Stephano martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum. Communio. D omine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Matt. 25.

Postcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & intercedente beato Stephano martyre tuo atque Pontifice, cælestis remedij faciat esse consortes. Per Dominum.

In Inuentione S. Stephani Protomartyris, omnia dicuntur vt in eius Festo. pag. 281. præter hanc primā Orationem, & non dicitur Credo. Die 3.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus, vt discamus & inimicos diligere: quia eius corporis inuentionem celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.



M. P.   Bb 3



IN FESTO BEATISSIMI DOMINICI PATRIS NOSTRI.

OFFICIVM.

Eccl. 15.



N medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eũ Dominus spiritu sapiẽtiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eũ. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Dominici Cõfessoris tui Patris nostri illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede, vt eius intercessione temporalibus non destituatur auxilijs, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4

CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patiẽtia, & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministeriũ tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Pie Pater Dominice, tuorũ memor operum: sta coram summo Iudice pro tuo cœtu pauperum. Psal. 36.

Sequentia.

IN cælesti Hierarchia noua sonet harmonia, nouo ducta cantico.
Cui cõcordet in hac via, nostri chori melodia congaudens Dominico.
Ex Aegypto vastitatis, virum suæ voluntatis vocat Auctor sæculi.
In fiscella paupertatis, flumen transit vanitatis pro salute populi.

In figura catuli, Prædicator sæculi matri præmonstratur.
Portans ore faculam, ad amoris regulam populos hortatur.
Hic est nouus legislator, hic Elias æmulator, & detestans crimina.
Vulpes dissipat Samsonis, & in tuba Gedeonis, hostis fugat agmina.
A defunctis reuocatum matri viuum reddit natum, viuens adhuc corpore.
Signo crucis imber cedit, turba Fratrũ panem edit missum Dei munere.
Felix per quem gaudia, tota iam Ecclesia sumens exaltatur.
Orbem replet semine, in cælorum agmine tandem collocatur.
Iacet granum occultatum, sidus latet obumbratum, sed Plasmator omnium.
Ossa Ioseph pullulare, sidus iubet radiare in salutem Gentium.
O quàm probat carnis florem, omnẽ superans odorem tumuli fragrantia!
Aegri currunt, & curãtur, cæci, claudi reparantur virtutum frequentia.
Laudes ergo Dominico personemus mirifico, voce plena.
Clama petens suffragia, eius sequẽs vestigia, plebs egena.
Sed tu Pater pie, bone pastor gregis, & patrone, prece semper sedula.
Apud curam summi Regis, derelicti vices gregis commenda per sæcula. Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mũdi. Non potest ciuitas abscondi supra montẽ posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: nõ veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorũ: qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & meritis Beati Dominici Confessoris tui, Patris nostri, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensurã. Luc. 12.

Postcommunio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, Beati Dominici Confessoris tui, Patris nostri patrocinio subleuemur. Per.

Per Octauas, & in Octaua Beati Dominici fiant omnia sicut in Die, excepta Sequentia, & Credo.

Die 6. IN TRANSFIGVRATIONE Domini. Officium.

Psal. 67. Iderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto. ℣. Illuxerũt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui fidei sacramenta in Vnigeniti tui gloriosa Transfiguratione Patrũ testimonio roborasti: & adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter præsignasti: concede propitius, vt ipsius Regis gloriæ nos coheredes efficias, & eiusdem gloriæ tribuas esse consortes. Per eundem Dominum. Memoria de Octaua.

EODEM DIE SS. Xysti, Felicissimi, & Agapiti Martyrum. Oratio.

DEus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Xysti, Felicissimi, & Agapiti natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorũ societate gaudere. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Petri Apostoli.

2. Pet. 1. CHarissimi: Non doctas fabulas secuti notã fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocẽ nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. ℣. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem salutare eius. ℣. Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius. Alleluia. ℣. Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula: & imago bonitatis illius. Psal. 95. Sap. 7

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 17. IN illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos: & resplẽduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnũ. Adhuc eo loquẽte, ecce nubes lucida obũbrauit eos: & ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de mõte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mor-

Psal. 111. à mortuis resurgat. Credo. Offertorium. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi, alleluia. Secreta.

OBlata, quæsumus Domine, munera, gloriosa Vnigeniti tui Transfiguratione sanctifica: nosque à peccatorum nostrorum maculis, splendoris ipsius illustratione emunda. Per eundem Dominum.

De SS. Xysto, Felicissimo, & Agapito. Secreta.

MVnera tibi Domine nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore iustorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per Dominum.

Præfatio. De Trinitate. Communio.

Psal. 97. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt sacrosancta Transfigurationis mysteria, quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per Dominum nostrum.

De SS. Xysto, Felicissimo, & Agapito. Postcommunio.

PRæsta nobis quæsumus Domine, intercedētibus sanctis martyribus tuis Xysto, Felicissimo, & Agapito: vt, quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominū.

Die 7 S. DONATI EPISCOPI, & Martyris. Oratio.

DEus, tuorum gloria Sacerdotum: præsta quæsumus, vt sancti martyris tui & Episcopi Donati, cuius festa gerimus, sentiamus auxilium. Per.

Secreta.

PRæsta, quæsumus Domine: vt sancti martyris tui & Episcopi Donati intercessione, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis deuotionis fructus accrescat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

OMnipotēs, & misericors Deus, qui nos sacramentorum tuorum & participes efficis, & ministros: præsta quæsumus, vt intercedente beato Donato martyre tuo atque Pontifice, eiusdem proficiamus & fidei consortio, & digno seruitio. Per Dominum nostrum.

SANCTORVM Martyrum Cyriaci, Largi, & Smaragdi. Oratio. Die 8.



DEus, qui nos annua beatorū martyrum tuorum Cyriaci, Largi, & Smaragdi solemnitate lætificas: cōcede propitius: vt quorum natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ACcepta sit in conspectu tuo Domine nostra deuotio: & eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solēnitate defertur. Per Dominum. Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt cuius exequimur cultum, intercedentibus sanctis martyribus tuis Cyriaco, Largo, & Smaragdo, sentiamus effectum. Per Dominum.

Die 9.

IN VIGILIA S. LAVRENTII Martyris.

Officium.

Psal. 111.



Ispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria. ℣. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris: & intercessione beati Laurentij martyris tui, perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 51.

COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deũ saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meũ à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escã, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniusta: laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus Gẽtium, Domine Deus noster. ℟. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculũ sæculi. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Alleluia. ℣. Beatus vir qui timet Dominũ: in mandatis eius cupit nimis. Psal. 111.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 16.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

Offertorium. Oratio mea mũda est: ideo peto, vt detur locus voci meæ in cælo: quia ibi est iudex meus, & conscius meus in excelsis: ascendat ad Dominum deprecatio mea. Iob 16.

Secreta.

HOstias Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe: & intercedente beato Laurentio martyre tuo, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per Dominum. Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matt. 16.

Postcommunio.

DA, quæsumus Domine Deus noster: vt sicut beati Laurentij martyris tui commemoratione, temporali gratulamur officio: ita perpetuo

petuo lætemur aspectu. Per Dñm. Missa huius Vigiliæ, quia venit infra Octauas Beati Dominici, debet celebrari sicut in Festo Simplici, cum Gloria in excelsis. & Alleluia.

Die 10. IN DIE S. LAVRENTII Martyris. Officium.

Psal. 95.



Onfessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. ℣. Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio

DA nobis, quæsumus omnipotẽs Deus, vitiorum nostrorum flãmas extinguere: qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 9 FRatres: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abũdetis in omne opus bonũ, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit: & multiplicabit semẽ vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. ℟. Probasti Do-

Psal. 16. mine cor meum, & visitasti nocte. ℣. Igne me examinasti: & non est inuẽta in me iniquitas. Alleluia. ℣. Leuita Laurentius bonum opus operatus est: qui per signum Crucis cæcos illuminauit.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus, qui est in cælis. Ioan. 12.

Offertorium. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: sanctitas & magnificẽtia in sanctificatione eius. Psal. 95.

Secreta.

ACcipe quæsumus Domine, munera dignanter oblata: & beati Laurentij suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium prouenire concede. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Communio. Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Ioan. 12.

Postcommunio.

SAcro munere satiati, supplices te Domine deprecamur: vt quod debitæ seruitutis celebramus officio, intercedente beato Laurentio martyre tuo, saluationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

S. TI-

Die 11. S. TIBVRTII MARTYRIS.

Oratio.


Eati Tiburtij martyris tui nos Domine foueant continuata præsidia: quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxilijs concesseris adiuuari. Per.

Secreta.


ADesto Domine precibus populi tui, adesto muneribus: vt quæ sacris sunt oblata mysterijs, tuorum tibi placeant intercessione Sanctorum. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine pignus redẽptionis æternæ: sit nobis quæsumus, interueniente beato Tiburtio martyre tuo, vitæ præsentis auxiliũ pariter, & futuræ. Per Dominum.

Die 13. SANCTORVM Hippolyti, Sociorumque eius.

Officium.

Psal. 67.

Vsti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius. Gloria. Gloria in.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotẽs Deus: vt beati Hippolyti martyris tui, sociorumq. eius veneranda solẽnitas & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Heb. 11. FRatres: Sancti per fidem vicerũt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetũ ignis, effugauerunt aciem gladij, cõualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterũt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alij autẽ distenti sunt nõ suscipientes redemptionẽ, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errãtes in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt: In Christo Iesu Domino nostro.

℟. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. ℣. Visi sunt oculis insipiẽtium mori: illi autem sunt in pace. Sap. 5

Alleluia. ℣. Sancti tui Domine benedicent te: gloriam regni tui dicẽt. Psal. 144.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam

occide-

occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos: dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum corã Angelis Dei. Offertorium. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. *Psal. 123.* Secreta.

REspice Domine munera populi tui, sanctorum Martyrum tuorum festiuitate votiua: & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Luca. 12. Communio. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui vos persequuntur. Postcommunio.

SAcramentorum tuorum Domine cõmunio sumpta nos saluet: & intercedẽtibus sanctis Martyribus tuis in tuæ veritatis luce confirmet. Per.

Die 14. IN VIGILIA ASSVMPTIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

Officium.

Sedulius.



SAlue sancta parens, enixa puerpera Regem: qui cælum terramque regit in sæcula sæculorum. ℣. Post partũ Virgo inuiolata permansisti: Dei genitrix intercede pro nobis. Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui virginalem aulã Beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, vt sua nos defensione munitos, iucundos facias suæ interesse festiuitati. Qui viuis & regnas.

Memoria De S. Laurentio: deinde de S. Eusebio Confessore. Oratio.

DEus, qui nos beati Eusebij cõfessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

EGo quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis: & hereditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generatione sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audiunt me, non confundentur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. ℟. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris, inuenta es mater Saluatoris. ℣. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, In tua se clausit viscera factus homo. *Eccl. 24.*

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt *Luca. 11.*

diunt

diunt illud. Offertorium. Beata es Virgo Maria, quæ omnium portasti creatorem: genuisti eum, qui te fecit, & in æternum permanes virgo.

Secreta.

MVnera nostra, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis commendet oratio: quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per eundẽ Dñm.

De Sancto Eusebio. Secreta.

LAudis tibi Domine hostias immolamus, in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos, & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum. Præfatio. Et te in veneratione. Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

COncede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium: vt qui sanctæ Dei Genitricis festiuitatem præuenimus, intercessionis eius auxilio, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum.

De S. Eusebio. Postcommunio.

REfecti cibo potuq. cælesti Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

IN Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, finita Tertia, Prior cum cappa sericea, & Diaconus cum Reliquijs, & Subdiaconus cum libello Processionali, sericis induti; præcedẽtibus Ceroferarij in albis, in Chorum veniant, & si Dominica fuerit, aqua more solito aspergatur. Dum aqua aspergitur, ille qui delaturus est Crucem, eam à Sacrista paratam accipiat. Finita aspersione aquæ, vel, si aqua aspergenda non fuerit, postquam in Chorum venerint, accepta Cruce à Cruciferario: & à Cantoribus incipiẽtibus. ℟. Felix. &c egrediatur Processio. Finita Processione, Prior & Ministri in Sacristiam vadãt: & deposita cappa sericea, assumptaque casula, & Missa inchoata, procedant more solito ad altare.

Die 15.

IN ASSVMPTIONE BEATISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

Officium.



Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cuius Assũptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria. Gloria in. Psal. 44. Oratio.

VEneranda nobis Domine huius diei festiuitas opem conferat salutarem, in qua sancta Dei Genitrix mortem subijt temporalem: nec

nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum viuit & regnat.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 24. IN omnibus requiem quæsiui, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Psal. 44. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Hodie Maria Virgo cælos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum. Sequentia. Salue Mater. In fine Missalis. pagina. 69.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 10 IN illo tempore: Intrauit Iesus in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solã ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Respondens, dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium. Maria optimam partẽ elegit, quæ nõ auferetur ab ea. Credo. Offertorium. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster.

Secreta.

SVbueniat Domine plebi tuæ Dei Genitricis oratio: quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cælesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus. Per eundem Dominum. Præfatio. Et te in Assumptione. Et dicatur quotidie per Octauam, etiam in Missis de Sãctis. Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.


MEnsæ cælestis participes effecti, imploramus clementiam tuam Domine Deus noster: vt qui Assumptionem Dei Genitricis colimus, à cunctis malis imminentibus, eius intercessionibus liberemur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Per Octauas, & in Octaua Assumptionis Beatæ Virginis omnia fiant sicut in Festo, excepta Sequentia, & Credo.

FE-

FESTVM S. HYACINTHI Confessoris.

Celebratur Dominica intra Octauas Assumptionis. Officium.



Eccl. 24. IN Ecclesijs Altissimi aperuit os suum, & in medio populi exaltabitur: in multitudine electorum habebit laudē, & inter benedictos benedicetur. ℣. Psal. 33. Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui Beatum Hyacinthum Confessorem tuum in diuersis nationum populis, operum sanctitate, & miraculorum gloria fecisti conspicuum: da nobis, vt eius in melius reformemur exemplis, & in aduersis protegamur auxilijs. Per Dominum nostrū Iesum Christum Filium.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

1. C. 2. FRatres: Fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, sed sicut probati sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium: ita loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neq. in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque ab alijs. Cum possemus vobis oneri esse vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiā animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. ℟. Eruditus in iuuentute sua, impletus est quasi flumen sapientia: & in fide probatus cognitus est in verbis suis fidelis. ℣. Eccl. 47. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est. Alleluia. Eccl. 48. ℣. Gaude fili Hyacinthe, quia tuæ à Filio meo exaudiuntur preces, & quidquid petendū duxeris, me interueniente cōsequeris. Sequētia. Unde de cælestibus, ad finē Missalis. 69.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Euntes prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnū cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mūdate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo. Credo. Offertorium. De terra longinqua vocauit Dominus virum voluntatis suæ, & dedit illi thesauros absconditos, & arcana secretorum suorum. Secreta.

SAcras hostias Domine, interuentu dignissimæ Matris, intrepidus super aquas ambulator Beatus Hyacinthus ante conspectum diuinæ tuæ maiestatis deferat, & ad salutem nostram delatas benignus acceptare digneris. Per Dominum nostrum. Præfatio de Assumptione. Communio. Dilectus meus candidus, & rubicundus: manus eius tornatiles, plenæ hyacinthis. Cant. 5.

Postcommunio.

QVos ineffabili suauitate corporis, & sanguinis tui Domine recreasti: quæsumus, vt Beati Hyacinthi pijs precibus adiutos ad æternam facias peruenire lætitiam. Qui viuis & regnas.

Intra Octauas fiat quotidie Memoria de Beato Hyacintho, etiam intra Octauas Assumptionis.

QVando celebratur de Beato Hyacintho ex voto, vel deuotione per annum, omnia fiant vt supra, excepto quod infra Septuages. loco Alleluia dicatur.

Eccl. 50. Tractus. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi luna plena in diebus suis. ℣. Et quasi sol refulgẽs: sic ille effulsit in tẽplo Dei. ℣. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarum in diebus vernis. Tempore Paschali dicatur Alleluia. post Officium, Offertorium, Communionem. Primum Alleluia. ℣. Gaude, &c. Secundum Alleluia.

Luc. 24. ℣. Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam Dei. Post Ascensionem. Primum Alleluia. ℣. Gaude fili &c.

Psal. 46. Secundum Alleluia. ℣. Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubæ.

Die 17. IN OCTAVA SANCTI Laurentij Martyris. Officium.

Psal. 16.



PRobasti Domine cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuẽta in me iniquitas. ℣. Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam. Gloria Patri. Cetera sicut in Festo ipsius. 394. Cum Memoria Assumptionis, & Præfatione Et te in Assumptione.

S. AGAPITI MARTYRIS. Die 18.

Oratio.

LAetetur Ecclesia tua Deus, beati Agapiti martyris tui confisa suffragijs: atque eius precibus gloriosis & deuota permaneat, & secura consistat. Per Dominum.

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in eius tibi solemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

S. BERNARDI ABBATIS. Die 20.

Officium.



Psal. 36. OS iusti meditabitur sapientiã, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Bernardi Abbatis cõmendet: vt quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum nostrum.

Memoria de Assumptione.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 39. IVstus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus volue-

voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipse tamquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino: & ipse diriget consilium eius, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit Ecclesia.
Psal. 20. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Psal. 36.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 19. IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Offertorium. Psal. 20. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Secreta.

SAcris altaribus Domine hostias superpositas sanctus Bernardus Abbas, quæsumus, in salutem nobis prouenire deposcat. Per Dominum nostrum. Præfatio de Assumptione. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Matt. 19.

Postcommunio.

PRotegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Bernardus Abbas pro nobis intercedendo: vt conuersationis eius experiamur insignia, & intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

SS. TIMOTHEI, ET SYMPHORIANI Martyrum. Oratio. Die 22.

AVxilium tuum nobis Domine quæsumus, placatus impende: & intercedentibus beatis martyribus tuis Timotheo, atque Symphoriano, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

Secreta.

ACcepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

Postcommunio.

DIuini muneris largitate satiati, quæsumus Domine Deus noster: vt intercedentibus sanctis martyribus tuis Timotheo, & Symphoriano, in eius semper participatione viuamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Die 24. S. BARTHOLOMAEI Apostoli. Officium.

Psal. 138. IHI autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui huius diei venerandā sanctamque lætitiam, in beati Apostoli tui Bartholomæi festiuitate tribuisti: da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 12. FRatres: Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonū. Numquid omnes Apostoli? nūquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora.

Psal. 18. ℟. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. ℣. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Psal. 138. Alleluia. ℣. Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Exijt Iesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Iacobū Alphæi, & Simonem, qui vocatur zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Et descendens cū illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis: qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Credo.

Offertorium. Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine, in omni progenie, & generatione. Psal. 44.

Secreta.

BEati Apostoli tui Bartholomæi solemnia recensentes, quæsumus Domine, vt eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi hostias laudis immolamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filiū.

Præfatio. Te Domine. Communio.

Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel, dicit Dominus. Matth. 19.

Post-

Postcommunio.

SVmpsimus Domine pignus salutis æternæ, celebrãtes beati Apostoli tui Bartholomæi votiua solemnia: vt perpetua merita venerantes, ad vitam nutriamur æternam. Per Dominum nostrum.

Die 25. IN FESTO S. LVDOVICI REGIS & Confessoris. Officium.

Psal. 36. 
OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignãtibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui beatum Ludouicum confessorem tuum de terreno regno ad cælestis regni gloriam transtulisti: eius, quæsumus, meritis & intercessione, Regis regum Iesu Christi Filij tui facias nos esse consortes. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 10. IVstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium, illi affuit, & honestum fecit illum. Custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam, Dominus Deus noster. ℟. Domine præuenisti eum Psal. 20.
in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum: qui ad gaudium transijt Angelorum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua quam habui, reposita est in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

(Luc. 19.)

sti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius nō fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Psal. 20.

Secreta.

MVnera quæsumus Domine oblata sanctifica: vt intercessione beati Ludouici confessoris tui, nobis regni cælestis præparent mansionem. Per Dominum nostrum.

Luc. 12. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

COncede quæsumus omnipotēs Deus, vt quos culpæ miseria fecit hic exules: beati Ludouici Regis & confessoris tui intercessio gloriosa regni cælestis faciat esse coheredes. Per Dominum.

Die 27. S. RVFI EPISCOPI & Martyris. Officium.

Psalm 20.



IN virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. ℣. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Gloria Patri.

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Rufi martyris tui atque Pontificis intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

BEatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est trāsgressus: facere mala, & nō fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. ℟. Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

Eccl. 31.

Psal. 111.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 10.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus:

dignus:& qui amat filium, aut filiam super me,non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me,non est me dignus. Qui inuenit animam suam,perdet eam: & qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Offertorium.

Psal. 20. In virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus Domine,precibusque susceptis: intercedente beato Rufo martyre tuo atque Pontifice, & cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.


Psal. 20. Communio. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum Domine.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedente beato Rufo martyre tuo atque Pontifice, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

S. AVGVSTINI EPISCOPI & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ. Die 28.

Officium.



IN medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eũ. Eccl. 15.

℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus:& quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges: intercedente beato Augustino confessore tuo atque Pontifice,consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

CHarissime: Testificor coram Deo,& Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos,& mortuos,per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum,insta opportune, importune:argue,obsecra, increpa in omni patientia,& doctrina.Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent,ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuũ imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui,cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,quam reddet 2. Tim. 4.

mihi Dominus in illa die iustus iudex: nõ solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Os
Psal. 36
iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia.
Os. 14.
℣. Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Sequentia. De profundis. Inter Sequentias in fine Missalis. 70.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5.
IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legẽ, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Credo. Offertorium.
Psal. 88.
Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

SAncti confessoris tui atque Pontificis Augustini nobis, Domine, pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum. Communio. Fidelis seruus Luc. 12.
& prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

VT nobis Domine tua sacrificia dent salutem: beatus Augustinus confessor tuus & Pontifex, quæsumus, precator accedat. Per Dominum nostrum.

Infra Octauas, & in Octaua Sancti Augustini omnia fiant vt in Die, excepta Sequentia, & Credo.

IN DECOLLATIONE Ioannis Baptistæ. Die 29.

Officium.



IVstus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. ℣. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. Psal. 91.
Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

SAncti Ioannis Baptistæ præcursoris & martyris tui, quæsumus Domine, veneranda festiuitas salutaris auxilij nobis præstet effectum. Qui viuis & regnas.

EODEM DIE SANCTAE Sabinæ Martyris. Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiã in sexu fragili victoriam martyrij contulisti: concede propitius, vt qui beatæ Sabinæ martyris tuæ natalitia colimus, per

per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Cap. 1. IN diebus illis: Factum est verbū Domini ad me, dicens: Accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad Iuda omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terrā, regibus Iuda, principibus eius, & Sacerdotibus, & omni populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt: quia ego tecū sum, ait Dominus, vt liberem te. ℟. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. ℣. Desiderium animæ eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Psal. 20.

Mar. 6. Alleluia. ℣. Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Ioannis Baptistæ in carcere.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 6. IN illo tempore: Misit Herodes, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eū, & audito eo multa faciebat & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ: cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus; Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem, petiuit, dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et cōtristatus est Rex: propter iusiurandū, & propter simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito, discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: & posuerunt illud in monumento.

Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Secreta.

MVnera tibi Domine pro sancti martyris tui Ioannis Baptistæ passione deferimus: qui dum finitur in terris, factus est in cælesti sede perpetuus: quæsumus, vt eius obtentu, nobis proficiant ad salutem. Per Dominum nostrum.

De S. Sabina. Secreta.

HOstias tibi Domine beatæ Sabinæ martyris tuæ meritis dicatas benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per. Communio. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & ma- Psal. 20.

& magnum decorem impones super eum Domine. Poſtcommunio.

CONferat nobis Domine ſancti Ioannis Baptiſtæ beata ſolemnitas: vt & magnifica ſacramenta quæ ſumpſimus, ſignificata veneremur, & in nobis potius edita gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

De S.Sabina. Poſtcommunio.

DIuini muneris largitate ſatiati, quæſumus Domine Deus noſter: vt intercedente beata Sabina martyre tua, in eius ſemper participatione viuamus. Per Dominum.

Die 30. SANCTORVM Martyrum Felicis & Adaucti.

Oratio.

MAieſtatem tuam Domine ſupplices exoramus: vt ſicut nos iugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas: ita ſemper ſupplicatione defendas. Per Dominum.

Secreta.

HOſtias Domine tuæ plebis intende: & quas in honore Sanctorum tuorum deuota mente celebrat, proficere ſibi ſentiat ad ſalutem. Per Dominum.

Poſtcommunio.

REpleti Domine muneribus ſacris quæſumus: vt intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum ſemper actione maneamus. Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum Filium.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 1. In Feſto S. Aegidij Abbatis.

MIſſa dicatur vt in Feſto S.Mauri Abbatis pag. 289. mutato tantum nomine Mauri in Aegidij.

In Feſto S. Marcelli Martyris.

MIſſa dicatur vt in Feſto S.Valentini Martyris, mutato ſolum nomine Valentini in Marcelli. pagina. 314.

Die 8. IN NATIVITATE BEATAE Mariæ Virginis. Officium.



GAudeamus omnes in Domino, diem feſtũ celebrantes ſub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cuius Natiuitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonũ: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in excelſis. Oratio. Pſal. 44.

SVpplicationem ſeruorum tuorũ Deus miſerator exaudi: vt qui in Natiuitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, eius interceſſionibus, à te de inſtantibus periculis eruamur. Per eundem Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Pro. 8. DOminus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequã quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes graui mole conſtiterant: ante omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quãdo æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminũ ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erã cuncta componens. Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram

eo om-

eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Psal. 44. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Natiuitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.

Sequentia. Natiuitas Mariæ. Inter Sequentias in fine Missalis. 70.

Initium Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autẽ genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboã autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autẽ genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Credo. Offertorium. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster.

Secreta.

Vnigeniti tui Domine nobis succurrat humanitas: vt qui natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, sed sacrauit: in natiuitatis eius solemnijs, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecũ viuit. Præfatio. Et te in Natiuitate. Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

Svmpsimus Domine celebritatis annuæ votiua sacramenta: præsta quæsumus, vt temporalis vitæ nobis remedia præbeant, & æter-

æternæ. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium.

Per Octauas & in Octaua Natiuitatis B. Mariæ omnia sicut in Die, excepta Sequentia, & Credo.

Die 9. S. GORGONII MARTYRIS.

Oratio.

SAnctus martyr tuus Gorgonius sua nos, Domine, intercessione lætificet, & pia faciat solemnitate gaudere. Per Dominum nostrum.

Secreta.

GRata tibi sit Domine nostræ seruitutis oblatio: pro qua sanctus Gorgonius martyr interuentor existat. Per Dominum nostrum.

Postcommunio

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, propitius intuere: & intercedente beato Gorgonio martyre tuo, per hæc sancta quæ sumpsimus, à cunctis eripe benignus aduersis. Per Dominum nostrum.

Die 10. S. NICOLAI TOLENTINATIS Confessoris. Officium.

Eccl. 47. DEdit Dominus confessionem sancto suo, & excelso in verbo gloriæ: de omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum. ℣. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. Psal. 91.

Oratio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt Ecclesia tua, quæ beati Nicolai confessoris tui virtutum, & miraculorum gloria coruscat, eius intercessione & meritis, perpetua pace, atque vnitate lætetur. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 45. DIlectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipsius, & induxit illum in nubẽ: & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ. ℟. In lege Domini fuit voluntas eius die ac nocte. ℣. Psal. 1. Prædicans præceptum Domini, cõstitutus est in monte sancto eius. Alleluia. ℣. Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternũ ante Dñm. Psal. 91.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 12. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificium, intercedente beato Nicolao confessore tuo, viuificet nos semper, & muniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium.

Com-

Matt. 19. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

POpulum tuum, Domine, quæ sumpsimus sacramenta custodiant: vt qui sancti Nicolai confessoris tui iugiter implorant auxilium, petitionum suarum salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

Die 11. SANCTORVM

Proti & Hyacinthi Martyrum.

Oratio.

BEatorum martyrum tuorum Proti & Hyacinthi nos Domine foueat pretiosa confessio: & pia iugiter intercessio tueatur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRo sanctorum martyrum tuorum Proti & Hyacinthi commemoratione munera tibi Domine, quæ debemus exoluimus: præsta quæsumus, vt remedium nobis perpetuæ salutis operentur. Per Dominum.

Postcommunio.

VT percepta nos Domine tua sancta purificent, beatorum Proti & Hyacinthi, quæsumus, imploret oratio. Per Dominum.

Die 14. IN EXALTATIONE

Sanctæ Crucis. Officium.



Gal. 6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati, & liberati sumus. ℣. Psal. 66. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui nos hodierna die Exaltationis sanctæ Crucis annua solemnitate lætificas: præsta quæsumus, vt cuius mysterium in terra cognouimus, eius redemptionis in cælo præmia consequamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

FRatres: Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, Phil. 2. mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu * omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℟. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltauit illum: & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Alleluia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cælorum, & Dominum.

(margin: * hic genuflectitur. Phil. 2.)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Nunc iudicium est Ioan. 12. mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: (hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) Respondit ei turba: Nos audiuimus ex Lege, quia Christus manet in æter-

in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filiũ hominis? Quis est iste Filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Credo. Offertorium. Protege Domine plebem tuam per signum sanctæ Crucis ab insidijs inimicorũ omnium: vt tibi gratam exhibeamus seruitutem, & acceptabile fiat sacrificium nostrum.

Secreta.

HAec oblatio, quæsumus Domine, ab omnibus nos purget offensis: quæ in ara Crucis immolata, etiam totius mundi tulit offensam. Per Dominum. Præfatio. Qui salutem humani. Communio. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

Postcommunio.

REfecti cibo potuque cælesti, quæsumus omnipotens Deus: vt ab hostium defendas fortitudine, quos pretioso Filij tui Domini nostri Iesu Christi sanguine redemisti. Qui tecum viuit.

S. NICOMEDIS MARTYRIS.

Oratio.

ADesto Domine populo tuo: vt beati Nicomedis martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper eius patrocinijs adiuuetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Secreta.

SVscipe Domine munera propitius oblata: quæ maiestati tuæ beati Nicomedis martyris tui commendet oratio. Per Dominum.

Postcommunio.

PVrificent nos Domine sacramẽta quæ sumpsimus: & intercedente beato Nicomede martyre tuo, à cunctis efficiant vitijs absolutos. Per Dominum nostrum.

S. EVPHEMIAE VIRGINIS & Martyris. Officium. Die 16.



VVltum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis: adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius adducẽtur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Eructauit cor meum verbum bonũ: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri & Filio. Psal. 44.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Euphemiæ virginis & martyris tuæ solemnia colimus, eius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deũ saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meũ à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escã, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in Eccl. 51.

medio

medio ignis non sum æstuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus Gentium, Domine Deus noster. ℟. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia. ℣. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit.

Psal. 44.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13.

IN illo tēpore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnū cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere pisciū congreganti: quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in cōsummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino. Psal. 44.

Secreta.

HOstias Domine quas tibi offerimus propitius suscipe: & intercedente beata Euphemia virgine & martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolue. Per Dominum nostrum. Communio. Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa margarita, dedit omnia bona sua, & comparauit eam. Matt. 13.

Postcommunio.

REfecti cibo, potuque cælesti Deus noster te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat.

S. LAMBERTI EPISCOPI & Martyris. Officium.

Die 17.



SAcerdotes Dei benedicite Dominum: sancti & humiles corde laudate Deum. ℣. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. Gloria Patri. Dan. 3.

Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Lamberti martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

BEatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua Eccl. 14 & 15.

medi-

meditabitur, & in ſenſu cogitabit cir cumſpectionem Dei. Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum:& firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illũ apud proximos ſuos, & nomine æterno hereditabit
Psal. 36. illum Dominus Deus noſter. ℟. Iuſtus non conturbabitur: quia Dominus firmat manum eius. ℣. Tota diē miſeretur, & commodat:& ſemē eius in benedictione erit. Alleluia. ℣.
Psal. 20. Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 22. IN illo tempore: Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis Ieſus: Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meã in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſ-
Psal. 88. rael. Offertorium. Veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

HAec hoſtia, quæſumus Domine, emundet noſtra delicta: & ſacrificium celebrandum ſubditorũ tibi corpora, menteſque ſanctificet. Per Dominum. Communio. Semel Psal. 88.
iuraui in ſancto meo, Semen eius in æternum manebit: & ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.

Poſtcommunio.

REpleti participatione muneris ſacri, quæſumus Domine Deus noſter: vt cuius exequimur cultum, intercedente beato Lamberto martyre tuo atque Pontifice, ſentiamus effectum. Per Dominum noſtrum.

SANCTORVM Die 16.
Cornelij & Cypriani Martyrum.

Officium.

SApientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorũ nunciet Eccleſia: nomina autem eorum viuent in ſæculum ſæculi. Eccl. 44.
℣. Exultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri. Gloria in excelſis Deo. Psal. 32.

Oratio.

INfirmitatem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice:& mala omnia quæ iuſte meremur, ſanctorum martyrum tuorum atque Pontificum Cornelij & Cypriani interceſſione auerte. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

IVſtorũ animæ in manu Dei ſunt, Sap. 3.
& non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod à nobis eſt iter exterminij: illi autem ſunt in pace. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate

plena

plena est: in paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. ℞.
Exo. 15. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, & regnabunt in æternum. Sap. 3.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 21. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq. de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ego enim dabo vobis os, & sapientiã, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficiẽt ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Offertorium.
Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu Domine benedices iusto: Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Psal. 5.

Secreta.

PLebis tuæ Domine munera benignus intende: quæ maiestati tuæ pro sanctorum martyrum tuorũ atque Pontificum Cornelij & Cypriani solemnitatibus sunt dicata: Per Dominum. Communio. Gaudete iusti in Domino, alleluia: rectos decet collaudatio, alleluia. Psal. 32.

Postcommunio.

QVæsumus Domine salutaribus repleti mysterijs: vt quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adiuuemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum.

SANCTORVM Die 19.
Martyrum Ianuarij & Sociorum.

Officium.

INtret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Psal. 78.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Ianuarij, &

ſociorum eius ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Heb. 10. FRatres: Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamẽ ſuſtinuiſtis paſſionum:& in altero quidem opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt:vt voluntatem Dei faciẽtes, reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum,aliquantulumque, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit: iuſtus autem ex fide viuit. ℟.

Exo. 15. Glorioſus Deus in Sanctis ſuis: mirabilis in maieſtate,faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata eſt in virtute: dextera manus tua cõfregit inimicum. Alleluia. ℣. Sancti

Pſal. 144. tui Domine benedicent te: gloriam regni tui dicent.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. IN illo tempore: Sedente Ieſu ſuper Montem oliueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis quãdo hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Et reſpondens Ieſus dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducẽt. Audituri enim eſtis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini:oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gens in gentem,& regnum in regnum,& erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca: hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Tũc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tũc ſcandalizabuntur multi,& inuicẽ tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent,& ſeducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Offertorium. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael: ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. Pſal. 67.

Secreta.

OBlatis, quæſumus Domine, placare muneribus:& intercedentibus ſanctis martyribus tuis Ianuario,& ſocijs eius,à cunctis nos defende periculis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit. Communio. Dico Luc. 12.
autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his,qui vos perſequuntur.

Poſtcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & intercedentibus ſanctis martyribus tuis Ianuario, & ſocijs eius, cæleſtis remedij faciat eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filiũ tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus.

Die 21. IN VIGILIA S. MATTHAEI Apostoli & Euangelistæ. Officiũ.

Psal. 51. EGo autẽ sicut oliua fructifera in domo Domini: speraui in misericordia Dei mei, & expectabo nomen tuũ: quoniam bonum est ante conspectũ sanctorum tuorum. ℣. Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate? Gloria Patri. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: vt beati Matthæi Apostoli tui & Euangelistæ, quam præuenimus, veneranda solemnitas & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. & 45. BEnedictio Domini super caput iusti: ideo dedit illi Dominus hereditatem, & diuisit ei partem in tribus duodecim, & inuenit gratiam in conspectu omnis carnis. Et magnificauit eum in timore inimicorũ, & in verbis suis mõstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum, & ostendit illi gloriam suam. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, & excelsum fecit illum. Statuit illi testamentum æternum, & circumcinxit eum zona iustitiæ, & induit eum Dominus coronam gloriæ. ℟. Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ℣. Ad annunciãdum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Psal. 91.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 5. IN illo tempore: Vidit Iesus publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum: & fecit ei conuiuium magnũ Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cũ illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus mãducatis, & bibitis? Et Respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & cõstituisti eum super opera manuum tuarum Domine. Psal. 8.

Secreta.

APostolici reuerentia culminis offerentes tibi sacra mysteria Domine, quæsumus, vt beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ suffragijs, cuius natalitia præuenimus, hæc plebs tua semper & sua vota depromat, & desiderata percipiat. Per Dominum. Communio. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20. Postcommunio.

SAncti Apostoli tui & Euangelistæ Matthæi, quæsumus Domine supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

IN DIE S. MATTHAEI Die 21. Apostoli & Euangelistæ.

Officium.

Psal. 138. MIhi autem nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Domine probasti me, & co-

gnouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

BEati Apostoli & Euangelistæ Matthæi, Domine, precibus adiuuemur: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur. Per Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Ezec. 1. SImilitudo vultus quatuor animalium, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum, & vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent. Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrēs in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. ℟. Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138.

℣. Dinumerabo eos: & super arenā multiplicabuntur. Alleluia. ℣. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Psal. 18.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 9. IN illo tempore: Vidit Iesus hominem sedentē in telonio, Matthæū nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus mā-ducat Magister vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Credo. Offertorium.

Psal. I n omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Secreta.

SVpplicationibus Apostolicis beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ, quæsumus Domine, Ecclesiæ tuæ commendetur oblatio, cuius magnificis prædicationibus eruditur. Per. Præfatio. Te Domine. Cōmunio. Ego vos elegi de mundo: vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ioan. 15. Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis, beato Matthæo Apostolo tuo & Euangelista interueniente, deprecamur: vt quæ pro eius celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum Iesum.

SANCTORVM Die 22. Mauritij Sociorumque eius.

Officium.

SAlus autem iustorum à Domino: & protector eorum est in tempore tribulationis. Psal. 36. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris faciētes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in.

Oratio.

Oratio.

ANnue, quæsumus omnipotens Deus: vt sanctorum martyrum tuorum Mauritij, Exuperij, Candidi, Vitalis, Innocentij, ac sociorum eorumdem nos lætificet festiua solẽnitas: vt quorum suffragijs nitimur, eorum natalitijs gloriemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apo. 7. IN diebus illis: Respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerũt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymã ab oculis eorũ. ℟. Gloriosus Deus in Sãctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Sancti, & iusti in Domino gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

Exo. 15.

Psal. 32.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 21. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq. de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequẽtur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ego enim dabo vobis os, & sapientiã, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficiẽt ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Offertorium. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Psal. 67.

Secreta.

REspice, quæsumus Domine munera, quæ in sanctorũ martyrum tuorum Mauritij, Exuperij, Candidi, Vitalis, Innocentij, ac sociorum eorumdem commemoratione deferimus: & præsta, vt quorum honore sunt grata, eorum nobis fiant intercessione perpetua. Per. Cõmunio. Posuerũt mortalia seruorũ tuorum Domine escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. Psal. 78.

Postcõmunio.

CAelestibus refecti sacramentis, & gaudijs, supplices te rogamus

omnipotens Deus: vt quorum gloriamur triumphis, protegamur auxilijs. Per Dominum.

Die 27. SANCTORVM Cosmæ & Damiani Martyrum. Officium.

Eccl. 44. SApientiam sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia: nomina autem eorum viuent in sæculum sæculi. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Psal. 32.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui sanctorum martyrum tuorum Cosmæ & Damiani natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5 IVsti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum: & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatẽ. ℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. ℣. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Alleluia. ℣.

Psal. 132.

Sap. 3 Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, & regnabunt in æternum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 6 IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quoniã saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Offertorium. Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu Domine benedices iusto: Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Psal. 5.

Secreta.


SAnctorum tuorum nobis Domine pia non desit oratio: quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium. Communio. Posuerunt mortalia seruorum tuorum Domine escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. Psal. 78.

Post-

Postcommunio.

PRotegat, quæsumus Domine, populum tuum & participatio cælestis indulta conuiuij, & deprecatio collata Sanctorum. Per.

Die 28. IN FESTO BEATI Vuenceslai Martyris. Officium.

Psal. 20. 
IN virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. ℣. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Gloria Patri. Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Vuenceslai martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eius intercessione liberemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 31. BEatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorũ.

Psal. 20. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 16. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mũdum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

Psal. 20. Offertorium. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso: vitam petijt à te, & tribuisti ei. Secreta.

HOstias tibi Domine beati Vuẽceslai martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue prouenire subsidium. Per. Cõio. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum Domine. Psal. 20.

Postcommunio.

SVmptis Domine sacramentis, quæsumus, intercedente beato Vuẽceslao martyre tuo, supplicationes nostras placatus intendas. Per.

SANCTI MICHAELIS Archangeli. Officium. Die 29.

Psal. 102. BEnedicite Dominum omnes Angeli eius: potentes virtute, qui facitis verbũ eius, ad audiendam vocem sermonũ eius.

℣. Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sācto eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius: vt à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apo. 1. IN diebus illis: Significauit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimoniū perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcūque vidit. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. Ioannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia. Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorū, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. ℟. Benedicite Dominū omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius. ℣. Benedic anima mea Dominum: & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Alleluia. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Domine Deus meus. Sequentia. Laus erumpat. In fine Missalis. 70.

Psal. 102.

Psal. 137.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 18. IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis, putas, maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, & proijce abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudū, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternū. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne cōtemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Credo. Offertorium. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Apo. 8.

Secreta.

HOstias tibi Domine laudis offerimus suppliciter deprecantes: vt easdem Angelico pro nobis interueniente suffragio, & placatus acci-

accipias, & ad salutem nostram prouenire concedas. Per Dominum.

Dan. 3. Communio. Benedicite omnes Angeli Domini Dominum: hymnum dicite, & superexaltate eũ in sæcula.

Postcommunio.

BEati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices te Domine deprecamur: vt quod ore prosequimur, contingamus & mente. Per Dominum.

Per Octauas, & in Octaua sancti Michaelis fiant omnia sicút in Dñc, exceptis Sequentia, & Credo.

Die 30. S. HIERONYMI PRESBYTERI & Confessoris, ac Doctoris Ecclesiæ.

Officium.

Eccl. 15.



IN medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus: stolam gloriæ induit eum. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eũ. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DEus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatũ Hieronymum confessorem tuum, Doctorem maximum prouidere dignatus es: præsta quæsumus, vt eius suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adiuuante exercere valeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4. CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patiẽtia, & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministeriũ tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentum eius. ℟. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Posui adiutorium super potentem: & exaltaui electum de plebe mea. Psal. 36. Psal. 88.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ; quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mũdi. Non potest ciuitas abscondi supra montẽ posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: nõ veni soluere, sed adimplere.

plere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo solueri t vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines; minimus vocabitur in regno cælorum: qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Psal. 20. Credo. Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius nõ fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Secreta.

DOnis cælestibus, quæsumus Domine, libera nos tribue mente inseruire: vt munera quæ deferimus, intercedente beato Hieronymo cõfessore tuo, & medelam nobis operentur, & gloriam. Per Dominum.

Luc. 12. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensurã. Postcõmunio.

REpleti alimonia cælesti, quæsumus Domine: vt interueniente beato Hieronymo confessore tuo, misericordiæ tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

FESTA OCTOBRIS.

In Festo Sanctissimi Rosarij Beatissimæ Virginis Mariæ.

QVod celebratur prima Dominica Octobris, Missa dicatur vt in Festo Natiuitatis B. Mariæ, mutato nomine Natiuitatis in Solẽnitatis. 8. Septembris pag. 408.

Die 4. S. FRANCISCI CONFESSORIS.

Officium.



Psal. 36. OS iusti meditabitur sapientiã, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignãtibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fetu nouæ prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, & cælestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Galatas.

FRatres: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. (Cap. 6; Psal. 20; Osee 14)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 11. IN illo tempore: Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniam sic placitum fuit ante te.

Omnia

Omnia mihi tradita sũt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Offertorium.

Psal. 20. Desideriũ animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Secreta.

MVnera tibi Domine dicata sanctifica: & intercedente beato Francisco, ab omni nos culparum labe purifica. Per Dominum.

Mat. 19. Communio. Amen dico vobis quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

ECclesiam tuam, quæsumus Domine, gratia cælestis amplificet: quam beati Francisci illuminare voluisti gloriosis meritis, & exemplis. Per Dominum nostrum.

Die 5. SANCTORVM Placidi Sociorumq. eius Martyrum.

Officium.



Psal. 78. INtret in cõspectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorũ: vindica sanguinẽ sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die beatum Placidum cum socijs suis per martyrij palmam ad regna siderea subleuasti: concede propitius, vt quod eorum amore deposcimus, illorum intercessione consequi mereamur. Per.

Lectio Libri Sapientiæ.

IVstorum animæ in manu Dei sũt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientiũ mori: & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiã accepit illos, & in tẽpore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorũ in perpetuum. Sap. 3

Exo. 15. ℟. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciẽs prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. ℣. Sancti, & iusti in Domino gaudete: vos elegit Deus in hereditatem sibi.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia, & sedi- Luc. 21.

& seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq. de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequētur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: cōtinget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Offertorium.
Psal. 67. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutē, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Secreta.

RESpice Domine munera, quæ in sanctorum martyrum tuorum Placidi, ac sociorum eius commemoratione deferimus: & præsta, vt quorum honore sunt grata, eorum nobis fiant intercessione perpetua. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium. Communio.
Psal. 78. Posuerunt mortalia seruorum tuorum Domine escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum,

Postcommunio.

CAelestibus refecti sacramentis, & gaudijs, supplices te rogamus omnipotens Deus: vt quorum gloriamur triumphis, protegamur auxilijs. Per Dominum.

S. MARCI PAPAE Die 7.
& Confessoris. Officium.

SAcerdotes Dei benedicite Dominū: Dan. 3. sancti, & humiles corde laudate Deum. ℣. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. Gloria Patri. Oratio.

EXaudi, Domine, preces nostras: & interueniente beato Marco confessore tuo atque Pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum.

EODEM DIE SANCTORVM
Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apulei Martyrum. Oratio.

SAnctorum martyrum tuorum nos Domine Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apulei beata merita prosequātur: & tuo semper faciant amore feruentes. Per Dn̄m.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres: Plures facti sunt Sacerdotes secundum legem, idcirco Heb. 7. quòd morte prohiberentur permanere: Iesus autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum: semper viuens ad inter-

interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet quotidie necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, se offerendo, Dominus noster Iesus Christus. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cõfortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transijt Angelorum. (Psal. 88.)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

(Matt. 24.) IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem: amen dico vobis, quoniã super omnia bona sua constituet eum. Offert. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. (Psal. 88.) Secreta.

ACcepta tibi sit Domine sacratæ plebis oblatio pro tuorũ honore Sanctorum: quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

De SS. Sergio & Baccho. Secreta.

MAiestatem tuam nobis, Domine quæsumus, hæc hostia reddat immolanda placatam, tuorũ digna postulatione Sanctorum. Per Dominum. Communio. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. (Matt. 24.) Postcommunio.

DA quæsumus Domine fidelibus tuis, Sanctorum tuorũ semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum.

De Sanctis Sergio & Baccho. Postcommunio.

SAcramentis, quæsumus Domine, muniamur acceptis, & sanctorum Martyrum tuorum interuenientibus meritis, contra omnes nequitias irruentes armis cælestibus protegamur. Per Dominum.

S. REMIGII EPISCOPI & Confessoris. Officium. (Die 1.)



STatuit ei Dominus testamentũ pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. (Eccl. 45.) ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo. (Psal. 88.) Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Remigium ministrum tribuisti: præsta quæsumus: vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Le-

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44 & 45. ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Nõ est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi: ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamẽtum suum confirmauit super caput eius. Cognouit eum in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiam suam, & inuenit gratiam corã oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regum, & dedit illi coronam gloriæ. Statuit illi testamentum sempiternum, & dedit illi Sacerdotium magnum, & beatificauit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorẽ suauitatis. ℟. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. ℣. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Alleluia. ℣. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Eccl. 44.

Psal. 109.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo talenta acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudiũ domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Offertoriũ.

Psal. 88. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, munera nostra tuæ maiestati oblata, per intercessionem beati Remigij confessoris tui atque Pontificis, ad perpetuam fac nobis prouenire salutem. Per Dominum.

Matt. 24. Communio. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

SAcramenta salutis nostræ suscipientes, concede quæsumus omnipotens Deus: vt beati Remigij cõfessoris tui atque Pontificis nos vbique

que oratio adiuuet, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

Die 6. SANCTORVM Dionysij Sociorumq. eius Martt.

Officium.

Psal. 78.  Ntret in conspectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: vindica sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DEus, qui hodierna die beatum Dionysium martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborasti: quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuã, Rusticum & Eleutherium sociare dignatus es: tribue nobis quæsumus, ex eorum imitatione pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Per Dñm.

Lectio Actuum Apostolorum.

Cap. 17. IN diebus illis: Stans Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & arã in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitq. ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, nõ debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile. Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciẽs Deus, nunc annunciat hominibus vt omnes vbiq. pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterũ. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis. ℟. Gloriosus Exod. 15.
Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicũ. Alleluia. ℣. Iudicabũt Sancti Sap. 3
nationes, & dominabuntur populis, & regnabit illorum Rex in æternũ.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 12. IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Attendite à fermento Phari-

Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum co-
Psal. 31. ram Angelis Dei. Offertorium. Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.


Secreta.

Hostia, Domine quæsumus, quam sanctorum martyrum tuorum Dionysij, Rustici, & Eleutherij natalitia recẽsentes offerimus: & vincula nostræ prauitatis absoluat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum. Coïo.
Psal. 32. Gaudete iusti in Domino, alleluia: rectos decet collaudatio, alleluia.

Postcommunio.

Quæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedẽtibus Sanctis martyribus tuis Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum.

S. LEODEGARII EPISCOPI & Martyris. Officium. Die 2.



Sacerdotes Dei benedicite Dominũ: sancti, & humiles corde laudate Deum. ℣. Benedicite omnia opera Domini, Domino: laudate, & superexaltate eum in sæcula. Gloria Patri. Oratio. Dan. 3.

Laetetur Ecclesia tua Deus beati Leodegarij martyris tui atque Pontificis confisa suffragijs: atque eius precibus gloriosis & deuota permaneat, & secura consistat. Per.

Lectio Libri Sapientiæ.

Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos, & nomine æterno hereditabit illum, Dominus Deus noster. Eccl. 14. & 15.
℟. Iustus non conturbabitur: quia Dominus firmat manum eius. ℣. Tota die miseretur, & commodat: & semen eius in benedictione erit. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Psal. 36. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

In illo tempore: Facta est cõtẽtio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis Iesus: Reges Gentium dominantur eo- Luc. 22.

eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autẽ non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meã in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Offertor. Veritas mea, & misericordia mea cũ ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Psal. 88.

Secreta.

SVscipe Domine munera, quæ in eius tibi solemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum. Communio. Semel iuraui in sancto meo, Semen eius in æternum manebit: & sedes eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis. Psal. 88.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

Die 13.

S. EDVARDI REGIS ET Confessoris. Officium.

Psal. 36.



OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. ℣. Noli æmulari in malignãtibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri.

Oratio.

DEus, qui nos beati Eduardi cõfessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exẽpla gradiamur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

IVstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium, illi affuit, & honestum fecit illum. Custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam, Dominus Deus noster. ℟. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transijt Angelorum. Sap. 10. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi re- Luc. 19.

gnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua quam habui, reposita est in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meã ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

Psal. 20. Offertor. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Secreta.

LAudis tuæ Domine hostias immolamus in tuorũ commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per. Coĩo. Fidelis seruus Luc. 12. & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

REfecti cibo potuq. cælesti Deus noster, te supplices exoramus: vt in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. Per Dominum.

S. CALLISTI PAPAE Die 14.
& Martyris. Officium.



SAcerdotes tui Domine induant iustitiam, & Psal. 131. Sancti tui exultent: propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

DEus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorẽ tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres: Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso Heb. 5

offerre

offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur
Psal. 88. à Deo, tamquam Aaron. ℟. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum cõfortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non
Psal. 20. nocebit ei. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nihil opertũ, quod non reueletur: neque occultũ, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in
Psal. 88. cælis est. Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta.

MYstica nobis Domine prosit oblatio: quæ nos à reatibus nostris expediat, & perpetua salua-
Luc. 12. tione confirmet. Per. Cõio. Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensurã.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotẽs Deus: vt & reatum nostrũ munera sacrata purificent, & recte viuendi nobis operentur effectum. Per.

S. LVCAE EVANGELISTAE. Die 18.

Officium.



IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ, & intellectus: stolã gloriæ induit eum. ℣. Iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eũ. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Oratio. Eccl. 15.

INteruenit pro nobis, quæsumus Domine, sanctus tuus Lucas Euãgelista: qui Crucis mortificationem iugiter in suo corpore, pro tui nominis amore portauit. Per Dominũ.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRatres: Gratias ago Deo, qui dedit eandem sollicitudinẽ pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram: deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis in Domini gloriam. Prouidemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 2. Cor. 8.

Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, cõfidentia multa in vos, siue pro Tito, qui est socius meus, & in vobis adiutor, siue fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum. ℟. O si iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt, & Ierusalem Euangelistam dabo.

Psal. 36. Isai. 41.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luca 10. IN illo tempore: Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quò erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quamcumque domũ intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque domũ intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. Credo. Offertoriũ. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso: vitam petijt à te, & tribuisti ei. Psal. 20.

Secreta.

DOnis cælestibus da nobis, quæsumus Domine, libera tibi mẽte seruire: vt munera quæ deferimus, interueniente beato Luca Euangelista tuo, & medelam nobis operentur, & gloriam. Per Dominum. Præfatio. Te Domine. Communio. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Matt. 25.

Postcommunio.

REpleti Domine benedictione cælesti, suppliciter exoramus: vt quod fragili celebramus officio, beati Lucæ Euangelistæ tui nobis prodesse sentiamus auxilio. Per.

IN FESTO SS. VNDECIM Millium Virginum. Officium. Die 21.



Audeamus omnes in Domino, diẽ festum celebrantes sub honore Sãctarum Virginum: de quarum passione gaudent Angeli, & collaudant Filiũ Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonũ: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in. Psal. 44.

Oratio.

DEus gloria virginum, & amator earum, qui beatæ Vrsulæ in palma martyrij contulisti Vndecim millium Virginum comitatum: con-

concede nobis propitius, earum multiplici interuentu, petitionum efficaciam, fidei constantiam, & operis puritatem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 10. & 11. FRatres: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Exo. 15. ℟. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua cōfregit inimicū. Alleluia, ℣. Psal. 44. Adducentur Regi virgines post eā: proximæ eius afferentur tibi in lætitia.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiā sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autē sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vēdentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicētes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Offertorium. Offerentur Regi Psal. 44. virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regi Domino. Secreta.

HOstiarum nostrarum tibi Domine quæsumus deuotio placeat: & quod in ea pro nostra fragilitate deest, beatæ Vrsulæ sociarūq. eius intercessio suppleat gloriosa. Per. Cōio. Quinque prudentes virgines Matt. 25. acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autē nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam Christo Domino.

Postcommunio.

BEatæ Vrsulæ, & vndecim millium Virginum sociarum eius, quæsumus Domine, sacra nos defendat oratio: & præstet, vt redemptionis pretium quod sumimus in altari, in cælis ad Patris dexteram reuelata facie videamus, Dominum nostrum Iesum Christum.

S. HILARIONIS ABBATIS. Die 21.

Officium.



OS iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in Psal. 36.

corde ipſius. ℣. Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Gloria Patri.

Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Hilarionis Abbatis cõmendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 45. DIlectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu regum, & iuſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne: audiuit enim vocem ipſius, & induxit illum in nubem: & dedit illi coram præcepta, & legem

Pſal. 36. vitæ, & diſciplinæ. ℟. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius. Alleluia. ℣. Diſpoſui teſtamentum electis meis: iuraui Dauid ſeruo meo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 19. IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Ieſus autẽ dixit illis: Amẽ dico vobis quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meũ, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Offertorium. Deſiderium animæ eius tribuiſti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Pſal. 20.

Secreta.

SAcris altaribus Domine hoſtias ſuperpoſitas ſanctus Hilarion Abbas, quæſumus, in ſalutem nobis prouenire depoſcat. Per Dominum.


Communio. Beatus ſeruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Matt. 24.

Poſtcommunio.

PRotegat nos Domine cum tui perceptione ſacramenti beatus Hilarion Abbas pro nobis intercedendo: vt conuerſationis eius experiamur inſignia, & interceſſionis ipſius percipiamus ſuffragia. Per.

SANCTORVM Crispini & Criſpiniani Martyrum. Octob. 25.

Officium.



INtret in conſpectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis noſtris ſeptuplũ in ſinu eorum: vindica ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt. ℣. Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt tẽplum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam. Gloria Patri. Pſal. 78.

Oratio.

DEus, qui nos concedis ſanctorum martyrum tuorum Criſpini &

ni & Crispiniani natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine, de eorum societate gaudere. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 5. IVsti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum: & cogitatio eorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem. ℞. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute tua: dextera manus tua confregit inimicū. Alleluia. ℣. Te Martyrū candidatus laudat exercitus Dñe.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 5. IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugēt: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiā consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniā ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Offertorium. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Psal. 67.

Secreta.

MVnera tibi Domine nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per. Communio. Posuerunt mortalia seruorum tuorū Domine escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum. Psal. 78.

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, intercedentibus sanctis martyribus tuis Crispino & Crispiniano, vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

IN VIGILIA APOSTOLORVM Simonis & Iudæ. Officium. Dan. 3.



Ntret in cōspectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorū: vindica sanguinē Sanctorum tuorum, qui effusus est. Psal. 78.
℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

CONcede, quæsumus omnipotens Deus: vt sicut Apostolorum tuorum Simonis & Iudæ gloriosa natalitia præuenimus: sic ad tua beneficia promerenda, maiestatem tuam pro nobis ipsi præueniant. Per.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 4 FRatres: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Vindica Domine sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ. Psal. 78.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum: vt fructum plus afferat. Iã vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Offertorium. Exultabunt Sancti in gloria, lætabũtur in cubilibus suis: exaltationes Dei in faucibus eorum. Secreta. Psal. 149.

MVneribus nostris Domine sãctorum Apostolorum tuorũ Simonis & Iudæ festa præcedimus, te suppliciter deprecantes: vt quæ cõscientiæ nostræ præpediuntur obstaculis, illorum meritis grata reddantur. Per Dominum. Communio. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Sap. 3.

Postcommunio.

SVmpto Domine sacramento suppliciter deprecamur: vt intercedentibus beatis Apostolis tuis Simone, & Iuda, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per Dominum nostrum Iesum.

IN DIE SS. APOSTOLORVM Simonis & Iudæ. Officium. Die 28.

MIhi autem nimis honorati sũt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Domine probasti me, & Psal. 138.

cogno-

cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meã. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DEus, qui nos per beatos Apostolos tuos Simonem & Iudam ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuũ. Qui tecum viuit & regnat.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Cap. 4. FRatres: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. ℟. Nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Dinumerabo eos: & super arenam multiplicabuntur. Alleluia. ℣. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Psal. 138. Ioan. 15.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 15. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Nõ est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Credo. Offertorium. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Psal. 18.

Secreta.

GLoriam Domine Sanctorum Apostolorum tuorum Simonis & Iudæ perpetuam venerantes, quæsumus: vt eam sacris mysterijs expiati, dignius celebremus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filiũ tuum. Præfatio. Te Domine. Communio. Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Matt. 19.

Post-

Postcommunio.

PErceptis Domine sacramentis supplices te rogamus: vt intercedentibus beatis Apostolis tuis Simone & Iuda, quæ pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

Die 31. IN VIGILIA OMNIUM Sanctorum. Officium.

Psal. 33. 
Imete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum: diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

DOmine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam: & quorum præuenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per Dominum.

Die 31. EODEM DIE S. QVINTINI Martyris. Oratio.


Desto Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Quintini martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apoc. 5. IN diebus illis: Ecce ego Ioannes vidi in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accepit librum de dextera sedentis in throno: & cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Et cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium voce magna dicentium: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, In sæcula sæculorũ.

℟. Gloriosus Deus in Sanctis suis: mirabilis in maiestate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua Domine glorificata est in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Exo. 15.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: Luc. 6.

quia

quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quoniã saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Offertorium. Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde. Secreta.

Psal. 31.

ALtare tuum Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis: da quæsumus, vt ad salutem nostram omnium Sanctorum tuorum deprecatione proficiant, quorum solemnia ventura præcurrimus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

De S. Quintino. Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus Domine, precibusq. susceptis: intercedente beato Quintino martyre tuo, & cælestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Communio. Ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Ioan. 15.

Postcommunio.

SAcramentis Domine, & gaudijs optata celebritate expletis, quæsumus: vt eorum precibus adiuuemur, quorum recordationibus exhibentur. Per Dominum nostrum.

De S. Quintino. Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt qui cælestia alimenta percepimus, intercedente beato Quintino martyre tuo, per hæc contra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum Iesum.

IN DIE OMNIVM SANCTORVM. OFFICIVM.



GAVDEAMVS omnes in Domino, diẽ festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium: de quorum solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

Psal. 32.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub vna tribuisti celebritate venerari: quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Lectio

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

Apo. 7. ECce ego Ioannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Nephtali duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Leui duodecim millia signati. Ex tribu Issachar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph duodecim millia signati. Ex tribu Beniamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronũ, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorũ, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deũ, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen. ℟. Timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum. Psal. 33. ℣. Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Alleluia. ℣. Iudicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis: & regnabit illorum Rex in æternum. Sap. 3. Sequentia. Supernæ matris gaudia repræsentet. Inter Sequentias in fine Missalis. 71.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugẽt: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiã consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiũtur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mẽtientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Credo. Offertorium. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Psal. 67.

Secre-

Secreta.

MVnera tibi Domine nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore Iustorum, & nobis salutaria te miserante reddantur. Per. Com. Gaudete Iusti in Domino, alleluia: rectos decet collaudatio, alleluia.

Psal. 32.

Postcommunio.

DA, quæsumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorũ tuorum semper veneratione lætari; & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum nostrum Iesum. Per Octauas, & in Octauis omnium Sanctorum, fiant omnia sicut in Die; excepta Sequentia, & Credo.

Die 2. IN COMMEMORATIONE omnium fidelium Defunctorum.

DIcatur Missa. Requiem æternam. Prima quæ est posita in Missis Defunctorum ad finem Missalis, & vna tantũ Oratio dicatur. 50.

Die 9. S. THEODORI MARTYRIS.

Officium.

Psal. 20. IN virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desideriũ animæ eius tribuisti ei. ℣. Quoniam præuenisti eũ in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Gloria Patri. Oratio.

DEus, qui nos beati Theodori martyris tui cõfessione gloriosa circumdas & protegis: præsta nobis ex eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Pro. 3. BEatus homo, qui inuenit sapientiã, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus eius: pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia. Sapientia illius eruperũt abyssi, & nubes rore concrescunt. ℟. Psal. 20. Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. ℣. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Alleluia. ℣. Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominũ, qui ad gaudium transijt Angelorum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nihil opertum, quod nõ reueletur: neque occultum, quod nõ sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse væneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo, qui confitebitur

me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Offertorium. Gloria & honore coronasti eum: & constituisti eũ super opera manuum tuarum Domine.

Psal. 8.

Secreta.

SVscipe Domine fidelium preces cum oblationibus hostiarum: & intercedente beato Theodoro martyre tuo, per hæc piæ deuotionis officia, ad cælestem gloriam transeamus. Per Dominũ. Communio. Posuisti Domine in capite eius coronã de lapide pretioso. Postcommunio.

Psal. 20.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, intercedente beato Theodoro martyre tuo: vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per.

Die 10.

IN FESTO SS. QVATVOR Coronatorum. Officium.

Psal. 78.



INtret in cõspectu tuo Domine gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorũ: vindica sanguinẽ Sanctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui gloriosos Martyres fortes in sua cõfessione cognouimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

REddidit Deus iustis mercedem labiorum suorum, & eduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem. Transtulit illos per mare Rubrum, & transuexit illos per aquã nimiam: inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuũ, & victricem manum tuam laudauerunt pariter, Domine Deus noster. ℟. Vindica Domine sanguinem Sãctorum tuorum, qui effusus est. ℣. Posuerunt mortalia seruorum tuorũ escas volatilibus cæli: carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ. Alleluia. ℣. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione: & lauerũt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.

Psal. 78.

Apo. 7.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 21.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris nõ præmeditari quemadmodum respõdeatis: ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus,

tibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.
Psal. 123. Offertorium. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Secreta.

BEnedictio tua Domine larga descendat: quæ & munera nostra, deprecantibus sanctis Martyribus tuis, tibi reddat accepta, & nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum nostrum. Communio.
Psal. 78. Posuerunt mortalia seruorum tuorũ Domine escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ: secũdum magnitudinem brachij tui posside filios morte punitorum.

Postcommunio.

CAelestibus refecti sacramentis, & gaudijs supplices te Domine deprecamur: vt quorum gloriamur triumphis, protegamur auxilijs. Per.

Die 11. S. MARTINI EPISCOPI & Confessoris. Officium.

Eccl. 45. STatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum. ℣. Misericordias Domini in æternum cantabo.
Psal. 88. Gloria Patri. Gloria in excelsis.

Oratio.

DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius, vt intercessione beati Martini confessoris tui atque Pontificis, cõtra omnia aduersa muniamur. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE S. MENNAE Martyris. Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: vt qui beati Mennæ martyris tui natalitia colimus, intercessione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 44. & 45. ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi. Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam: benedictionem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius. Cognouit eũ in benedictionibus suis, conseruauit illi misericordiã suam, & inuenit gratiam corã oculis Domini. Magnificauit eum in conspectu regũ, & dedit illi coronã gloriæ. Statuit illi testamẽtum sempiternum, & dedit illi Sacerdotium magnum, & beatificauit illum in gloria. Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incẽsum dignum in odorem suauitatis. ℟. Inueni Dauid
Psal. 88. seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachiũ meum cõfortabit eum. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Alleluia. ℣. Hic Martinus pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nemo accendit lucernã, & in

& in abscondito ponit, neq. sub modio, sed super candelabrum: vt qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumē quod in te est, tenebræ sint. Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Offertorium. Psal. 88 Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Secreta.

DA, misericors Deus: vt nos hæc salutaris oblatio, intercedente beato Martino confessore tuo atque Pontifice, & à proprijs reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum.

De S. Menna. Secreta.

OBlatis quæsumus Domine, placare muneribus: & intercedēte beato Menna martyre tuo, à cunctis nos defende periculis. Per Dominum. Communio. Luc. 12 Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus Domine Deus noster: vt quorum festiuitate votiua sunt sacramenta, eorum salutaria nobis intercessione reddantur. Per.

De S. Menna. Postcommunio.

SIt nobis Domine reparatio mentis & corporis cæleste mysterium: vt cuius exequimur actionem, intercedente beato Menna martyre tuo, sentiamus effectum. Per.

Per Octauas Sancti Martini, & in Octaua ipsius fiat sicut in Die.

S. BRITII EPISCOPI & Confessoris. Die 13. Oratio.



DA quæsumus omnipotens Deus: vt beatij Britij confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SAncti tui nos, Domine quæsumus, vbique lætificent: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Britio confessore tuo atq. Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum Iesum.

S. ELISABETH VIDVAE. Die 19.

Officium.



GAudeamus omnes in Domino, diem festū celebrantes sub honore beatæ Elisabeth viduæ: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Psal. 44 Gloria Patri & Filio. Oratio.

TVorum corda fidelium Deus miserator illustra: & beatæ Elisabeth precibus gloriosis, fac nos prospera mundi despicere, & cælesti semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio

Lectio Libri Sapientiæ.

Pro. 31. MVlierem fortē quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit. Reddet ei bonū, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Considerauit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius. ℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiā: Psal. 44. & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Respiciens Iesus Luc. 21. vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentē æra minuta duo. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit. Offertoriū. Filiæ Regum in honore tuo: astitit Psal. 44. Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Secreta.

MVnera Domine nostræ deuotionis offerimus: vt tibi grata, & nobis salutaria, beatæ Elisabeth pia supplicatione reddantur. Per Dominum nostrum. Communio. Diffusa est gratia in labijs tuis: propterea Psal. 44. benedixit te Deus in æternum.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt quos salutaribus dignatus es erudire mysterijs, beatæ Elisabeth intercessione gloriosa, cælestibus reficias alimentis. Per Dominum nostrum.

Die 21. IN FESTO PRAESENTATIOnis B. Mariæ Virginis. Officium.



Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis: de cuius Præsentatione gaudent Angeli, & collaudant Filiũ
Psal. 44 Dei. ℣. Eructauit cor meum verbũ bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gloria in. Oratio.

DEus, qui beatam Mariam semper virginem, Spiritus sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta quæsumus, vt eius intercessione in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 24. AB initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. ℟.
Psal. 44. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia cõcupiuit Rex speciem tuam. Alleluia. ℣. Præsentatio gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.


Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Credo. Offertorium. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster. Secreta.

VNigeniti tui Domine nobis succurrat humanitas: vt qui natus de Virgine, matris integritatem non minuit, sed sacrauit: in Præsentationis eius solemnijs, nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit. Præfatio. Et te in Præsentatione. Communio. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. Postcommunio.

SVmpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiua sacramenta: præsta quæsumus, vt temporalis vitæ nobis remedia præbeant, & æternæ. Per

S. CAECILIAE VIRGINIS & Martyris. Officium. Die 22.



Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regũ, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. Psal. 118.
℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ virginis & martyris tuæ solemnitate lætificas: da vt quam veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Dñm.

Lectio Libri Sapientiæ.

DOmine Deus meus exaltasti super terram habitationem meã, Eccl. 51.

& pro

& pro morte defluente deprecata sum. Inuocaui Dominum Patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborũ sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea. Liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor tibi, & laudem dicam nomini tuo, Domine Deus noster. ℟. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex speciem tuam. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex speciem tuam.

Psal. 44.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25.

IN illo tẽpore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. Offertorium. Offerentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regi Domino.

Psal. 44.

Secreta.

HAec hostia, Domine, placationis & laudis, quæsumus, interueniente beata Cæcilia virgine & martyre tua, nos tua propitiatione dignos semper efficiat. Per Dominũ. Communio. Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem in mandatis tuis exercebor, in tuis iustificationibus, vt non confundar.

Psal. 118.

Postcommunio.

SAtiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: eius quæsumus interuentione nos refoue, cuius solemnia celebramus. Per Dominum.

S. CLEMENTIS PAPAE & Martyris. Officium.

Die 23.



DIcit Dominus: Sermones mei, quos dedi in os tuum, non deficient: adest enim nomen tuum, & munera tua accepta erunt super altare meum. ℣. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo.

Psal. 101.

Oratio.

DEus, qui nos annua beati Clementis martyris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Cap. 3. & 4. FRatres: Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebã vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua possit etiam subijcere sibi omnia. Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic statę in Domino, charissimi. Euodiam rogo, & Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. ℟. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. ℣. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Alleluia. ℣. Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Psal. 109.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora Filius hominis venturus sit. Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem: amen dico vobis, quoniã super omnia bona sua constituet eum. Matt. 24. Offertorium. Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso: vitam petijt à te, & tribuisti ei. Psal. 20.

Secreta.

MVnera Domine oblata sanctifica: & intercedente beato Clemente martyre tuo atque Pontifice, per hæc nos à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum. Communio. Beatus seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Matt. 24.

Postcommunio.

COrporis sacri, & pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus Domine Deus noster: vt quod pia deuotione gerimus, intercedente beato Clemente martyre tuo atque Pontifice, certa redemptione capiamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus.

S. CHRY-

Die 24. S. CHRYSOGONI MARTYRIS.

Officium.

Psal. 20. N virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei. ℣. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Gloria Patri.

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus: beati Chrysogoni martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Sap. 10. IVstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorũ: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium illi affuit, & honestum fecit illum. Custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam, Dominus Deus noster.

Psal. 111. ℟. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorũ benedicetur. Alleluia. ℣. Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso. Psal. 20.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 10. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladiũ: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum, qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Offertorium.

Psal. 10. In virtute tua Domine lætabitur iustus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ eius tribuisti ei.

Secreta.

OBlatis quæsumus Domine placare muneribus: & intercedente beato Chrysogono martyre tuo, à cunctis nos defende periculis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filiũ. Communio. Magna est gloria eius Psal. 20.

eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem impones super eum Domine. Postcommunio.

TVi Domine perceptione sacramenti & à nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidijs. Per Dominum nostrum.

Die 25. SANCTAE CATHARINAE Virginis & Martyris. Officium.



Psal. 118. LOquebar de testimonijs tuis in conspectu regũ, & non confundebar: & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. ℣. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Gloria Patri & Filio. Gloria in. Oratio.

DEus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, & in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta quæsumus, vt eius meritis & intercessione, ad montem, qui Christus est, peruenire valeamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 51. COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deũ saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meũ à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escã, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me: à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniusta. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de manibus Gẽtium, Domine Deus noster. ℟. Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna. Psal. 44. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia cõcupiuit Rex speciem tuam. Sequentia. Adest dies. Inter Sequentias in fine Missalis. 72.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 25. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiã sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes: sed quinquæ fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent

emere,

emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cũ eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens, ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.

Pſal. 44. Offertorium. Filiæ regum in honore tuo: aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.

Secreta.

HOſtia, quæſumus Domine, quam tibi ſanctæ Catharinæ virginis & martyris tuæ natalitia recẽſentes offerimus, & vincula noſtræ prauitatis abſoluat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per Dominum noſtrum.

Pſal. 118. Communio. Feci iudicium, & iuſtitiam Domine, non calumnientur mihi ſuperbi: ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.

Poſtcommunio.

QVæſumus Domine ſalutaribus repleti myſterijs: vt cuius ſolemnia celebramus, eius orationibus adiuuemur. Per Dñm.

Die 27. SANCTORVM Vitalis & Agricolæ Martyrum.

Officium.



Eccl. 44. SApientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorũ nunciet Eccleſia: nomina autem eorum viuent in ſæculum ſæculi.

Pſal. 32. ℣. Exultate iuſti in Domino: rectos decet collaudatio. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt qui beatorum martyrum tuorum Vitalis & Agricolæ ſolemnia colimus, eorum apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Pro. 10 & 11. EXpectatio iuſtorum lætitia: ſpes autem impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis via Domini: & pauor his, qui operantur malum. Iuſtus in æternum non commouebitur: impij autem non habitabunt ſuper terram. Os iuſti parturiet ſapientiam: lingua prauorum peribit. Labia iuſti conſiderant placita: & os impiorum peruerſa. Simplicitas iuſtorum diriget eos: & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos. Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iuſtitia autem liberabit à morte. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius: & in impietate ſua corruet impius. Iuſtitia rectorum liberabit eos: & in inſidijs ſuis capientur iniqui. Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes: & expectatio ſollicitorum peribit. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt: & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicũ ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. In bonis iuſtorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione iuſtorũ exaltabitur ciuitas.

Pſal. 149. ℟. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis. ℣. Cantate Domino canticum nouum: laus eius in Eccleſia ſanctorum. Alleluia.

Pſal. 88. ℣. Mirabilis Deus noſter in Sanctis ſuis.


Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuũ docebat eos, dicens:

MISSAE VOTIVAE

DE S. TRINITATE.

Officium.


Enedicta sit sancta Trinitas, atque indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiā suam. Tempore Resurrectionis Alleluia, alleluia. ℣. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2 Cor. 13. FRatres: Gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. ℟. Benedictus es Domine, qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim. ℣. Benedicite Deum cæli: Tob. 12. quia fecit nobiscum misericordiam suam. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis in sæcula. Infra Septuagesimam. Tractus. Benedicant te Domine omnes Angeli, & sancti tui. ℣. Benedicant te cæli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Dan. 3. ℣. Benedictum sit nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum, laudabile, & gloriosum. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Benedictus es Domine. vt supra.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Cap. 15. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis: vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Offertor. Benedictus sit Deus Pater, vnigenitusq. Dei Filius, sanctus quoque Spiritus: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

SAnctifica, quæsumus Domine Deus, per tui sancti nominis inuocationem huius oblationis hostiam: & per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum. Commun. Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viuen-

viuentibus confitebimur ei: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Tempore Resurrect. Alleluia.

Postcommunio.

PRoficiat nobis ad salutem corporis & animæ, Domine Deus, huius sacramenti susceptio, & sempiternæ sanctæ Trinitatis, eiusdemq. indiuiduæ vnitatis confessio. Per Dominum nostrum.

DE SANCTISSIMO Corpore Christi. Officium.

Psal. 80.



CIbauit eos ex adipe frumenti, alleluia: & de petra, melle saturauit eos, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 11.

FRatres: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentũ est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini. ℟. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das illis escam in tempore opportuno. ℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Alleluia. ℣. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Psal. 144.

Ioan. 6.

Infra Septuagesimam. Tractus. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. ℣. Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus est! ℣. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Psal. 22.

Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Surrexit Christus, & illuxit populo suo: quem redemit ipse sanguine suo.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Cap. 6.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet.

uet propter me. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Offertorium. Leu. 21. Sacerdotes Domini incensum, & panes offerunt Deo: & ideo sancti erũt Deo suo, & non polluent nomen eius, alleluia. Secreta.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, vnitatis & pacis propitius dona concede: quæ sub oblatis muneribus mystice designantur. Per. 1 Cor. 11. Communio. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat: itaque quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini, alleluia.

Postcommunio.

FAc nos, quæsumus Domine, diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri: quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre.

MISSA DE QVINQVE Stigmatibus Domini nostri Iesu Christi. Officium.



Phil. 2. HVmiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus vsque ad mortem, mortem autẽ Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 88. ℣. Misericordias Domini in æternũ cantabo. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. non dicatur, nisi regulariter sit dicendum.

Oratio.

DEus, qui vnigeniti Filij tui passione, & copiosa per quinque Vulnera sui sanguinis effusione, humanam naturam peccato perditã reparasti: tribue nobis quæsumus, vt qui illius passionis gloriam, & ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, eiusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in cælis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Zachariæ Prophetæ.

HAec dicit Dominus: Effundam super domum Dauid, & super omnes habitantes Ierusalem, spiritum gratiæ, & miserationis, & aspicient in eum quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. In die illa erit planctus magnus in Ierusalem: & dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarũ? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oues, Ait Dominus omnipotens. ℟. Improperium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni. Psal. 68. ℣. Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto. Alleluia. ℣. Aue Rex noster: tu solus nostros es miseratus errores, Patri obediens ductus es ad crucifigendum, vt Agnus mansuetus ad occisionem. Intra Septuages. Tractus.

Isaiæ. 53. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. ℣. Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. ℣. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ℣. Disciplina pacis super eum, & liuore eius sanati sumus. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Aue Rex noster. Hoc solum dicatur.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 19. IN illo tempore: Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudæi ergo quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Offertorium. Insurrexerunt in me viri iniqui: & absque misericordia quæsierunt me interficere: & non pepercerunt in faciem meam conspuere: & lanceis suis vulnerauerũt me, & omnia ossa mea concussa sunt. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificiũ, intercedente vnigeniti Filij tui, mediantibus quinque Vulneribus, Passione, viuificet nos semper, & muniat. Qui tecum viuit, & regnat. Communio. Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Postcommunio. Psal. 21.

REfecti vitalibus alimonijs, quæsumus Domine Deus noster: vt qui Stigmata Domini nostri Iesu Christi venerando colimus, hæc in nostris cordibus impressa, moribus, & vita teneamus. Per eundem Dominum nostrum.

MISSA IN HONOREM pœnarum Domini nostri Iesu Christi. Officium.



ECce vidimus Dominum Iesum non habentem speciem, neque decorem, aspectus eius in eo non est: hic peccata nostra portauit, & pro nobis omnibus dolens: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: cuius liuore sanati sumus. ℣. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur. Isaiæ 53. Psal. 2.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui passionem Filij tui Domini nostri Iesu Christi in pretium redemptionis humanæ misericorditer suscepisti: concede propitius, vt sicut hodie Pœnarum, & Dolorum passionis

sionis eius memoriam celebramus, ita eorumdem fructus mereamur esse participes. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Isaia 53. IN diebus illis: Dixit Isaias: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum: despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suã declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. ℞. Sicut ouis ad occisionem ductus est, & dum male tractaretur, non aperuit os suum: traditus est ad mortem, vt viuificaret populum suum. ℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: & nos reputauimus eum quasi leprosum, percussum à Deo, & humiliatum. Alleluia. ℣. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Infra Septu. Tractus. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. ℣. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. ℣. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. ℣. Disciplina pacis super eum, & liuore eius sanati sumus. Tempore Pasch. Alleluia. ℣. O vos omnes, qui transitis. Hoc solum dicatur.

(Marginal references: Isaia 53.; Thren. 1.; Isaia 53.)

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Io. 19. IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectẽtes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. (Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureũ vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicẽtes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legẽ debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cũ ergo audisset Pilatus hunc sermonẽ, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus:


Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatē aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta. Et dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderūt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum: & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraice autem Golgotha: vbi eum crucifixerunt, & cum eo alios duos hinc, & hinc, mediū autem
Psal. 68. Iesum. Offertorium. Improperium expectauit cor meum, & miseriam: & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem me quæsiui, & non inueni: & dederunt in escā meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Christi Filij tui beata passione nos reparas: conserua in nobis opera misericordiæ tuæ, vt in huius celebritate mysterij perpetua deuotione viuamus. Per eundem Dominum. Communio. Foderunt manus Psal. 21.
meas, & pedes meos: & dinumerauerunt omnia ossa mea. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Postcommunio.

REfecti vitalibus alimentis omnipotens Deus, te suppliciter exoramus: vt sicut pœnas, & dolores, quos Filius tuus Dominus noster in sua passione sustinuit, deuoto celebramus affectu, ita semper benigno nos protegas auxilio, & continua pietate ab omni malo præserues. Per eundem Dominum.

MISSA DE SANCTISSIMO nomine IESV. Officium.



IN nomine Iesu omne genu flectatur cælestiū, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℣. Laudate Dominum, quoniam bonus est Dominus: Psal. 134.
psallite nomini eius, quoniam suaue. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

DEus, qui gloriosissimum nomen Iesu Christi Filij tui Domini nostri fidelibus tuis fecisti sūmæ suauitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum: concede propitius, vt omnes qui illud venerantur in terris, sanctæ cōsolationis dulcedinē in præsenti, & in futuro gaudium interminabilis beatitudinis obtineant. Per eundem Dominum.

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis: Petrus repletus Spiritu sancto dixit: Principes Act. 4.
po-

populi, & seniores audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificãtibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oportet nos saluos
Psal. 112. fieri. ℟. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. ℣. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Alleluia.
Pro. 18. ℣. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.
Psal. 68. Infra Septuag. Tract. Laudate nomẽ Dei cũ cantico: & magnificabo eum
Psal. 144. in laude. ℣. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicet om-
Psal. 78. nis caro nomẽ sanctũ eius. ℣. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriã nominis tui libera nos. ℣. Propitius esto peccatis nostris, Domine, propter nomen tuum. Alleluia.
Io. 16. Tempore Paschali. ℣. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis. Sequentia. Dulcis Iesus Nazarenus.. inter Sequentias in fine Missalis, si quis dicere voluerit.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 2. IN illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Quod vocatum est ab Angelo, priusquã in vtero conciperetur.

Offertorium. A bortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est, dicit Dominus exercituum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Mal. 1. Secreta.

IN veneratione nominis dilectissimi Filij tui Domini nostri, misericordiarum Pater, deuotis mentibus hostias immolamus, suppliciter deprecantes: vt corda nostra eius nominis dulcedine impinguari, & in nullo, nisi in te Deo vero delectari facias. Per eundem. Communio. Benedic anima mea Domino: & omnia, Psal. 102. quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Postcommunio.

SAcrosãcta mysteria, quæ sumpsimus, Domine, in honorem amabilissimi nominis Filij tui Domini nostri Iesu Christi, concede quæsumus, vt affectum nostrum ad hoc salutiferum nomen Iesu diligendum inflamment: & ad iubilandum in Deo salutari nostro feliciter promoueant. Per eundem Dominum.

DE SANCTA CRVCE.

Officium.

NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi: in quo est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati, & liberati sumus. Tempore Gal. 6 Resurrectionis, Alleluia, alleluia.
℣. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum Psal. 66. super nos, & misereatur nostri. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Non dicatur. Gloria in excelsis Deo. nisi eadem die regulariter dicatur.

Oratio.

DEus, qui vnigeniti Filij tui pretioso sanguine viuificæ Crucis vexillum sanctificare voluisti: concede quæsumus, eos, qui eiusdem sanctæ Crucis gaudent honore, tua quoque vbique protectione gaudere. Per eundem.

Tempore Resurrectionis. Oratio.

DEus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenses.

Phil. 2. FRatres: Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne * genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ℟. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. ℣. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Alleluia. ℣. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: quæ sola fuisti digna sustinere Regem cælorum, & Dominum. Infra Septuages. Tractus. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. ℣. Miserere nostri Iesu benigne, qui passus es cleměter pro nobis. ℣. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum, & Dominum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Dulce lignum. Secundum Alleluia. ℣. Surrexit Dominus de sepulchro, qui pro nobis pependit in ligno.

* Hic genuflectitur.

Phil. 2.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore: Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Offertorium. Protege Domine plebem tuam per signum sanctæ Crucis, ab omnibus insidijs inimicorum omnium: vt tibi gratam exhibeamus seruitutem, & acceptabile tibi fiat sacrificium nostrum. Tempore Resurrect. Alleluia. Cap. 20.

Secreta.

HAec oblatio, quæsumus Domine, ab omnibus nos purget offensis: quæ in ara Crucis immolata, etiam totius mundi tulit offensam. Per Dominum.

Tempore Resurrectionis. Secreta.

PVrifica nos misericors Deus, vt Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum. Non dicatur Præfatio. Qui salutem humani. Communio. Per lignum serui facti sumus, & per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Post-

Postcommunio.

Adesto nobis Domine Deus noster, & quos sanctæ Crucis lætari facis honore, eius quoque perpetuis defende subsidijs. Per Dominum nostrum.

Temp. Resurrect. Postcommunio.

Largire sensibus nostris omnipotens Deus, vt per temporalem Filij tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam nobis te dedisse perpetuam confidamus. Per eundem Dominum.

DE SANCTO SPIRITV.

Officium.

Sap. 1 Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, alleluia: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, Alleluia, alleluia. ℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem. Psal. 67. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur.

Oratio.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum. eiusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

Cap. 8. In diebus illis: Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctũ.

℟. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum: populus quem elegit Dominus in hereditatẽ sibi. Psal. 32. ℣. Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende.

Sequentia.

Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine nihil est in homine: nihil est innoxium.

Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus in te confidentibus: sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14. In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonẽ quem audistis, non est meus: sed eius qui misit me, Patris. Hæc locutus sum

vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscũ: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi

Psal. 67. Pater, sic facio. Offertorium. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo tuo quod est in Ierusalem, tibi offerent reges munera, alleluia. Secreta.

MVnera quæsumus Domine oblata sanctifica: & corda nostra sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Non dicatur Præfatio de Spiritu sancto, Qui ascendens. Communio. Factus est repente de cælo sonus aduenientis spiritus vehementis, vbi erant sedentes, alleluia: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia. Act. 2.

Postcommunio.

SAncti Spiritus, quæsumus Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum nostrum. eiusdem.

INFRA SEPTVAGESimam de Spiritu Sancto. Officiũ. Ezec. 36.



CVm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris, & effundã super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouũ. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Psal. 33. Gloria Patri. Tractus. Cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel. ℣. Dominus dabit verbũ euangelizantibus virtute multa. ℣. Ipse dabit fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Cetera vt supra, excepto quod nullum Alleluia dicatur. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorũ. vt supra. Cetera vt supra. Psal. 67.

MISSAE B. VIRG. MARIAE in Sabbato. Per Aduentum. Officiũ. Isaiæ 45.



ROrate cæli desuper, & nubes pluant Iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. ℣. Et iustitia oriatur simul: ego Dominus creaui eum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Oratio.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis vtero, Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis: vt qui vere eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi Cap. 7.

signum

signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, &
Psal. 18. eligere bonum. ℟. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. ℣. A summo cælo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius. Alleluia ℣. Virga Iesse floruit, Virgo Deum, & hominem genuit: pacē Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Sequentia. Verbum bonum. In principio Sequentiarum.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 1. IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid; & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, & ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deū omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secūdum verbum tuum. Offertorium.
Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Luc. 1.

Secreta.

IN mentibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei sacramenta confirma: vt qui conceptum de virgine Deum verum & hominem confitemur: per eiusdem salutiferæ resurrectionis potentiam, ad æternā mereamur peruenire lætitiam. Per eundem Dominum nostrum.


Præfatio. Et te in veneratione.
Communio. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Isaia 7.

Postcommunio.

GRatiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: vt qui Angelo nunciante Christi Filij tui incarnationem cognouimus: per passionem eius & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit.

A NA-

A NATIVITATE DOMINI vſque ad Purificationem: Officium.

Sedulius. Alue ſancta parens, enixa puerpera Regem: qui cælum, terramque regit in ſæcula ſæculorum. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti: Dei Genitrix intercede pro nobis. Gloria Patri. Gloria in excelſis. Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Titum.

Cap. 3. CHariſſime: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuā miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ, In Chriſto Ieſu Domino noſtro. ℟. Benedicta, & venerabilis es virgo Maria, quæ ſine tactu pudoris inuenta es Mater Saluatoris. ℣. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis: In tua ſe clauſit viſcera factus homo. Alleluia. ℣. Virga Ieſſe floruit, virgo Deum & hominem genuit: pacem Deus reddidit, in ſe reconcilians ima ſummis. Infra Septuageſimam. Tractus. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti. ℣. Dum virgo Deum & hominem genuiſti: & poſt partum virgo inuiolata permanſiſti. ℣. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Sedulius. (margin beside "Saluatoris")

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore: Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Offertorium. Felix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima: quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Secreta. Cap. 2.

MVneribus noſtris, quæſumus Domine, precibuſq. ſuſceptis: intercedente beata Dei Genitrice Maria, & cæleſtibus nos munda myſterijs, & clementer exaudi. Per eundem. Præfatio. Quia per incarnati. Communio. Beata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. Poſtcommunio.

HAec nos communio Domine purget à crimine: & intercedēte beata Dei Genitrice Maria, cæleſtis

lestis remedij faciat esse consortes. Per eundem.

A PVRIFICATIONE vsque ad Aduentum Officium.

Sedulius. Alue sancta parens, enixa puerpera Regem: qui cælum, terramque regit in sæcula sæculorum. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Post partum Virgo inuiolata permansisti: Dei Genitrix intercede pro nobis. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis salute gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 24. AB initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detẽtio mea. ℟. Benedicta, & venerabilis es virgõ Maria, quæ sine tactu pudoris inuenta es mater Saluatoris. ℣. Virgo Sedulius. Dei Genitrix, quem totus non capit orbis: In tua se clausit viscera factus homo. Alleluia. ℣. Virga Iesse floruit, virgo Deum & hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Infra Septuagesi. Tract. Gaude Maria. vt in superiori Missa. Temp. Resurrect. Primũ Alleluia. ℣. Virga Iesse. Secundum Alleluia ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Matt. 28. Tempore Ascensionis, Secundum Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatẽ: dedit dona hominibus. Ephes. 4.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 11. IN illo tempore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Offert. Recordare Virgo Mater dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona, & vt auertas indignationem suam à nobis. Temp. Pasch. Alleluia. Secreta.

TVa Domine propitiatione, & B. Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem, & pacem. Per Dominum nostrum. Præfatio. Et te in veneratione. Communio. Aue Regina cælorum, Mater Regis Angelorum: ô Maria flos virginum, velut rosa, vel lilium, funde preces ad Filium, pro salute fidelium. Tempore Paschali. Alleluia, alleluia.

Postcommunio.

SVmptis Domine salutis nostræ subsidijs, da quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis nos patrocinijs vbique protegi: in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum nostrum. Sequens Euangeliũ dicitur in Missa Voti-

Votiuis de B. Maria, & in Sabbatis, quando de eadem agitur, à Pascha vsque ad Pentecosten exclusiue.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 19. IN illo tempore: Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

MISSA VOTIVA PER Anni circulum Sanctissimi Rosarij Beatæ Virginis.



SAlue radix sancta, salue mundi gloria: ò Maria flos virginum, velut rosa, vel lilium: tuum pro nobis deprecare Filium. Tempore Paschali. Alleluia, alleluia. ℣. Gratia super gratiam, mulier Eccl. 26. sancta, & pudorata. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur.

Oratio.

OMnipotẽs, & misericors Deus, qui ab æterno Vnigenitum tibi coæqualem, atque consubstantialem Filium secundum carnem prædestinasti in Spiritu sanctificationis, Dominum nostrum Iesum Christũ: & sanctissimam Virginem Mariam tibi acceptissimam in matrem eidem à sæculo prælegisti: præsta quæsumus, vt amborum meritis per sacra quindecim mysteria sacratissimi Rosarij completis, ita in præsenti simus illis addicti: quatenus etiam in cælestis vitæ gloria fructus eorum in nobis iugiter sentiamus. Per eundem Dominum. eiusdem Spiritus sancti Deus.

Lectio Libri Sapientiæ.

EGo flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum. ℟. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. ℣. Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Alleluia. ℣. Virga Iesse floruit, virgo Deum, & hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis. Alleluia. Intra Septuagesimam. Tractus. Gaude Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti. ℣. Dum virgo Deum & hominẽ genuisti: & post partum virgo inuiolata permansisti. ℣. Dei Genitrix intercede pro nobis. Tempore Resurrectionis, Primum Alleluia. ℣. Virga Iesse floruit. Secundum Alleluia. ℣. Sur-

Margin notes (right): Cant. 2. Cant. 4. Eccl. 24. Cant. 2.

Mat. 28. ℣. Surrexit Dominus, & occurrens mulieribus, ait: Auete. Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes eius. Tempore Ascensionis Secundum. Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altũ, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Psal. 67.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Luc. 8. IN illo tempore: Iter faciebat Iesus per ciuitates, & castella prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exijt qui seminat, seminare semen suum: et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: vt videntes non videant, et audientes non intelligant. Offertorium. Aue Regina cælorum, Mater Regis Angelorum. O Maria flos Virginum, velut rosa, vel lilium, funde preces ad Filium pro salute fidelium. Tempore Paschali. Alleluia, alleluia.

Secreta.

ANnue, quæsumus misericors Deus, precibus nostris: vt quicũque intra Rosarij Dei Genitricis Mariæ, eius soli Filio dicati, ambitum virtutis continemur, plena tibi, atq. perfecta corporis et animæ deuotione placeamus: vt dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia te adiuuante venire mereamur. Per eundem Dominum nostrum.

Præfatio. Et te in veneratione. Communio. O quàm speciosa facta es, et suauis in delicijs virginitatis, sancta Dei Genitrix! quam videntes filiæ Sion vernantem in floribus rosarum, & lilijs conuallium, beatissimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt eam. Tempore Paschali. Alleluia, alleluia, alleluia. Cant. 6.

Postcommunio.

VEneranda Sacratissimi Rosarij mysteria in honorem Dei Genitricis semper virginis Mariæ ab Ecclesia tua fideli dicata celebrantes, omnipotens Deus, benigno fauore prosequere: vt omnibus in te sperantibus auxilij tui munus ostendas, & mysteriorum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per eundem Dominum nostrum.

MISSA DE SANCTO Michaele Archangelo. Officium.



Dan. 10. NOli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, exaudita sunt verba tua: & ego

veni

veni propter sermones tuos. ℣. Ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

DEus, cuius claritatis fulgore beatus Michael Archangelus tuus præcellit agminibus Angelorũ: præsta quæsumus, vt sicut ille tuo dono principatum meruit possidere cælestem, ita nos eius precibus vitam obtineamus æternam. Per Dominũ nostrũ. Epistola. Significauit Deus. vt in Festo S. Michaelis. 29. Septembris. ℟. Hic est Michael Archangelus, Princeps militiæ Angelorum, cuius honor præstat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna cælorum. ℣. Archangele Christi, per gratiam quam meruisti, te deprecamur vt eripias nos à laqueo mortis. Alleluia. ℣. Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Infra Septuagesimam. Tract. Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Super aspidẽ, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Tempore Resurrectionis. Primum Alleluia. ℣. Archangele. Secundum Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Euangelium. Accesserunt discipuli ad Iesum. vt in Festo S. Michaelis. 29. Septembris. Offertorium. Annunciabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis: nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.

Psal. 90.

Mat. 28.

Dan. 10.

Tempore Resurr. Alleluia. Secreta.

HOstias tibi Domine laudis offerimus, suppliciter deprecantes: vt cum finis nostri tempus aduenerit, non permittas spiritus malignos, nos terrere, neque in foueam desperationis deducere: sed iubeas nos suscipi ab Archangelo tuo Michaele, quem principem super omnes animas suscipiendas constituisti, & ad tuam beatam visionem perduci facias. Per Dominũ. Communio. Consurget princeps magnus Michael, qui stat pro filijs populi tui: & veniet tẽpus, in quo saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Postcommunio.

Dan. 12.

CAelestibus refecti sacramentis & gaudijs, supplices te rogamus omnipotens Deus: vt qui beati Michaelis Archangeli præclarissimis gloriamur triumphis, eiusdem etiam protegamur auxilijs. Per Dominum.

MISSA DE S. GABRIELE Archangelo. Officium.



Issus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Ioseph, nuncians ei verbum: & expauescit virgo de lumine. Ne timeas maria, inuenisti gratiam apud Dominum, ecce concipies, & paries filium, & vocabitur Altissimi Filius. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto. Gloria Patri. Gloria. in ex. *Si regulariter dicitur.* Oratio.

Luc. 1

Luc. 1

DEus, qui beatum Gabrielem Archangelum tuum, restaurationis

rationis humanæ, per incarnationis vnigeniti Filij tui sacramentum internuncium elegisti: concede propitius, vt eiusdem Archangeli interuenientibus precibus, qui in fide tanti mysterij peregrinamur in terris, eiusdem perpetuum fructum consequamur in cælis. Per eundem Dominũ.

Lectio Danielis Prophetæ.

Dan. 9. IN diebus illis: Dixit Daniel Propheta: Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro mõte sancto Dei mei; adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. ℟. Luc. 1 Ingressus Angelus Gabriel ad Mariam Virginem; salutauit eam: Aue gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. ℣. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum. Alleluia. ℣. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu sancto. Infra Septuagesimam. Tractus. Angelis suis Deus. pag. 16. Tempore Resurrectionis. Primum Alleluia. ℣. Angelus Domini nunciauit. vt supra. Secundum Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo, & Matt. 28. accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Euangelium. Missus est Angelus Gabriel. supra pag. 11. Offertorium. Gabriel Archangelus stans à dextris altaris incensi: ipse pro nobis offerat orationem ad Dominum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

ANnue nobis misericors Deus, vt intercedente beato Gabriele Archangelo tuo, hostias placationis, & laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per Dominum. Coĩo. Communio cum Dei Filio, simulq. Spiritu sancto nobis exhibeatur à Patre Deo, Gabrielis Archangeli precibus, meritisq. Mariæ. Tempore Resurrect. Alleluia. Postcõmunio.

DA nobis quæsumus Domine Deus noster: vt interueniente beato Gabriele Archangelo tuo, quæ tua sunt, iugiter exequẽtes, donis mereamur cælestibus propinquare. Per.

MISSA DE S. RAPHAELE Archangelo. Officium.

Psal. 90. ANgelis suis mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus vijs tuis: in manibus portabũt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. Tempore Resurrect. Alleluia. ℣. Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli

commorabitur. Gloria. Gloria in. Si regulariter dicitur. Oratio.

DEus, qui beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo properanti præuium direxisti, & inter viæ discrimina donasti custodē: da vt eiusdem protegamur auxilio, quatenus & vitæ præsentis vitemus pericula, & ad gaudia valeamus peruenire cælestia. Per Dominum.

Lectio Libri Tobiæ.

Tob. 12. IN diebus illis: Dixit Angelus Raphael ad Tobiam: Sacramentum regis abscondere bonū est: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Bona est oratio cū ieiunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ. Manifesto ergo vobis veritatē, & non abscondam à vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum. Cumque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitq. eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Tempus est ergo vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. ℟. Angelis suis Deus mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne vmquam offendas ad lapidem pedem tuum. Psal. 90. Alleluia. ℣. Missus est Angelus à Deo ad Tobiam, & salutauit eum, & dixit ei: Gaudium sit tibi semper. Infra Septuagesimam. Tractus. Angelis suis Deus mandauit. pag. 16. Tempore Resurrect. Primum Alleluia. ℣. Missus est Angelus. vt sup. Secundum. ℣. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Matt. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 5. IN illo tempore: Erat dies festus Iudæorum: & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Offertor. In honorem sancti Raphaelis psallat militans Ecclesia, qui virtute Dei Patris, ligauit dæmo-

dæmonia, & Tobiæ visum reddidit, quo priuatus fuerat. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

MVnera nostra, quæsumus Domine, Archangelus Raphael offerat in conspectu tuo: per quæ nobis semper gratiam tuæ benedictionis acquirat. Per Dominum. Com.

Iubilus summæ laudis resonet in ore omnium ad laudem beati Raphaelis Archangeli: vt ipse, cuius memoria agitur in terris, ad Deum pro nobis intercedat in cælis. Temp. Resurrect. Alleluia. Postcommunio.

DIrigere dignare Domine Deus in adiutorium nostrum beatũ Raphaelem Archangelum: qui vias nostras dirigat, ab hoste maligno defendat, & ab omni aduersitate custodiat: prosperitatem conferat, informet, & doceat, tibi copulet, & coniungat, & ad gaudia sempiterna perducat. Per Dominum.

MISSA DE S. ANGELO Custode. Officium.

Psal. 90.



ANgelis suis Deus mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus vijs tuis. ℣. Qui habitat in adiutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui me licet indignum ad imaginem tuam creasti, & Angelum tuũ sanctum ad mei custodiam deputasti: da mihi seruo tuo, illius ducatu, & custodia, malorum omniũ, tam animæ, quàm corporis pericula feliciter pertrãsire, & post huius vitæ curricula ad gaudia sẽpiterna facias puenire. Per.

Lectio Libri Exodi.

Exo. 23.

HAec dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam Angelum meũ, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui. Obserua eum, & audi vocẽ eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq; te Angelus meus. ℟. Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, & in me adimpleuit misericordiam suam. ℣. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & commorantem, & reuertentem: & non permisit me Dominus coinquinari. Alleluia. ℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: gustate, & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Infra Septuagesimam. Tractus. Angelis suis Deus. pag. 16. Tempore Paschali. Primum Alleluia. ℣. Immittet Angelus. Secundum Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

Iudith 13.

Psal. 33.

Matt. 28.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matth. 18.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Videte ne contẽnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorũ in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Venit enim Filius hominis saluare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues,

& errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonagintanouem in montibus, & vadit quærere eã, quæ errauit? Et si contigerit vt inueniat eam: amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta nouẽ, quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis
Heb. 1. istis. Offertorium. Angeli sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Secreta.

HOstias tibi Domine deferimus immolandas: quæ intercedente beato Angelo Custode à tua nobis clementia deputato, temporali consolatione nos sic lætificent, vt promissa citius speremus æterna. Per
Isaia 62. Dominum. Communio. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes tota die, & nocte in perpetuum, dicit Dominus. Postcommunio.

SEntiamus, Domine quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis & corporis: vt in vtroque saluati, interueniente beato Angelo Custode nostro, cælestis remedij plenitudine gloriemur. Per.

MISSA DE SANCTIS Quindecim Auxiliatoribus, valde proficua ad gratiam aliquam, vel liberationem à periculis obtinendam.

Officium.



Psal. 33. MVltæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum, vnũ ex his non conteretur. ℣. Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo. Gloria Patri, Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur Oratio.

OMnipotens, ac mitissime Deus, qui electos Sanctos tuos quindecim Auxiliatores specialibus priuilegijs decorasti: da nobis Domine veniam peccatorum: & ipsorum intercedẽtibus meritis ab omnibus aduersitatibus nos libera, & deprecationes nostras benignus exaudi. Per Dominum. Epistola. Sancti per fidem vicerunt. vt in Festo S. Hippolyti. 13. Augusti. ℟. Clamauerunt Psal. 33.
iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. ℣. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. Alleluia. ℣.
Lætamini in Domino, & exultate Psal. 31.
iusti: & gloriamini omnes recti corde. Infra Septuages. Tractus. Qui Psal. 125.
seminant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos: Tempore Paschali, Secundũ Alleluia. ℣. Angelus Domini descendit de cælo, & Matt. 28.
accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Tempore Ascens. Alleluia. ℣. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: Psal. 67.
dedit dona hominibus. Euangelium. Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater. vt in Festo S. Francisci. 4. Octobris. Offertorium. Mirabilis Psal. 67.
Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Secreta.

SVscipe, quæsumus clementissime Deus, preces, & hostias quas tibi in Sanctorum tuorum Georgij, Blasij, Eras-

Erasmi, Pantaleonis, Viti, Christophori, Dionysij, Cyriaci, Acatij, Eustachij, Magni, Aegidij, Margaritæ, Barbaræ, & Catharinæ honore deferimus: vt qui nostræ iustitiæ fiduciã non habemus, eorũ qui tibi placuerũt, singulariter intercedentibus meritis, petitionum nostrarum te pium largitorem sentiamus: Per Dominũ.

Psal. 78. Communio. Posuerunt mortalia seruorum tuorum, Domine, escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ: secundum magnitudinem brachij tui, posside filios morte punitorum. Postcommunio.

SAcramenta quæ sumpsimus, Domine quæsumus, intercedẽtibus Sanctis tuis quindecim Auxiliatoribus nobis prosint ad veniam: & quorum petitionem clementer exaudisti, in necessitatibus nostris eorum nos refoue miseratus auxilio, & ab omni aduersitate potenter custodi: Per Dominum nostrum.

MISSA DE B. DOMINICO Patre nostro, in Tertijs Ferijs, vel quando de eo per annum celebratur.

Officium.



Eccl. 15. IN medio Ecclesiæ aperuit os eius: & impleuit eum Dominus spiritu sapiẽtiæ, & intellectus: stolã gloriæ induit eũ. Tẽpore Resurrect. Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Iucunditatẽ, & exultationem thesaurizauit super eũ. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. semper dicatur, quando de eo fit in iij. Feria, nisi infra Septuag. Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Dominici Cõfessoris tui, Patris nostri illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede, vt eius intercessione temporalibus non destituatur auxilijs, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

CHarissime: Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduẽtum eius. 2. Tim. 4.

Grad. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. ℣. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Alleluia. ℣. Inclyte Pater Dominice, tuorum memor operũ, sta corã summo iudice pro tuo cœtu pauperum. Sequentia. Psal. 36.

LAudes ergo Dominico personemus mirifico voce plena.

Cla-

Clama petens suffragia, eius sequens vestigia, plebs egena.
Sed tu Pater pie, bone pastor gregis, & patrone, prece semper sedula.
Apud curam summi Regis, derelicti vices gregis commenda per sæcula. Amen. Infra Septuagesimam. ℟. O s iusti. Loco Tractus. ℣. Pie Pater. sine Alleluia. Tempore Resurrectionis. Primum Alleluia. ℣. Pie Pater Dominice, tuorum memor operum, sta coram summo iudice, pro tuo cœtu pauperum. Secundum Alleluia. ℣.
Ro. 6. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Sequentia. Laudes ergo Dominico. vt supra.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponũt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni soluere Legem, aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.
Offertorium. Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Tẽpore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 20.

Secreta.

MVnera tibi Domine dicata, sanctifica: & meritis beati Dominici Confessoris tui, Patris nostri, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum. Communio. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Tẽpore Resurrect. Alleluia, alleluia. Luc. 12.

Postcommunio.

COncede quæsumus omnipotẽs Deus: vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, Beati Dominici Confessoris tui, Patris nostri patrocinio subleuemur. Per Dominum nostrum.

MISSAE VOTIVAE PRO diuersis necessitatibus.

Missa pro vnione Ecclesiæ tempore schismatis. Officium.

SAluos nos fac Domine Deus noster: & congrega nos de nationibus: vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Tempore Resurrect. Alleluia. ℣. Confitemini Domini quoniã bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Psal. 105.

Oratio.

DEus, qui errata corrigis, & dispersa congregas, & congrega-

ra conseruas: quæsumus, super populū Christianū tuæ vnionis gratiam clementer infunde: vt diuisione reiecta, vero Pastori Ecclesiæ tuæ se vniens, tibi digne valeat famulari. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Eph. 4. FRatres: Obsecro vos, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus sicut estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnū baptisma. Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autē nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominū, in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexū per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque mēbri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulāt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes, semetipsos tradiderūt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas, In Christo Iesu Domino nostro. ℟. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. ℣. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum. Psal. 132.

Alleluia. ℣. Aedificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit. Infra Septuagesimam. Psal. 146.

Tractus. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. ℣. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. ℣. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Psal. 75. Ioan. 10.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 17. IN illo tempore: Subleuatis Iesus oculis in cælum, dixit: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos

de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mūdo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quā dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum. Offertorium. Det vobis Deus idipsum sapere in alterutrum: vt vnanimes vno ore honorificetis Deum nostrum. Tempore Resurrect. Alleluia.

Rom. 15.

Secreta.

MVnera hæc pro vnione populi Christiani tibi Domine oblata sanctifica: per quæ vnitatis, & pacis in Ecclesia tua nobis dona concede. Per Dominum nostrum. Communio. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

1. Cor. 10.

Postcommunio.

HAec tua Domine sumpta sacra communio, sicut fidelium in te vnioné præsignat, sic in tua Ecclesia vnitatis, quæsumus, operetur effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus: Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

MISSA PRO ELIGENDO Summo Pontifice, Sede vacante.

Officium.



SVscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. ℣. Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

1. Reg. 2.

Psal. 131.

SVpplici Domine humilitate deposcimus, vt sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ concedat Pontificem illum tua immensa pietas: qui & pio in nos studio semper tibi placitus, & tuo populo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam tui nominis reuerendus. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie

Hebr. 4.

c. 5.

genuite. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sui reuerentia. ℟. Pontifex Sacerdos magnus inter fratres suos, super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in sacerdotio cõsecratæ sunt, vestitusq. est sanctis vestibus: debuit per omnia fratribus similari. ℣. Vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. Alleluia. ℣. Sacerdos sit sanctus, sicut ego sum Dominus, qui sanctifico vos. Infra Septuagesimã. Tractus. Surge Domine, in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tuæ. ℣. Sacerdotes tui induantur iustitiã: & sancti tui exultatione exultabunt. ℣. Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui. Tempore Paschali. Alleluia. ℣. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas: & cognoscunt me meæ. Alleluia.

Lev. 21.

Psal. 131.

Ioan. 10.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 14.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternũ, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Offertor. Non participentur sancta, donec exurgat Pontifex in ostensione, & veritate. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

1. Esdræ 2.

Secreta.

TVæ nobis Domine abundantia pietatis indulgeat: vt per sacra munera, quæ tibi reuerenter offerimus, gratum maiestati tuæ Pontificem sanctæ matris Ecclesiæ regimini præesse gaudeamus. Per Dominum. Cõmunio. Veste sancta vtetur Pontifex, qui fuerit constitutus, & qui ingredietur tabernaculum testimonij, vt ministret in sanctuario. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Exo. 29.

Postcommunio.

PRetiosi corporis, & sanguinis tui nos Domine sacramento refectos mirifica tuæ gratia maiestatis de illius summi Pontificis concessione lætificet: qui & plebem tuam virtutibus instruat, & fidelium mẽtes spiritualium charismatũ odore perfundat. Qui viuis.

MISSA CONTRA TVRCAS, & Hæreticos. Officium.

EXurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam auertis? obliuisceris tribulationem nostram: adhæsit in terra venter noster: exurge Domine, adiuua nos,

Psal. 43.

nos, & libera nos. Tempore Resurrectionis Alleluia. ℣. Deus auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo.

Si regulariter dicitur. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorũ, respice in auxilium Christianorum: vt gentes Turcarum, atque Hæreticorum, quæ in sua feritate confidũt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Epistola Grauit Mardochæus. Require in Feria iiij. post secundam Dominicam Quadragesimæ, pag 59.

Psal. 82. ℟. Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus: tu solus Altissimus super omnem terram. ℣. Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante

Psal. 79. faciem venti. Alleluia. ℣. Excita Domine potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Intra Septuagesimam. Tractus. Domine, non secun-

Psal. 76. dum peccata nostra facias. Require in Fer. iiij. Ciner. pag. 37. Tempore Resurrectionis Vnum solum dicitur. Alleluia. Euang. Secundum Lucam. Quis vestrum habebit amicum. Require in Missa Rogationum. Offertor.

Psal. 79. Respice Domine de cælo, & vide, & visita vineam istam: & perfice eam quam plantauit dextera tua. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

Sacrificium Domine quod immolamus intende: vt propugnatores tuos ab omni eruas Turcarum, & Hæreticorum nequitia, & in tuæ protectionis securitate constituas. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Communio. Disperge inimicos nostros in virtute tua, & depone eos protector noster Domine: & effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerũt. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 58.

Postcommunio.

Protector noster aspice Deus, & propugnatores tuos à Turcarum, & Hæreticorum defende periculis: vt ab omnibus perturbationibus semoti, liberis tibi mentibus seruiant. Per.

MISSA PRO PACE.

Officium.



Da pacem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniãtur: exaudi preces serui tui, & plebis tuæ Israel. Tempore Resurrect. Alleluia. ℣. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo. Eccl. 36. Psal. 121.

Si regulariter dicitur. Oratio.

Deus, à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostiũ sublata formidine, tempora sint tua protectione trãquilla. Per Dominum.

Lectio Libri Machabæorum.

In diebus illis: Orationem faciebant Sacerdotes, dum offerrent sacrificium, Ionatha inchoante, ceteris autem respondentibus, & dicentibus: Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum 2. Machab. 1.

uorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo, Dominus Deus vester. R. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. ℣. Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. Alleluia. ℣. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te. Infra Septuagesimam. Tractus. Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. ℣. Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion. ℣. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Qui. Vnum solum Alleluia dicitur.

Psal. 121.

Psal. 75.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 20. In illo tempore: Cum sero esset die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorũ: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Offertorium. Laudate Dominum, quia benignus est: psallite nomini eius, quoniam suaue est: omnia quæcumque voluit fecit in cælo, & in terra. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 134.

Secreta.

Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus: dignare preces, & hostias dicatæ tibi plebis suscipere: vt pax à tua pietate concessa, Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per Dominum. Communio. Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. Tempore Resurrectionis. Alleluia, alleluia. Ioan. 14.

Postcommunio.

Deus auctor pacis & amator, quem nosse, viuere; cui seruire, regnare est: protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos: vt qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per Dominum nostrum.

MISSA TEMPORE BELLI.

Officium.



Reminiscere miserationũ tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à sæculo sunt: ne vmquã dominentur nobis inimici nostri, libera nos Deus Israel ex omnibus angustijs nostris. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Psal. 24.

Oratio.

Deus, qui cõteris bella, & impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorãtibus misericordiam tuam, vt omnium inimicorum suorum feritate compressa, incessabili te gratiarum actione laudemus. Per Dominum.

Lectio

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Iere. 42. IN diebus illis: Accesserunt omnes principes bellatorum, dixeruntq. ad Ieremiam Prophetã: Ora pro nobis ad Dominum Deum tuum. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam. Vocauitque Iohanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & vniuersum populum à minimo vsque ad magnũ, & dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad quem misistis me, vt prosternerem preces vestras in conspectu eius: Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam: plantabo, & non euellam: iam enim placatus sum super malo, quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis. Nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, vt saluos vos faciam, & eruam de manu eius. Et dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra, Dicit Dominus omnipotens.

Psal. 76. ℟. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus: notam fecisti in gentibus virtutem tuam. ℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum: filios Israel, & Ioseph. Alleluia. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me. Psal. 58.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 24. IN illo tempore: Accesserũt ad Iesum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quãdo hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Et respondens Iesus, dixit illis: Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Offertorium. Populum humilem saluum facies Domine, & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine? Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 17.

Secreta.

SAcrificiũ Domine quod immolamus, intende placatus: vt ab omnibus nos eruat bellorum nequitijs, & in tuæ protectionis securitate cõstituat. Per Dominum nostrum. Communio. Inclina aurem tuam: accelera, vt eruas nos. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 30.

Postcommunio.

DEus regnorum omniũ, regumque dominator, qui nos & percutiendo sanas, & ignoscendo conseruas: prætende nobis misericordiam tuam: vt tranquillitate pacis, tua potestate seruata, ad remedia correctionis vtamur. Per Dominum nostrum.

MISSA PRO AVERTENDA Quacumque necessitate, & tribulatione. Officium.

REminiscere miserationũ tuarum Domine, & misericordiæ tuæ, quæ à sæculo sunt: libera nos Deus Israel ex omnibus angustijs nostris. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Ad te Domine Psal. 24.

leuaui

leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Gloria. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

INeffabilem misericordiam tuam nobis Domine clementer ostēde: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per Dominum nostrū.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Iere. 14. SI iniquitates nostræ responderint nobis, Domine fac propter nomē tuum, quoniam multæ sunt auersiones nostræ, tibi peccauimus: Expectatio Israel, saluator eius in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine Deus noster. ℟. Exurge, quare obdormis Domine? quare faciem tuam auertis, & obliuisceris tribulationem nostram? ℣. Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis. Alleluia. ℣. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Post Septuagesimam Tractus. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. vt in quarta Feria in cap. Ieiunij. pag. 37. Temp Resurrect. Alleluia. ℣. Miserere mei Deus. Hoc solum dicatur.

Psal. 43.

Psal. 84.

Psal. 56.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Mar. 11. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Offertorium. Respice in me, & miserere mei, quia tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me Domine: & vide humilitatem meam, & laborem meum. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

Psal. 24.

DEus, qui tribulatos corde sanas, & mæstos animo lætificas, ad hanc propitius hostiam, quam tibi pro nostra liberatione offerimus, dignanter attende: & angustiarum nostrarum amoue pressuram, vt exuti ab omnibus quæ patimur malis, in tuis semper mereamur exultare præsidijs. Per Dominum nostrum. Communio. Miserere mei Domine, & noli continere in ira misericordias tuas, quia afflictus sum, & humiliatus sum nimis. Domine vim patior, adiuua me. Tempore Resurrect. Alleluia.

Psal. 37.

Postcommunio.

DImitte Domine Deus peccata nostra, & tribue nobis misericordiam tuā, quam sacramenti cælestis participatione exquirimus: effectumque petitionis nostræ clementer largire. Per Dominum nostrū.

MISSA PRO PLVVIA.

Officium.



COnuertere Domine aliquantulum, & deprecare super seruos tuos. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Domine refugium factus es nobis à generatione, & progenie. Gloria. Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur.

Psal. 89.

Oratio.

DEus, in quo viuimus, & mouemur, & sumus, pluuiam nobis tribue

tribue congruentem: vt præsentibus subsidijs sufficienter adiuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Paralipomenon.

Cap. 1 IN diebus illis: Orauit Salomon ad Dominum, & ait: Domine Deus, si clauso cælo pluuia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conuersi à peccatis suis, cum eos afflixeris, exaudi de cælo Domine, & dimitte peccata seruis tuis & populi tui Israel, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.

Psal. 146. ℟. Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara. ℣. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Alleluia. ℣. Metuamus Dominum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinã in tempore suo. Post Septuagesimam Tractus. Educam imbrem in tempore suo: pluuiæ benedictionis erunt. ℣. Et dabit lignum agri fructum suum. ℣. Et non erunt immi-nuti fame in terra. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Metuamus. Solum hoc dicatur.

Ier. 5. Ezec. 14.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.

Iob 5. Offertorium. Deprecabor Dominũ, & ad Deum ponam eloquium meũ, qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

OBlatis Domine placare muneribus, & opportunum nobis tribue pluuiæ sufficientis auxilium. Per Dominum. Communio. Cæli non possunt dare imbrem: nisi tu volueris Domine. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Iere. 14.

Postcommunio.

DA nobis, quæsumus Domine, pluuiam salutarem: & aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per Dominum.

MISSA PRO SERENITATE.

Officium.

Psal. 28. VOx Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Afferte Domino filij Dei: afferte Domino gloriam, & honorẽ. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur.

Oratio.

AD te Domine clamantes exaudi: & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præueniente, tuam clementiam sentiamus. Per Dñm.

Lectio Ieremiæ Prophetæ.

Cap. 3 IN diebus illis: Dixit Ieremias: Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quòd non esset requies, donec respiceret & videret Dominus de cælis. Oculus meus deprædatus est animam meam: lapsa est in lacum

eum vita mea: Inundauerunt aquæ super caput meum: dixi: Perij: Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouissimo. Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus. Appropinquasti in die, quando inuocaui te, Domine Deus meus. ℟. Exaudiat nos Dominus in tempore tribulationis: protegat nos Deus Iacob. ℣. Mittat nobis auxilium de sancto: & de Sion tueatur nos. Alleluia. ℣. Viderunt te aquæ Deus: viderunt te aquæ, & timuerunt. Post Septuagesimam. Tractus. ℣. Non erit deinceps diluuium dissipans terram. ℣. Et non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnē. ℣. Erit arcus in nubibus, & recordabor fœderis sempiterni. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Viderunt te. Hoc solum dicatur.

Psal. 19.
Psal. 76.
Gen. 9

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Mat. 16.

IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Offertorium. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Psal. 68.

Secreta.

PRæueniat nos, quæsumus Domine, gratia tua semper, & subsequatur: & has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas deferimus, benignus assume: vt per intercessionem Sanctorum tuorum, cunctis nobis proficiant ad salutem. Per Dominum nostrum.

Cōmunio. Exaudiat Dominus orationes nostras, & reconcilietur nobis: nec nos deserat in tempore malo. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

2. Mac. 1.

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus clementiam tuam: vt inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum nostrum.

MISSA PRO CONSERVANDIS Fructibus terræ. Officium.



VIsita terram tuam Domine, & inebria eam aquis: multiplica locupletare eam. ℣. Germinet terra herbam virentem iuxta genus suum. Gloria Patri & Filio. Gloria in excelsis Deo.

Psal. 64.
Gen. 1

Si regulariter dicitur. Oratio.

COncede nobis Domine omnes fructus terræ: & abundantiam misericordiæ tuæ de cælo visita fruges nostras, & ad maturitatem eas perducendo conseruare digneris. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Deuteronomij.

IN diebus illis: Locutus est Moyses ad populum Israel, dicens: Si custodieris mandata Domini tui, & ambulaueris in vijs eius: abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, vt tribuat

Deut. 28.

plu-

pluuiam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. ℟. Plantabunt vineas, & bibent vinum earum. ℣. Et facient hortos, & comedent fructus eorum. Alleluia. ℣. Benedicet tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis: & in omni opere manuum tuarum. Infra Septuagesimam. Tractus. Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperum. ℣. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Benedicet tibi Dominus. Hoc solū dicatur.

Amos 9.

Deut. 16.

Psal. 103.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Matt. 13.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cū autem creuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Offertorium. Lætamini in Domino Deo vestro, quia descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum sicut in principio, & comedetis vescentes, & saturabimini. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Ioel. 2.

Secreta.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, sub cuius imperio cuncta sunt posita: supplices te rogamus, vt omnes fructus terræ ab omni aduersitate, per hæc munera quæ tibi offerimus, custodire digneris, & in tempore maturitatis nos eos colligere permittas. Per Dominum nostrum. Communio. Implebuntur horrea frumento, & redundabunt torcularia oleo, & vino: & reddam vobis annos quos comedit locusta, ait Dominus omnipotens. Tempore Resurrectionis. Alleluia.


Ioel. 2.

Postcommunio.

SVmpta quæsumus Domine sacra libatio cælestis mysterij, ad prosperitatem omnium bonorum, quæ ad seruorum tuorum subsidium conducunt, proficiat: & eos ab omni crimine exutos ad cælestem beatitudinem perducat. Per Dominum.

MISSA PRO ITER agentibus, in qua dicenda est Oratio de tribus Magis post primam Orationem. Officium.

Psal. 30.



Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias: quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Gloria Patri.

Glo-

Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorũ tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Dominum.

De tribus Magis. Oratio.

DEus, qui tres Magos Orientales ad Filij tui cunabula, vt eũ mysticis adorarent muneribus, sine impedimento duxisti, & reduxisti: concede famulis tuis in hoc itinere quod peracturi sunt, per ipsorum pias intercessiones, & merita prosperitatem, ac sanitatem: quatenus ipso vera stella ducente, ad loca optata sine offensione perueniant. Per eundem Dominum.

Lectio Libri Genesis.

Cap. 46. IN diebus illis: Profectus Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramenti. Et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis vocãtem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob. Cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descẽde in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te

Psal. 90. reuertentem. ℟. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem

Psal. 84. pedem tuum. Alleluia. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Infra Sep-

Psal. 67. tuagesimã. Tractus. Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. ℣. Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. ℣. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, qui est in sancto. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Ostende. Hoc solũ dicatur. Euangelium. Dixit Iesus Pharisæis: Vtiq. dicetis mihi. Require in Feria ij. post tertiam Dominicam Quadragesimæ. pag. 68. Offertorium. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt Psal. 16. non moueantur vestigia mea: inclina Domine aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te Domine. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & has oblationes quas tibi offerimus pro famulis tuis, benignus assume: vt viam illorum & præcedente gratia tua dirigas, & subsequente comitari digneris, vt de actu atque incolumitate eorum, secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per Dominum.

De tribus Magis. Secreta.

DEus, qui es gloria sanctorum, & dirigis viam iustorum, intercedentibus tribus Magis, dirige Angelum pacis cum famulis tuis, qui eos ad locum quo pergunt, sine impedimento animæ, & corporis ducat, & reducat, & comes eorum dignetur esse Spiritus sanctus. Per Dominum. eiusdem. Communio. Tu mandasti mandata tua custodiri ni- Psal. 118. mis: vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Postcommunio.

DEus infinitæ misericordiæ, quẽ nec spatia locorum, nec interualla temporũ ab ijs quos tueris disiungunt: adesto famulis tuis in te vbique confidentibus, & per omnem quam ituri sunt viam, dux eis, & comes esse digneris. Per Dominum.

De tribus Magis. Postcommunio.

OMnipotens sempiterne Deus, deprecamur maiestatem tuã per illorum trium Regum Orientalium interuentum: vt digneris Angelos tuos mittere, qui sint circa famulos tuos die, ac nocte, sintq. securi in corpore, & anima, ac rebus omnibus. Per Dominum.

MISSA PRO NAVIGANTIBVS.

Officium.

Psal. 106. Acrificent Domino sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione: qui descẽdunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Tempore Resurrect. Alleluia. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui beatum Petrum Apostolũ super mare ambulantem ad te venire iussisti: intercedente beata, & gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria cum omnibus Sanctis tuis, adesto famulis tuis super mare nauigantibus, & in tua misericordia confidentibus: vt ope misericordiæ tuæ adiuti, ad loca destinata, & ad salutis portum sine impedimento sani, & incolumes valeant peruenire. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

Lectio Ionæ Prophetæ.

IN diebus illis: Orauit Ionas ad Dominum Deum suum, de ventre piscis. Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominũ, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo tẽplum sanctum tuum. Circumdederunt me aquæ vsque ad animã: abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddã pro salute Domino. ℟. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. ℣. Vt non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum. Alleluia. ℣. Statuit Dominus procellam eius in auram, & siluerũt fluctus eius: & lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Infra Septuagesi-

Iona 2. Psal. 68. Psal. 106.

Psal. 76. gesimam. Tractus. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi. ℣. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes. ℣. Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota. ℣. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. ℣. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Surrexit Christus, & illuxit populo suo: quem redemit sanguine suo. Hoc solum dicatur.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Marcum.

Cap. 4. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, vna die cum sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in naui: & aliæ naues erãt cum illo. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus, & mare obediunt ei? Offertorium.

Psal. 106. Dixit Dominus, & stetit spiritus procellæ: & clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos. Tempore Resurrectionis. Alleluia.

Secreta.

SVscipe Domine preces, & oblationes, quas tibi offerimus pro famulis tuis supra mare nauigantibus: & præsta, vt Angelus tuus sanctus per omnem viam eis occurrat, qui in eundo, & redeundo dux eis, & comes mitissimus efficiatur. Per Dominum.

Communio. Laudent Dominum cæli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis: quoniam tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 88.

Postcommunio.

PEr huius Domine sacramenti perceptionem famulos tuos nauigantes, & in tua misericordia sperantes, ab omni periculo liberare digneris: adsit Spiritus sanctus, qui eos sanos, & incolumes custodiat, atque ad locum destinatum, & ad salutis portum cum gaudio, & prosperitate faciat peruenire. Per Dominum. eiusdem.

MISSA PRO INFIRMIS.

Officium.

DE necessitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea Deus meus. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Psal. 24.

Si regulariter dicitur. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis infirmis, pro quibus misericordiæ tuæ implo-

ramus auxilium: vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Iacobi Apostoli.

Iac. 5 CHarissimi: Tristatur aliquis vestrum? oret. Aequo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. ℟. Miserere mihi Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine. ℣. Conturbata sunt omnia ossa mea: & anima mea turbata est valde. Alleluia. ℣. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Infra Septuagesimam. Tractus. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. ℣. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra. ℣. Dominus non tradat eum in animam inimicorum eius. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Qui sanat. Hoc solum dicatur Euangel. Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum. Require in Feria quinta post diem Cinerum. pag. 39.

Psal. 6.

Psal. 146.

Psal. 40.

Psal. 40. Offertorium. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum versasti in infirmitate eius Domine. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

DEus, sub cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces & hostias famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiam tuam imploramus: vt de quorum periculo metuimus, de eorum salute lætemur. Per Dominum nostrum Iesum. Communio. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 68.

Postcommunio.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilij tui super infirmos famulos tuos ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes repræsentari mereantur. Per.

MISSA PRO VITANDA mortalitate. Officium.



REcordare Domine testamenti tui: & dic Angelo percutienti, Cesset iam manus tua, & non desoletur terra, & ne perdas omnem animam viuentem. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Qui regis Israel intende: qui deducis velut ouem Ioseph. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur. Oratio.

2. Reg. 24.

Psal. 79.

DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum quæsumus ad te conuerte propitius: vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas. Per Dominum.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Immisit Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutū: & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorū. 2. Reg. 24.

Cum-

Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionem populi sui, & ait Angelo percutienti: Sufficit nūc: contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi. Dixitque Dauid ad Dominum cum vidisset Angelum cædētem populum: Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad Propheta ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi. Et ascendit Dauid iuxta sermonē Gad, quem præceperat ei Dominus. Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel. ℟. Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de morte eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordæ eius, & mirabilia eius filijs hominum Alleluia. ℣. Saluabo populum meum Israel in die malo: & ero eis in Deum, in veritatem, & in iustitiam. Infra Septuagesimam, Tract. Domine, non secundum peccata. Require in Feria quarta Cinerum. pagina. 37. Euangelium. Surgens Iesus de synagoga. Feria quinta post iij. Dominicam Quadragesimæ. pag. 73. Offertorium. Stetit Pontifex inter mortuos & viuos, habens thuribulū aureū in manu sua: & offerēs incensi sacrificium, placauit iram Dei, & cessauit quassatio à Domino. Temp. Resur. Alleluia. Secreta.

Psal. 106.

Num. 16.

Subueniat nobis, quæsumus Domine, sacrificij præsentis oblatio: quæ nos ab erroribus vniuersis potenter absoluat, & à totius eripiat perditionis incursu. Per Dominum. Communio. Multitudo languentiū, & qui vexabantur à spiritibus immūdis, veniebant ad eum: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Luc. 6

Postcommunio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: & intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus liberum, & misericordiæ tuæ fac benignitate securū. Per Dominum nostrum.

MISSA PRO REMISSIONE peccatorum. Officium.

Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti: dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Dominus Deus noster. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. Sap. 10. Psal. 56.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces: & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Fratres: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, Ro. 7.

ramus auxilium: vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actiones. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Iacobi Apostoli.

Iac. 5 CHarissimi: Tristatur aliquis vestrum? oret. Aequo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. ℟. Miserere mihi Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine. ℣. Conturbata sunt omnia ossa mea: & anima mea turbata est valde. Alleluia. ℣. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Infra Septuagesimam. Tractus. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. ℣. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra. ℣. Dominus non tradat eum in animam inimicorum eius. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Qui sanat. Hoc solum dicatur Euangel. Cum introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum. Require in Feria quinta post diem Cinerum. pag. 39. Offertorium. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum versasti in infirmitate eius Domine. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Secreta.

Psal. 6.

Psal. 146.

Psal. 40.

Psal. 40.

DEus, sub cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces & hostias famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiam tuam imploramus: vt de quorum periculo metuimus, de eorum salute lætemur. Per Dominum nostrum Iesum. Communio. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Tempore Resurrectionis. Alleluia. Psal. 68.

Postcommunio.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilij tui super infirmos famulos tuos ostende virtutem: vt ope misericordiæ tuæ adiuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumes repræsentari mereantur. Per.

MISSA PRO VITANDA mortalitate. Officium.



REcordare Domine testamenti tui: & dic Angelo percutienti, Cesset iam manus tua, & non desoletur terra, & ne perdas omnem animam viuentem. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Qui regis Israel intende: qui deducis velut ouem Ioseph. Gloria Patri. Gloria in excelsis. Si regulariter dicitur. Oratio.

2. Reg. 24.

Psal. 79.

DEus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum quæsumus ad te conuerte propitius: vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoueas. Per Dominum.

Lectio Libri Regum.

IN diebus illis: Immisit Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutũ: & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorũ. 2. Reg. 24.

Cum-

Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictionem populi sui, & ait Angelo percutienti: Sufficit nũc: contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi. Dixitque Dauid ad Dominum cum vidisset Angelum cædẽtem populum: Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad Propheta ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi. Et ascendit Dauid iuxta sermonẽ Gad, quem præceperat ei Dominus. Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel. ℟. Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos: & eripuit eos de morte eorum. ℣. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum Alleluia. ℣. Saluabo populum meum Israel in die malo: & ero eis in Deum, in veritatem, & in iustitiam. Infra Septuagesimam, Tract. Domine, non secundum peccata. Require in Feria quarta Cinerum. pagina. 37. Euangelium. Surgens Iesus de synagoga. Feria quinta post iij. Dominicam Quadragesimæ. pag. 73. Offertorium. Stetit Pontifex inter mortuos & viuos, habens thuribulũ aureũ in manu sua: & offerẽs incensi sacrificium, placauit iram Dei, & cessauit quassatio à Domino. Temp. Resur. Alleluia. Secreta.

Psal. 106. — Num. 16.

Subueniat nobis, quæsumus Domine, sacrificij præsentis oblatio: quæ nos ab erroribus vniuersis potenter absoluat, & à totius eripiat perditionis incursu. Per Dominum. Communio. Multitudo languentiũ, & qui vexabantur à spiritibus immũdis, veniebant ad eum: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Tempore Resurrectionis. Alleluia. (Luc. 6)

Postcommunio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: & intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus liberum, & misericordiæ tuæ fac benignitate securũ. Per Dominum nostrum.

MISSA PRO REMISSIONE peccatorum. Officium.

Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti: dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Dominus Deus noster. Tempore Resurrectionis. Alleluia. ℣. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Gloria Patri. Gloria in excelsis Deo. Si regulariter dicitur. (Sap. 10. — Psal. 56.)

Oratio.

Exaudi, quæsumus Domine, supplicum preces: & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Fratres: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legẽ in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, (Ro. 7.)

quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Propitius eſto Domine peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum? ℣. A diuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. Alleluia. ℣. Auerte faciem tuã à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele: quia afflictus, & humiliatus ſum nimis, & cor meum conturbatum eſt in me. Poſt Septuageſimã. Tractus. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſerui tui. ℣. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Tempore Reſurrectionis. Alleluia. ℣. Auerte faciem. vt ſupra. Hoc ſolum dicatur:

Pſal. 78.

Pſal. 50.

Pſal. 129.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Lucam.

Cap. 11.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piſcem, numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum, numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Poterit dici etiam Euangel. Vidit Ieſus. vt in Feſto S. Matthæi. 21. Septemb. Offertoriũ. Multiplicata ſunt peccata mea, & non ſum dignus videre altitudinẽ cæli præ multitudine iniquitatis meæ: Deus meus ne proijcias me à facie tua: ſed reminiſcere, quia ſpem non habui niſi in te Domine: & quòd tu es ſaluator meus ab initio. Tempore Reſurrectionis. Alleluia. Secreta.

HOſtias tibi Domine placationis offerimus: vt & delicta noſtra miſeratus abſoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum. Communio. Memor eſto Domine verbi tui, quod dixiſti, Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: & Quia non eſt volentis, ſed tui miſerentis: conuerte me ad te, & conuertar, ſaluum me fac, & ſaluus ero, Domine. Tempore Reſurrect. Alleluia. Poſtcommunio.

PRæſta nobis æterne Saluator: vt percipientes hoc munere veniã peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum.

MISSA PRO GRATIIS

Deo reddẽdis de beneficijs acceptis, erit ea Votiua quæ eſt de S. Trinitate ſupra pagina 1. Exceptis Orationibus ibi poſitis, loco quarum dicentur ſequentes. Oratio.

DEus, cuius miſericordiæ nõ eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: tuæ piĳſſimæ maieſtati, pro collatis nobis donis gratias agimus, tuã ſemper clementiam exorantes: vt qui pœnitentibus poſtulata concedis, eoſdem nõ deſerens, ad præmia futura diſponas. Per Dominum. Secreta.

ODorem ſuauitatis ſacrificij huius cum gratiarum actionibus ſuſci-

ſuſcipe quæſumus Domine: & præſta, vt quos exaudire, & incolumes ſeruare dignatus es, ab omni in poſterum animæ & corporis aduerſitate cuſtodias: & in tuo ſeruitio, & amore concreſcant. Per Dominum.

Poſtcommunio.

FLexis genibus cordis noſtri, gratias tibi agimus Domine pro collatis nobis beneficijs, te humiliter deprecantes: vt ſacroſancta quæ ſumpſimus, ad beneficia tua iugiter capeſſenda nos dignos efficiant. Per Dominum noſtrum.

MISSA PRO SPONSO, & Sponſa. Officium.

DEus Iſrael coniungat vos, & ipſe ſit vobiſcum, qui miſertus eſt duobus vnicis: & nunc Domine fac eos plenius benedicere te. Tempore Reſurrectionis.
Pſal. 127. Alleluia. ℣. Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in vijs eius. Gloria Patri. Gloria in excelſis Deo. Si regulariter dicitur.

Oratio.

DEus, qui tam excellenti myſterio coniugalem copulam conſecraſti, vt Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum præſignares in fœdere nuptiarum: præſta quæſumus, vt quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per eundem Dominum noſtrum.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Cap. 5. FRatres: Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Verumtamen & vos ſinguli, vnuſquiſque vxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: vxor autem timeat virum ſuum. ℟. Vxor Pſal. 127.
tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. ℣. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. Alleluia, alleluia. ℣. Mittat vobis Dominus auxilium de ſancto: & de Sion tueatur vos. Alleluia. Poſt Septuageſimam. Tractus. Ecce ſic Pſal. 127.
benedicetur omnis homo, qui timet Dominum. ℣. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. ℣. Et videas filios filiorum tuorum: pax ſuper Iſrael. Tempore Reſurrectionis, Secundum Alleluia. ℣. Benedicat vobis Dominus ex Sion, qui Pſal. 133.
fecit cælum & terram.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

Cap. 19. IN illo tempore: Accesserunt ad Iesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Offertorium. In te

Psal. 30. speraui Domine: dixi, Tu es Deus meus: in manibus tuis tempora mea.

Secreta

SVscipe, quæsumus Domine, pro sacra connubij lege munus oblatum: & cuius largitor es muneris, operis esto dispositor. Per Dominum. Dicto Pater noster. Sacerdos antequam dicat, Libera nos quæsumus Domine. stans in cornu Epistolæ, versus ad Sponsum, & Sponsam ante altare genuflexos, dicit super eos sequentes Orationes. Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris: & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: vt quod te auctore iungitur, te auxiliante seruetur. Per Dominum.

Oremus.

DEus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis vniuersitatis exordijs, homini ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti, vt femineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex vno placuisset institui, numquam licere disiungi: Deus, qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti, vt Christi & Ecclesiæ sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum: Deus, per quem mulier iungitur viro, & societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluuij est ablata sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali iungenda consortio, tua se expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis & pacis: fidelis & casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis vt Rachel viro suo, sapiens vt Rebecca, longæua & fidelis vt Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor præuaricationis vsurpet. Nexa fidei, mandatisq. permaneat, vni thoro iuncta: contactus illicitos fugiat: muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecundia grauis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita: sit fecunda in sobole, sit probata & innocens: & ad beatorum requiem, atque ad cælestia regna perueniat. Et videant ambo filios filiorum suorum vsque ad tertiam & quartam generationem: & ad optatam perueniant senectutem. Per Dominum.

Tunc conuersus ad medium altaris, dicat Libera nos quæsumus. Deinde frangat Hostiam more solito, & prosequatur Missam. Communio. Ecce sic benedicetur omnis homo, qui Psal. 127.
timet Dominum: & videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.

Post-

Postcommunio.

QVæsumus omnipotens Deus, instituta prouidentiæ tuæ pio fauore comitare: & quos legitima societate connectis, longæua pietate custodi. Per Dominum. ℞. Amen. Post Ite Missa est, Sacerdos, antequã det Benedictionẽ, conuersus ad Sponsum, & Spõsam dicit:

DEus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob sit vobiscum, & ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: vt videatis filios filiorum vestrorum vsque ad tertiam & quartam generationem, & postea vitam æternam habeatis sine fine, adiuuãte Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Moneat Sacerdos oratione graui, vt sibimetipsis seruent fidem. Orationis tempore, & præsertim ieiuniorum ac solemnitatum casti maneant: & vir vxorem, atque vxor virum diligat: & in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat, & det Benedictionem, & dicat, vt solitum est, Euangelium Sancti Ioannis. In principio erat Verbum.

MEMORIAE DE SANCTIS.

De omnibus Sanctis. Oratio.


Oncede quæsumus omnipotens Deus: vt intercessio nos sanctæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ, sanctarumq. omnium cælestium Virtutum, & beatorũ Patriarcharum, & Prophetarũ, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum vbique lætificet: vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum.

Secreta.

OBlatis Domine placare muneribus: & intercedente beata Dei Genitrice sempervirgine Maria, cum omnibus Sanctis, à cunctis nos defende periculis. Per eundem.

Postcommunio.

SVmpsimus Domine, beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum tuorum memoriam recolentes, sacramenta cælestia: præsta quæsumus, vt quod temporaliter gerimus, eorum precibus adiuti, æternis gaudijs consequamur. Per Dominũ.

Item de omnibus Sanctis alia dicenda in Dominicis post Oct. Trinitatis vsque ad Aduentum, nisi aliter signetur: & in alijs diebus Ferialibus, prout in Rubrica.

Oratio.


Cunctis nos quæsumus Domine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata, & gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Beato Dominico Patre nostro, & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus, & pacem: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, Ecclesia tua secura tibi seruiat libertate. Per eundem.

Secreta.

EXaudi nos Deus salutaris noster: vt per huius sacramenti virtutem, à cunctis nos mentis & corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro. Per Dominum.

Post-

Postcommunio

MVndet, & muniat nos, quæsumus Domine, diuini sacramenti munus oblatum: & intercedente beata virgine Dei Genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque B. Dominico Patre nostro, & omnibus Sanctis, à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiatos, & aduersitatibus expeditos. Per eundem Dominum.

De Sanctis Ordinis nostri in Missis Beati Dominici Patris nostri.

Oratio.



COncede, quæsumus omnipotens Deus: vt ad meliorem vitam sanctorum tuorum Petri, Antonini, Thomæ, Vincentij, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ, & Agnetis exempla nos prouocent: quatenus, quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum nostrum Iesum.

Secreta

MVnera tibi, Domine, nostræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata sint honore sanctorum Petri, Antonini, Thomæ, Vincentij, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ, & Agnetis: & nobis salutaria te miserante reddantur. Per.

Postcommunio.

PRæsta nobis quæsumus Domine, intercedentibus sanctis tuis Petro, Antonino, Thoma, Vincentio, Hyacintho, Raymundo, Catharina, & Agnete: vt quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

De Sanctis, quorum Reliquiæ sunt in Ecclesia.

COncede quæsumus omnipotens Deus: vt sancta Dei Genitrix, atque omnes Sancti, quorum reliquiæ in ista reconduntur Ecclesia, suis patrocinijs vbique nos adiuuent, quatenus illorum præsenti suffragio, tranquilla pace in tua laude lætemur. Per eundem Dominum.

Secreta.

MVnera tua, misericors Deus, maiestati tuæ oblata benigno quæsumus suscipe intuitu: vt eorum nobis precibus fiant salutaria, quorũ benedictæ in Ecclesia ista reliquiæ venerantur. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

DIuina Domine libantes mysteria te deprecamur: vt per merita Sanctorum, quorum venerabiles reliquiæ in ista requiescunt Ecclesia, peccatorum nostrorum veniam mereamur, & cælestis gratiæ donis reficiamur. Per Dominum nostrum.

ORATIONES IN MISSIS

Post primam, secundum varias necessitates, & ad libitum celebrantis dicendæ.

Pro Domino Papa. Oratio.

DEus omnium fideliũ Pastor & rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest, proficere, vt ad vitam vnà cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Dominum.

Secreta.

OBlatis, quæsumus Domine, placare muneribus: & famulũ tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, assidua protectione guberna. Per Dominum.

Postcommunio.

HAec nos, quæsumus Domine, diuini sacramenti perceptio protegat: & famulum tuum N. quem Pastorẽ Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, vnà cum commisso sibi grege saluet semper, & muniat. Per Dñm.

Pro omni Gradu Ecclesiæ.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuersis Ordinibus supplicantes: vt gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter seruiatur. Per Dominum. eiusdem.

Secreta.

DA famulis tuis Domine indulgentiam peccatorum, consolationem vitæ, gubernationem perpetuam: vt tibi seruientes, ad tuam iugiter misericordiam peruenire mereantur. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

LIbera, quæsumus Domine, à peccatis, & hostibus tibi famulos supplicantes: vt in sancta conuersatione viuentes, nullis afficiantur aduersis. Per Dominum nostrum.

Contra persecutores Ecclesiæ.

Oratio.

ECclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRotege nos Domine, tuis mysterijs seruiẽtes: vt diuinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur, & mente. Per Dominum.

Postcommunio.

QVæsumus Domine Deus noster: vt quos diuina tribuis participatione gaudere: humanis non sinas subiacere periculis. Per Dominum nostrum.

Pro Imperatore. Oratio.

DEus regnorum omniũ, & Christiani maxime protector Imperij: da seruo tuo Imperatori nostro N. triumphum virtutis tuæ scienter excolere: vt qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Secreta.

SVſcipe Domine preces & hoſtias Eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli tui ſupplicantis: & in protectione fidelium populorum, antiqua brachij tui operare miracula, vt ſuperatis pacis inimicis, ſecura tibi ſeruiat Chriſtiana libertas. Per Dominum.

Poſtcommunio.

DEus, qui ad prædicandum æterni Regis Euangelium, Romanum Imperium præparaſti: prætende famulo tuo Imperatori noſtro N. arma cæleſtia: vt pax Eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per Dominum noſtrum.

Pro Rege. Oratio.

QVæſumus omnipotens Deus: vt famulus tuus. N Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat peruenire. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

MVnera, quæſumus Domine, oblata ſanctifica: vt & nobis Vnigeniti tui corpus & ſanguis fiant: & Regi noſtro ad obtinendam animæ corporiſque ſalutem, & ad peragendum iniunctum officium, te largiente, vſquequaque proficiant. Per eundem Dominum.

Poſtcommunio.

HAec Domine oblatio ſalutaris famulum tuum N Regem noſtrum ab omnibus tueatur aduerſis: quatenus Eccleſiaſticæ pacis obtineat tranquillitatem: & poſt iſtius temporis decurſum, ad æternam perueniat hereditatem. Per Dominum.

Pro Prælatis, & Congregationibus eis commiſſis. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus: prætende ſuper famulos tuos, & ſuper congregationes illis commiſſas ſpiritum gratiæ ſalutaris: & vt in veritate tibi complaceant, perpetuũ eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum noſtrum.

Secreta.

HOſtias Domine famulorum tuorum placatus intende: & quæ in honorem nominis tuis deuota mente pro eis celebramus, proficere ſibi ſentiant ad medelam. Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

QVos cæleſti recreas munere, perpetuo Domine comitare præſidio: & quos fouere non deſinis, dignos fieri ſempiterna redemptione concede. Per Dñm.

Pro Prædicatoribus. Oratio.

COrda famulorum tuorum Domine illumina Spiritus ſancti gratia, & ignitum eis eloquium dona, & ijs qui tuum prædicant verbũ, largire virtutis augmentum. Per Dominum noſtrum. eiuſdem.

Secreta.

FAmulis tuis Domine verbum tribue gratioſum: & munera oblata ſanctificans, corda eorum in ſalutari tuo, quæſumus, viſita. Per.

Poſtcommunio.

COnſerua Domine famulos tuos Vnigeniti tui corpore & ſãguine ſuſcepto: & tuum nunciantibus verbum largitatem tribue gratiarũ. Per eundem Dominum noſtrum.

Pro Religiosis. Oratio.

DEus, qui nos à sæculi vanitate conuersos ad brauium supernæ vocationis accendis: gratiam nobis, qua in te perseueremus infunde, vt nostræ professionis executores effecti, quod te donante promisimus, iugiter impleamus. Per Dominum.

Secreta.

TIbi Domine Deus noster deuotionis hostiam immolantes humiliter petimus: vt nos sacrificium tuum mortificatione vitæ carnalis accipias, ac moribus, quibus professioni nostræ congruamus, instituas. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

DEus, qui renunciantibus sæculo, mansiones præparas in cælo, dita fratrum nostrorum corda cælestibus bonis: vt concordet illorum & vita cum nomine, & professio sentiatur in opere. Per Dominum.

Pro tempore Capituli, vel Concilij.

Oratio.

INfunde quæsumus famulis tuis Domine spiritum veritatis & pacis: vt quæ tibi placita sunt, toto corde cognoscant, & agnita tota virtute sectentur. Per Dominum nostrũ.

Secreta.

REspiciat clementia tua Domine, munera seruorum tuorum: & gratiam tuæ miserationis illis impende, vt quæ recta sint in oculis tuis, veraciter intelligant, & fiducialiter exequantur. Per Dominum.

Postcommunio.

DA quæsumus misericors Deus: vt sancta tua quæ sumpsimus, famulos tuos in voluntate tua confirment, & honorem tui nominis illos exquirere faciant. Per Dominum.

Pro familiaribus, & amicis.

Oratio.

DEus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorũ cordibus fidelium infudisti: da famulis, & famulabus tuis, pro quibus tuã deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis: vt te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Dominum. eiusdem.

Secreta.

MIserere, quæsumus Domine, famulis, & famulabus tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis, tuæ offerimus maiestati: vt per hæc sancta, supernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per Dominum.

Postcommunio.

DIuina libantes mysteria, quæsumus Domine: vt hæc salutaria sacramenta illis proficiãt ad prosperitatem & pacem, pro quorum, quarumque dilectione, hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum.

Pro familiaribus, & amicis alia

Oratio.

PRætende Domine fidelibus tuis dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ digne postulant, assequantur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris: & has oblationes fidelium tuorum, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus assume: & vt nullius sit irritum votũ, nullius vacua postulatio, præsta quæsumus, vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Post-

Postcommunio.

DA fidelibus tuis, quæsumus Domine, in tua fide & sinceritate constantiam: vt in charitate diuina firmati, nullis tentationibus ab eius integritate euellantur. Per Dominum nostrum.

Pro Benefactoribus. Oratio.

INclina, Domine quæsumus, nobis aures tuæ pietatis: & benefactoribus nostris da peccatorum veniam, in operibus perseuerantiam, ac in regno tuo magna pro paruis, & pro temporalibus præmia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVscipe, quæsumus Domine, munus tibi oblatum pro famulis tuis nobis bona facientibus: & concede, vt quos tibi fecisti deuotos, facias in regno tuo tecum esse beatos. Per.

Postcommunio.

PEr hæc sancta sacramenta quæ sumpsimus Domine, respice super famulos tuos benefactores nostros, & præsta: vt sicut eorum deuotio nobis est necessaria, ita sit tibi semper accepta. Per Dominum.

Pro constituto in captiuitate, vel in carcere. Oratio.

DEus, qui beatum Petrum Apostolum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti: famuli tui in captiuitate positi vincula absolue, & eum ipsius meritis illæsum abire concede. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVper has, quæsumus Domine, hostias benedictio copiosa descendat: quæ captiui nostri vincula soluat, & de eius liberatione nos cito lætificet. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: & per hæc sacramenta quæ sumpsimus, famulum tuum à vinculis suæ captiuitatis absolue. Per Dominum.

Pro inimicis. Oratio.

DEus pacis, charitatisq. amator & custos: da omnibus inimicis nostris pacem, charitatemque veram: cunctorumque eis remissionem tribue peccatorum, nosque ab eorum insidijs potenter eripe. Per Dominum nostrum Iesum.

Secreta.

OBlatis, quæsumus Domine, placare muneribus: & nos ab inimicis nostris cleměter eripe, eisq. indulgentiam tribue delictorum. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PRotector noster aspice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis: vt omni perturbatione semota, liberis tibi mentibus seruiamus. Per Dominum nostrum.

Pro tentatis, & tribulatis Oratio.

DEus, qui iustificas impium, & non vis mortem peccatoris: maiestatem tuam suppliciter deprecamur: vt famulos tuos de tua misericordia confidentes, cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserues: vt tibi iugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur. Per Dominum.

Secreta.

HVius quæsumus Domine, virtute mysterij, & à proprijs nos munda delictis, & famulos tuos ab omnibus absolue peccatis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Post-

Postcommunio.

PVrificent nos, quæsumus Domine, sacramenta quæ sumpsimus, & famulos tuos ab omni culpa liberos esse concede: vt qui conscientiæ reatu constringuntur, cælestis remedij plenitudine glorientur. Per.

Pro existente in extremis.

Oratio.

COnseruator animarum Deus, qui, quos diligis, corripis: te inuocamus, vt medelam tuam conferre digneris in animam famuli tui, qui in corpore suo patitur stimulos infirmitatum: & da ei vt in hora exitus sui, tibi creatori per manus sanctorum Angelorũ repræsentari mereatur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVscipe hostiam Domine, quam tibi offerimus pro famulo tuo grauiter decumbente: & dona illi suorum peccatorum veniam, vt per hæc quæ sustinet flagella, mereatur peruenire ad regnum gloriæ tuæ. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

SAtiati Domine muneribus sacris, & de tua pietate confisi, te humiliter deprecamur: vt misereri digneris animæ famuli tui, ne præualeat aduersus eam inimicus in hora mortis suæ, sed transitum mereatur ad vitam perpetuam. Per Dñm.

Ad repellendas malas cogitationes.

Oratio.

OMnipotens & mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, & libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum: vt sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum nostrum Iesum. eiusdem.

Secreta.

HAs tibi Domine offerimus oblationes pro salute nostra: quatenus animas nostras ab immundis cogitationibus purges, illæsasq. custodias, & sancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per Dominum. eiusdem.

Postcommunio.

DEus, qui illuminas omnem hominem venientẽ in hunc mundũ: illumina quæsumus corda nostra gratiæ tuæ splendore: vt digne maiestati tuæ ministrare, teque æterna charitate diligere valeamus. Per.

Ad postulandam continentiam.

Oratio.

VRe igne sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine: vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Secreta.

DIrumpe Domine vincula peccatorum nostrorum: & vt sacrificare tibi hostiam laudis absoluta libertate possimus, retribue quæ ante tribuisti: & salua nos per indulgentiam, quos dignatus es saluare per gratiam. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

DOmine adiutor & protector noster, adiuua nos: & refloreat caro nostra vigore pudicitiæ, & sanctimoniæ nouitate: ereptamq. de manu tartari in resurrectionis gaudium iubeas præsentari. Per Dominum.

Ad postulandam patientiam.

Oratio.

DEus, qui Vnigeniti tui patientia antiqui hostis contriuisti superbiam: da nobis quæsumus, quæ

idem

idem pie pro nobis pertulit, digne recolere: sicque exemplo eius, nobis aduersantia æquanimiter tolerare. Per eundem Dominum.

Secreta.

MVnera nostræ oblationis quæsumus Domine, placatus suscipe: quæ, vt nobis patientiæ donum condonare digneris, maiestati tuæ deuota offerimus actione. Per Dñm.

Postcommunio.

SAcrosancta Domine sumentes mysteria, amissam nobis, quæsumus, reconcilient gratiam: atque munus patientiæ in illatis omnibus, semper & vbique protegendo, impertiant. Per Dominum nostrum.

Pro petitione lacrymarum.

Oratio.

OMnipotens & mitissime Deus, qui sitienti populo fontem viuentis aquæ de petra produxisti: educ de cordis nostri duritia compunctionis lacrymas: vt peccata nostra plangere valeamus, remissionemque te miserante, mereamur accipere. Per Dominum.

Secreta

HAnc oblationem, quæsumus Domine Deus, quam tuæ maiestati pro peccatis nostris offerimus, propitius respice: & produc de oculis nostris lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia extinguere valeamus. Per Dominum.

Postcommunio.

GRatiam Spiritus sancti Domine Deus cordibus nostris clementer infunde: quæ nos gemitibus lacrymarum efficiat maculas nostrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis, te largiente, indulgentiæ præstet effectum. Per Dominum nostrum Iesum. eiusdem.

Ad postulandam charitatem.

Oratio.

DEus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse: da cordibus nostris inuiolabilem tuæ charitatis affectum: vt desideria de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari. Per Dominum nostrũ.

Secreta.

DEus, qui nos ad imaginem tuã sacramentis renouas, & præceptis: perfice gressus nostros in semitis tuis: vt charitatis donum, quod fecisti à nobis sperari, per hæc quæ offerimus sacrificia, facias veraciter apprehendi. Per Dominum nostrũ.

Postcommunio.

SAncti Spiritus gratia, quæsumus Domine, corda nostra illuminet, & perfectæ charitatis dulcedine abũdanter reficiat. Per Dominum. in vnitate eiusdem Spiritus sancti.

Pro impetranda humilitate.

Oratio.

DEus, qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus, auge in nobis veræ humilitatis virtutẽ, cuius in se formam fidelibus Vnigenitus tuus exhibuit: vt numquam indignationem tuam prouocemus elati, sed potius semper pietatis tuæ cupiamus dona subiecti. Per eundem Dominum.

Secreta.

HAec oblatio, Domine Deus, nobis remissionem omnium peccatorum, & veræ humilitatis obtineat gratiam, simulque à cordibus nostris concupiscentiam carnis, & oculorum, atque ambitionem sæculi auferat: quatenus coram te sobrie, iuste, pieque viuentes, præmia consequamur æterna. Per Dominum.

Post-

Postcommunio.

HVius Domine sacramenti perceptio peccatorum nostrorum maculas tergat, & nos per humilitatis exhibitionem ad cælestia regna perducat. Per Dominum.

Tempore famis. Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, & famẽ propitiatus auerte: vt mortaliũ corda cognoscant, & te indignante tale flagellum prodire, & te miserante cessare. Per Dominũ. Secreta.

DEus, qui humani generis vtrãque substantiam, præsentium munerum & alimento vegetas, & renouas sacramento: tribue quæsumus, vt eorum & corporibus nostris subsidium non desit, & mentibus. Per Dominum. Postcommunio.

GVberna, quæsumus Domine, temporalibus alimentis: quos dignaris æternis informare mysterijs. Per Dominum nostrum.

Pro tẽpestatibus repellendis. Oratio.

EXaudi clementissime Deus preces nostras, quas in conspectu pietatis tuæ effundere præsumimus, suppliciter te deprecantes, vt à nobis spirituum malorum repellere digneris nequitias, & aerearum discedere facias malignitates tempestatum. Per Dominum. Secreta.

SAcrificij huius Domine placare muneribus: & populo tuo concede, vt sicut flagella iracundiæ tuæ se mereri agnoscit, ita sit ab omni aeris afflictione immunis. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

AVerte, quæsumus Domine, à fidelibus tuis per hæc sacramẽta quæ sumpsimus, turbinum, & tempestatum mala: vt tranquillitatibus aeris vere lætentur, & dono tuæ pietatis semper vtantur. Per Dominum.

Contra Pestem animalium.

Oratio.

DEus, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus solatia surrogasti: supplices te rogamus: vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per Dominum.

Secreta.

SAcrificijs Domine placatus oblatis, opem tuam nostris temporibus clementer impende. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

BEnedictionem tuam Domine, populus fidelis accipiat: qua corpore saluetur & mente: & animalium, quia nostris meritis sæuit interitus, tua nobis parcendo clementia, eum cessare iubeas. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro quacumque re obtinenda.

Oratio.

DEus refugium nostrum, & virtus: adesto quæsumus precibus nostris auctor ipse pietatis, & præsta: vt quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Secreta.

DA misericors Deus: vt hæc salutaris oblatio, & à proprijs nos reatibus indesinenter expediat, & ad postulata obtinenda, tibi nos reddat acceptos. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

AD te Domine clamamus, humiliter deprecantes: vt sicut dixisti,

dixisti, Petite, & accipietis, ita per sacri dona mysterij quæ sumpsimus, exauditionis tuæ abundantiam petitionibus nostris concedere digneris. Per Dominum.

Pro quacumque tribulatione.

Oratio.

NE despicias omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem: sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVscipe Domine propitius hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis salutem potenti pietate restitui. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

TRibulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, & iram tuæ indignationis, quam iuste meremur, auerte. Per Dominũ nostrum Iesum Christum Filiũ tuum. Qui tecum.

Pro publice pœnitentibus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, confitentibus tibi famulis tuis pro tua pietate relaxa peccata: vt nõ plus eis noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ propitiationis prosit ad veniam. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Secreta.

PRæsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus: vt hæc salutaris oblatio & à proprijs reatibus indesinẽter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis. Per Dominum.

Postcommunio.

OMnipotẽs, & misericors Deus, qui omnem animam pœnitentem, & confitentem tibi, magis vis emendari quàm perdere: respice super hos famulos tuos, & per hæc sancta sacramenta quæ sumpsimus, auerte ab eis iram indignationis tuæ, & omnia eis peccata dimitte. Per.

MISSAE PRO DEFVNCTIS.

Missa in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

Officium.



Equiem æternã dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meã, ad te omnis caro veniet. Deinde absolute repetitur. Requiem. vsque ad Versum exclusiue. Psal. 64.

Oratio.

FIdelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorũ: vt indulgentiam, quam semper optauerunt,

uerint, pijs supplicationibus consequantur, Qui viuis & regnas cũ Deo Patre in vnitate Spiritus sãcti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

1. Cor. 15. FRatres: Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti; & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatẽ, Cum autẽ mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. ℟. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria æterna erit iustus, Psal. 111. ab auditione mala non timebit. Tractus. Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur euadere iudiciũ vltionis. ℣. Et lucis æternæ beatitudine perfrui.

Sequentia.

Dies iræ, dies illa,
Soluet sæclum in fauilla,
Teste Dauid cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando Iudex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit, & natura
Cum resurget creatura,
Iudicanti responsura.
Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus iudicetur.
Iudex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
Dum vix iustus sit securus?
Rex tremendæ maiestatis,
Qui saluandos saluas gratis,
Salua me fons pietatis.
Recordare Iesu pie,
Quòd sum causa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me, sedisti lassus,
Redemisti, crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.
Iuste iudex vltionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco, tamquam reus
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absoluisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oues locum præsta,
Et ab hœdis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

O ro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
L acrymosa dies illa,
Qua resurget ex fauilla
I udicandus homo reus:
Huic ergo parce Deus.
P ie Iesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

Sequentia Sancti Euangelij
Secundum Ioannem.

Ioan. 5. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum: Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionē vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Offertoriū. D omine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omniū fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo laci: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura: sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctā, Q uam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. ℣. H ostias & preces tibi Domine offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam agimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam. Q uam olim. Secreta.

HOstias, quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum, famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende: vt quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per Dominum. Communio. L ux æterna luceat eis Domine, cum Sāctis tuis in æternum, quia pius es.

Postcommunio.

ANimabus, quæsumus Domine, famulorū, famularumque tuarum oratio proficiat supplicantiū: vt eas & à peccatis omnibus exuas, & tuæ redemptionis facias esse participes. Qui viuis. Dicto D ominus vobiscum, dicitur R equiescant in pace. ℟. A men. & non datur Benedictio. Sed dicto secreto. P laceat. Dicitur Euangelium sancti Ioannis. I n principio. vt moris est, & sic fiat in sequ. Missis defunctorum.

IN DIE OBITVS, seu depositionis defuncti. Officium.

REquiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. R equiem. Psal. 64. Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti: vt non tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finē: sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad patriā paradisi perduci: vt quia in te sperauit, & credidit, non pœnas æternas sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Lectio

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

1. Thess. 4. FRatres: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis. ℟. Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es Domine. ℣. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Tract. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. ℣. Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? ℣. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dũ dicitur mihi per singulos dies: Vbi est Deus tuus? Sequentia. Dies iræ. vt supra. Pag. 51.

Psal. 22.

Psal. 41.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

Ioan. 11. IN illo tempore: Dixit Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Offertorium. Domine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo laci: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadãt in obscura: sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, Quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. ℣. Hostias, & preces tibi Domine offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam agimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam Quam olim. Secreta.

PRopitiare, quæsumus Domine, animæ famuli tui N. pro qua tibi hostiam laudis immolamus, maiestatem tuam suppliciter deprecãtes: vt per hæc piæ placationis officia, peruenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum. Communio. Lux æterna luceat eis Domine, cum Sanctis tuis in æternum, quia pius es. Postcõmunio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: vt anima famuli tui N. quæ hodie de hoc sæculo migrauit, his sacrificijs purgata, & à peccatis expedita, indulgentiam pariter & vitam capiat sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

In die tertio; septimo; & trigesimo depositionis Defuncti, dicitur Missa præcedens, exceptis Orationibus, nam dicuntur sequentes.

Oratio.

QVæsumus Domine, vt animæ famuli tui, cuius depositionis diem tertiũ, vel septimum, vel trigesimum, commemoramus, sanctorum atque electorum tuorum largiri digneris consortium: & rorem misericordiæ tuæ perennem infundas. Per Dominum.

Secreta.

MVnera quæsumus Domine, quæ tibi pro anima famuli tui offerimus, placatus intende: vt remedijs purgata cælestibus, in tua pietate requiescat. Per Dominum.

Postcommunio.

SVscipe Domine preces nostras pro anima famuli tui: vt si quæ ei maculæ de terrenis contagijs adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur. Per Dominum.

IN ANNIVERSARIO Defunctorum. Officium.



Equiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Psal. 64.
Requiem. Oratio.

DEus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum anniuersarium depositionis diem commemoramus, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum.

Lectio Libri Machabæorum.

IN diebus illis: Vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymã offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, iuste & religiose de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos, qui ceciderãt, resurrecturos speraret, superfluũ videretur, & vanum orare pro mortuis.) Et quia considerabat quòd ij, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. ℞. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. Animæ eorum in bonis demorentur, & semen eorum hereditet terram. Tractus. Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur euadere iudicium vltionis. ℣. Et lucis æternæ beatitudine perfrui. Sequẽtia. Dies iræ. pro arbitrio Sacerdotis. Pag. 51. 2. Mac. 12.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum: Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: vt omne quòd dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis qui videt Filium, Io. 6.

& cre-

& credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Offertorium. Domine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo laci: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura: sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, Quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. ℣. Hostias & preces tibi Domine offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam agimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam. Quam olim.

Secreta.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, pro animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum hodie annua dies agitur, pro quibus tibi offerimus sacrificiũ laudis: vt eas sanctorum tuorum cõsortio sociare digneris. Per Dominum nostrum. Communio. Lux æterna luceat eis Domine, cum sanctis tuis in æternum: quia pius es.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus Domine, vt animæ famulorum, famularumque tuarum, quorum anniuersarium depositionis diem commemoramus: his purgatæ sacrificijs, indulgentiam pariter, & requiem capiant sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Si pro vno fiat Anniuersarium, prædictæ Orationes dicantur in singulari numero.

IN MISSIS QVOTIDIANIS Defunctorum. Officium.

REquiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Requiem æternam. Psal. 64.

Pro Defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus. Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali, *seu* Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorũ quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum.

Pro Defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus. Oratio.

DEus, veniæ largitor, & humanæ salutis auctor: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, sorores, familiares, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Per.

Pro fidelibus Defunctis. Oratio.

FIdelium Deus omnium cõditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorũ: vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis & regnas.

Lectio Libri Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli.

IN diebus illis: Audiui vocem de cælo, dicentem mihi: Scribe, Cap. 14.

Beati mortui, qui in Domino moriũtur. Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. ℟. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. ℣. Animæ eorum in bonis demorentur: & semen eorum hereditet terram. Tract. Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur euadere iudicium vltionis. ℣. Et lucis æternæ beatitudine perfrui. Si pro vno tantum celebretur. ℟. Si ambulem. cum ℣. & Tractu Sicut ceruus. 53. Sequentia. Dies iræ. Pag. 51.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

cap. 6. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quẽ ego dabo, caro mea est pro mũdi vita. Litigabãt ergo Iudæi adinuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Offertor. Domine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omniũ fidelium defunctorum de manu inferni, & de profundo laci: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscura: sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, Quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. ℣. Hostias & preces tibi Domine offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam agimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam. Quam olim.

Pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus. Secreta.

SVscipe Domine quæsumus pro animabus famulorum tuorum Pontificum, seu Sacerdotum, quas offerimus hostias: vt quibus in hoc sæculo Pontificale, seu Sacerdotale donasti meritum, in cælesti regno Sãctorum tuorum iubeas iungi consortio. Per Dominum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus. Secreta.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ: & animabus fratrum, sororum, familiarium, & benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem: per hæc sacramenta salutis nostræ, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro fidelibus defunctis. Secreta.

HOstias, quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum, famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende: vt quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat. Communio. Lux æterna luceat eis Domine, cum Sãctis tuis in æternum, quia pius es.

Pro

Pro defunctis Episcopis, seu Sacerdotibus. Postcommunio.

PRosit, quæsumus Domine, animabus famulorum tuorum Pontificum, seu Sacerdotum, misericordiæ tuæ implorata clementia: vt eius in quo sperauerunt, & crediderunt, æternum capiant te miserante consortium. Per Dominum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus. Postcõmunio.

PRæsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus: vt animæ fratrum, sororum, familiarium, & benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus majestati: per huius virtutem sacramenti à peccatis omnibus expiatæ, lucis perpetuæ, te miserante, recipiãt beatitudinem. Per Dominum.

Pro fidelibus defunctis.

Postcommunio.

ANimabus, quæsumus Domine, famulorũ, famularumq. tuarũ oratio proficiat supplicãtiũ: vt eas & à peccatis omnibus exuas, & tuæ redẽptionis facias esse participes. Qui.

Epistolæ & Euãgelia superius posita in vna Missa pro defunctis, dici possunt etiã in alia Missa pro defunctis.

Orationes diuersæ pro Defunctis.

IN DIE DEPOSITIONIS, ex Anniuersario Summi Põtificis, dicitur prima Missa, vt supra 550.

Præter Orationes, quæ dicuntur sequentes. Oratio.



DEus, qui inter summos Sacerdotes famulum tuum N. ineffabili tua dispositione connumerari voluisti: præsta quæsumus: vt qui Vnigeniti Filij tui vices in terris gerebat, sanctorũ tuorum Pontificum consortio perpetuo aggregetur. Per eundem Dominum.

Secreta.

SVscipe quæsumus Domine, pro anima famuli tui N. summi Pontificis quas offerimus hostias, vt cui in hoc sæculo Põtificale donasti meritum, in cælesti regno Sanctorum tuorum iubeas iungi consortio. Per Dominum.

Postcommunio.

PRosit, quæsumus Domine, animæ famuli tui N. summi Pontificis misericordiæ tuæ implorata clementia: vt eius in quo sperauit & credidit, æternum capiat te miserante consortium. Per Dominum nostrum.

Pro defuncto Episcopo dicitur prima Missa, vt supra 550 & Orationes sequentes.

Oratio.

DEus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuũ N. Pontificali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVscipe Domine quæsumus, pro anima famuli tui N. Pontificis quas offerimus hostias: vt cui in hoc sæculo Pontificale donasti meritum, in cælesti regno Sanctorum tuorum iubeas iungi consortio. Per Dominũ nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

PRosit, quæsumus Domine, animæ famuli tui N. Pontificis misericordiæ tuæ implorata clementia: vt eius in quo sperauit, & credidit, æternum capiat te miserante consortium. Per Dominum.

Pro

Pro Defuncto Sacerdote dicitur eadem Oratio, sed vbi dicitur; **Pontificali.** dicatur, **Sacerdotali.** Si fuerint plures, dicatur vt supra in quarta Missa.

Pro Defuncto Episcopo alia

Oratio.

DA nobis Domine, vt animam famuli tui N. Episcopi, quā de huius sæculi eduxisti laborioso certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per Dominum nostrum Iesum.

Secreta.

ANnue nobis Domine, vt animæ famuli tui N. Episcopi hæc prosit oblatio: quā immolādo totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

HIs sacrificijs, quæsumus omnipotens Deus, purgata anima famuli tui N. Episcopi, ad indulgentiam, & refrigerium sempiternum peruenire mereatur. Per Dominum nostrum.

Pro Defuncto Sacerdote alia

Oratio.

PRæsta quæsumus Domine, vt anima famuli tui Sacerdotis, quē in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, in cælesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum nostrum.

Secreta.

SVscipe quæsumus Domine, pro anima famuli tui Sacerdotis quas offerimus hostias: vt cui Sacerdotale donasti meritum, dones & præmium. Per Dominum nostrum.

Postcommunio

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt animam famuli tui Sacerdotis in congregatione iustorum, æternæ beatitudinis iubeas esse consortem. Per Dominum.

Si pro pluribus, dicantur in plurali.

Pro vno defuncto. Oratio.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: vt animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas: & Sanctorū tuorum iubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ANnue nobis, quæsumus Domine: vt animæ famuli tui hæc prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum.

Postcommunio.

ABsolue, quæsumus Domine, animā famuli tui ab omni vinculo delictorum: vt in resurrectionis gloria, inter sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum.

Pro vna defuncta. Oratio.

QVæsumus Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ: & à contagijs mortalitatis exutam, in æternam saluationis partem restitue. Per Dominum nostrum.

Secreta.

HIs sacrificijs, quæsumus Domine, anima famulæ tuæ à peccatis omnibus exuatur, sine quibus à culpa nemo liber extitit: vt per hæc piæ placationis officia perpetuā misericordiam consequatur. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

INueniat, quæsumus Domine, anima famulæ tuæ lucis æternæ consortium: cuius perpetuæ misericordiæ con-

consecuta est sacramentum. Per Dominum nostrum.

Pro patre, & matre. Oratio.

DEus, qui nos patrem & matrem honorare præcepisti: miserere clementer animabus parentũ nostrorum, eorumque peccata dimitte, nosque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

Secreta.

SVscipe sacrificiũ Domine, quod tibi pro animabus parentum nostrorum offerimus: eisque gaudium sempiternum in regione viuorum concede: nosque cum illis felicitati Sanctorum coniunge. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

CAelestis participatio sacramẽti, quæsumus Domine, animabus parentum nostrorum requiem, & lucem obtineat perpetuam: nosque cum illis gratia tua coronet æterna. Per Dominum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, & benefactoribus. Oratio.

DEus, veniæ largitor, & humanæ salutis auctor: quæsumus clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres, sorores, familiares, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire cõcedas. Per Dominum nostrum.

Secreta.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ: & animabus fratrum, sororum, familiarium, & benefactorum nostrorum, quibus tui nominis dedisti confessionem: per hæc sacramenta salutis nostræ, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PRæsta, quæsumus omnipotens, & misericors Deus: vt animæ fratrum, sororum, familiarium, & benefactorum nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus maiestati, per huius virtutem sacramenti à peccatis omnibus expiatæ, lucis perpetuæ te miserante recipiãt beatitudinem. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro his, qui in cœmeterio requiescunt. Oratio.

DEus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hic & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem.

Secreta.

PRo animabus famulorum, famularumque tuarum, & omnium catholicorum, hic & vbique in Christo dormientium, hostiam Domine suscipe benignus oblatam: vt hoc sacrificio singulari, vinculis horrendæ mortis exutæ, vitam mereantur æternam. Per eundem Dominum.

Postcommunio.

DEus, fidelium lumen animarũ, adesto supplicationibus nostris: & da famulis, & famulabus tuis, quorum corpora hic & vbiq. in Christo requiescunt, refrigerij sedẽ, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per eũdem Dominum nostrum Iesum Christum.

Pro

Pro fidelibus defunctis generaliter.

Oratio.

FIdelium Deus omnium côditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorũ: vt indulgẽtiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis. Secreta.

HOstias, quæsumus Domine, quas tibi pro animabus famulorum, famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende: vt quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per Dominum nostrum. Postcommunio.

ANimabus, quæsumus Domine, famulorum, famularumq. tuarum oratio proficiat supplicantium: vt eas & à peccatis omnibus exuas, & tuæ redemptionis facias esse participes. Qui viuis & regnas.

Pro pluribus defunctis. Oratio.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere: propitiare animabus famulorum, famularumq. tuarum, & omnia eorum peccata dimitte: vt mortalitatis vinculis absolutæ transire mereantur ad vitam. Per Dominum nostrum.

Secreta.

ANnue nobis Domine: vt animabus famulorũ, famularumq. tuarum, hæc prosit oblatio: quam immolãdo totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominũ nostrum Iesum Christum.

Postcommunio.

DEus, cui soli competit medicinam præstare post mortem: præsta quæsumus: vt animæ famulorum, famularumque tuarum terrenis exutæ contagijs, in tuæ redemptionis parte numerentur. Qui viuis.

Alia pluralis, vt supra. Oratio.

ANimabus, quæsumus Domine, famulorum, famularumque tuarum misericordiam concede perpetuam, vt eis proficiat in æternum, quòd in te sperauerunt & crediderunt. Per Dominum.

Secreta.

HIs, Domine quæsumus, placatus intẽde muneribus: & quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per Dominum.

Postcommunio.

SVpplices Domine pro animabus famulorum, famularumque tuarum preces effundimus, obsecrantes: vt quidquid conuersatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum sede lætantium constituas redemptorum. Per Dominum nostrum.

Alia pluralis, vt supra. Oratio.

PRopitiare, quæsumus Domine, animabus famulorum, famularumque tuarum misericordia sempiterna: vt mortalitatis nexibus expeditas, beata Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis, lux eas æterna possideat. Per Dominum.

Secreta.

HOstias tibi Domine humili deprecatione deferimus: vt animæ famulorum, famularumque tuarum per hæc piæ placationis officia, tuam misericordiam consequantur. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

DEus vita viuentium, spes morientium, salus omnium in te spe-

sperantium, præsta propitius, vt animæ famulorum, famularumque tuarũ à nostræ mortalitatis nexibus absolutæ, B. Maria semper virgine intercedente, in perpetua cum Sanctis tuis luce lætentur. Per Dominum.

Pro viuis, & defunctis communis Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul, & mortuorũ: omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis: te suppliciter exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens adhuc sæculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit: pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam, & gaudia consequi mereantur æterna. Per Dominum nostrum.

Secreta.

DEus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locãdus: tribue quæsumus, vt vniuersorum, quos in oratione cõmendatos suscepimus, & omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

PVrificent nos, Domine quæsumus, sacramẽta quæ sumpsimus: & præsta, vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit viuorum, atque mortuorum fidelium remissio omnium peccatorum. Per Dominum.

Pro viuis, & defunctis alia Oratio.

PIetate tua, quæsumus Domine, nostrorum solue vincula peccatorum: & intercedente beata Mariã semper virgine, cum omnibus Sãctis tuis, nos famulos tuos in omni sanctitate custodi: omnesque nobis coniunctos à vitijs purga, virtutibus illustra: pacem & salutem nobis tribue, hostes remoue, carnalia desideria depelle, aëris temperiem indulge, fruges terræ concede: inimicis nostris charitatem largire, & omnibus fidelibus viuis & defunctis vitam pariter, & requiem æternam concede. Per Dominum.

Secreta.

DEus, qui singulari corporis tui hostia totius mũdi soluisti delicta, hac oblatione placatus maculas scelerum nostrorum absterge: & omnium Christianorum viuorum ac defunctorum peccata dimitte: eisque præmia æterna concede. Qui viuis, & regnas in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postcommunio.

SVmpta sacramenta, quæsumus Domine, omnia crimina nostra detergant: omnemque prauitatem, & hostilem impugnationem meritis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum procul repellant: & omnibus fidelibus viuis & defunctis prosint ad veniam, pro quorum tibi sunt oblata salute. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

In Missis Sancti Gregorij pro defunctis, Oratio.

OMnipotẽs sẽpiterne Deus, qui nos beati Gregorij cõfessoris tui atque Pontificis cõmemoratione lætificas: concede propitius, vt qui eius precibus, & meritis defunctorum

rum animas à supplicijs misericorditer liberasti: eiusdem quoque pijs suffragijs anima famuli tui, vel [famulæ tuæ] à pœnis purgatorij erepta, beatorum consortio perfrui mereatur. Per Dominum. Secreta.

HOstias tibi Domine, beati Gregorij confessoris tui atque Pōtificis meritis dicatas benignus assume: & ad perpetuum animæ famuli tui, vel [famulæ tuæ] tribue prouenire subsidium. Per Dominum.

Postcommunio.

REfecti participatione muneris sacri, quæsumus Domine Deus noster: vt per intercessionem sancti Pontificis tui Gregorij, anima famuli tui, vel [famulæ tuæ] pro qua tuam deprecamur clementiam, à pœnis omnibus segregata, suæ salutis sentiat effectum. Per Dominum.


Sciendum quòd in Missis pro defunctis, siue in Conuentu, siue extra, non debent dici aliquæ Orationes, nisi pro defunctis, vel communes pro viuis, & defunctis. Similiter in Missis alijs, non debent dici Collectæ pro defunctis, nisi præsens defunctus fuerit: vel communes pro viuis, & defunctis.

SEQVENTIAE

Dicendæ in Missis præcipue Conuentualibus Festiuitatum De Tempore.

Et præter eas, quæ in ipsis Missis sunt supra suis locis positæ.

In Festo Ascensionis Domini, Sequentia.



OMnes gētes plaudite, festos choros ducite, Christo triumphāte.

Redit cum victoria, capta ducens spolia, tuba iubilante.

Pape quàm magnificum, hodie Dominicum germen gloriatur!

Terræ fructus hodie, super thronos curiæ cæli sublimatur.

Intrat tabernaculum Moyses, & populum trahit ad spectaculum, tantæ virtus rei.

Stant suspensis vultibus, intēdentes, nubibus Iesum subducentibus, viri Galilæi.

Dum Elias subleuatur, Elisæo duplex datur spiritus & pallium.

Ita Christus dum conscendit, seruis suis mnas appendit gratiarum omnium.

Trāsit Iacob hunc Iordanē, luctā gerens non inanē, Crucis vsus baculo.

Redit turmis cum duabus, Angelis, & animabus, & thesauri sacculo.

Hic est fortis, qui de mortis victor portis, introiuit cum gloria.

Rex virtutum, cuius nutum, & obtutum trina tremit regia.


Vocat Pater Filium ad consessus solium, donec suppedaneos, victos vel spontaneos ponat inimicos.

Sedet in altissimis, fruitur potissimis, redit in nouissimis, iudicans ex intimis, iustos, & iniquos.

Veni Deus vltionum, veni cum clementia, dum sistēmur ante thronum in tui præsentia.

Mane nobis tunc auditam fac misericordiam, in perennem transfer vitam, ad futuram gloriam. Amen.

In Festo Sanctissimæ Trinitatis, Sequentia.



Rofitentes vnitatem, veneremur Trinitatẽ pari reuerentia.

Tres personas asserentes, personali differẽtes à se differentia.

Hæ dicuntur relatiue, cum sint vnum substantiue, non tria principia.

Siue dicas tres vel tria, simplex tamen est Vsia, non triplex essentia.

Simplex esse, simplex posse, simplex velle, simplex nosse, cuncta sunt simplicia.

Pater, Proles, sacrum Flamen, Deus vnus, & hi tamen habent quædam propria.

Non vnius quàm duarum, siue trium Personarum minor efficacia.

Vna virtus, vnũ numen, vnus splendor, vnũ lumen, hoc vna quod alia.

Patri Proles est æqualis, nec hoc tollit personalis amborum distinctio.

Patri compar, Filioque Spiritalis ab vtroque procedit connexio.

Non humana ratione capi possunt hæ Personæ, nec harum descriptio.

Non hic ordo tẽporalis, non hic situs, aut localis rerum circumscriptio.

Nil in Deo præter Deum, nulla causa præter eum, qui creat causalia.

Effectiua vel formalis causa Deus, & finalis, sed numquam materia.

Digne loqui de Personis vim transcendit rationis, excedit ingenia.

Quid sit gigni, quid processus, me nescire sum professus, sed fide non dubia.

Nos in fide gloriemur, nos in vna modulemur fidei constantia.

Trinæ sit laus Vnitati, sit & simplex Trinitati sempiterna gloria. Amen.

In Festo Dedicationis Ecclesiæ, vel eius Anniuersarij, Sequentia.



Ex Salomon fecit tẽplũ, cuius instar & exẽplũ, Christus & Ecclesia.

Huius hic est Imperator, fundamentum & fundator, mediante gratia.

Longitudo, latitudo, templique sublimitas,

Intellecta fide recta, sunt fides, spes, charitas.

Sed tres partes sũt in tẽplo, Trinitatis sub exemplo, ima, summa, media.

Prima signat viuos cunctos, & secũda iam defunctos, rediuiuos tertia.

Templi cultus extat multus, cinnamomus odor domus, myrrha, stactes, casia.

Quæ bonorum decus morum, atque bonos precũ sonos, sunt significãtia.

In hac casa cuncta vasa sunt ex auro, de thesauro, prælecta penitus.

Nã magistros, & ministros decet doctos, & excoctos igne sancti Spiritus.

Christe qui hic adoraris, lapis factus angularis, tibi laus & gloria. Amen.

In Missa de Nomine Iesu, Sequẽtia.



Vlcis Iesus Nazarenus, Judæorum Rex amœnus, pius, pulcher, floridus.

Nomen Iesu meditatum, belli fugat apparatum, hostes victi fugiunt.

Hoc est nomen salutare, & solamen singulare, quod succurrit tristibus.

Iesu nomen omne bonũ tenet, dul-

cem facit sonum, promeretur regni thronum, auditum lætificat.

Eia tamen nobis gratum, dulcis Iesus appellatum, sit in corde sit firmatum, quòd non possit erui.

Hoc reatum peccatorum tollat, præstet & feruorē, atque sede Beatorum donet nobis perfrui. Amen.

SEQVENTIAE de Sanctis.

In Festo Sancti Raymundi, Sequentia.



Rofitemur conditorē, veneremur Redēptorē, sub canoro iubilo. In sese quàm sit mirandus: & in Sanctis commendandus, res inspecta prædicat.

In præsentis lux diei: celebris inserui Dei agitur memoria.

Hic est lapis pretiosus, claritate radiosus, virtutum sacrarium.

Hic Raymundus nūcupatus, sanctitate cunctis gratus, plenus cæli munere.

Nomen Christi venerandum cunctis proponit amandum, signis & virtutibus.

Cæci vident, claudi currunt, tumulati iam resurgunt virtute mirifica.

Omne genus ægrotorum: turba omnis egenorum, persentit præsidium.

Qualis, quantus sit Raymundus: quibus donis sit fecundus, cælum, terra, maria,

Dum obediunt, loquuntur: & ad nutum obsequuntur tanti viri gratiæ.

Bonis cūctis cumulatus, est ad superos vocatus, operum pro merito.

O Raymūde da feruorē, vt ad cælestē decorem aspiremus pariter. Amen.

In Festò Sancti Vincentij Martyris Sequentia.



Ybilantes cæli chori, Christo psallāt, & victori, martyri Vincentio.

Leuitarum sacro flori, voto, voce clariori nostra psallat concio.

Clara ortus parentela, carnis, hostis, mundi tela, fugat cum victoria.

Vita signat Samuelem, Dauid manu, Danielem doctrinarum gloria.

Præco verbi fit Leuita, mēte feruens, clarus vita, vices gerens præsulis.

Inter turbas eremita, iussa spernit felle lita Daciani Consulis.

Lictor cædit, debacchatur Dacianus, laceratur Martyr in equuleo,

Cratem scandit, præses furit, prunæ vernant, ignis vrit, lecto iacet ferreo.

Carcer, mare superatur, coruus seruat, occultatur longo licet tempore.

Hunc patronum dignum laude, tibi datum multum gaude, quisquis amas Dominum.

Vt ad vitā ex hāc valle, te perducat recto calle, vitæ post exilium. Amen.

In Annunciatione Dominica quādo post Pascha celebratur, Sequentia.



Ve Maria gratia plena: Dominus tecum, Virgo serena.

Benedicta tu in mulieribus, quæ peperisti pacem hominibus, & Angelis gloriam.

Et benedictus fructus vētris tui, qui coheredes vt essemus sui, nos fecit per gratiam.

Per hoc autem aue, mundo tam suaue, contra carnis iura

Genui-

Genuisti prolem, nouum stella solem, noua genitura.
Tu parui & magni, leonis & agni, Saluatoris Christi templum extitisti, sed virgo intacta.
Tu floris & roris, panis & pastoris, virginum regina, rosa sine spina, genitrix es facta.
Tu ciuitas Regis iustitiæ.
Tu mater es misericordiæ.
De lacu fæcis, & miseriæ.
Theophilum reformans gratiæ.
Te collaudat cælestis curia.
Tu mater es Regis, & filia.
Per te reis donatur venia.
Per te iustis confertur gratia.
Ergo maris stella, Verbi Dei cella, & solis aurora.
Paradisi porta, per quam lux est orta, Natum tuum ora.
Vt nos saluet à peccatis, & in regno claritatis, quo lux lucet solida, collocet per sæcula, Alleluia.

In Festo Sancti Vincentij Confessoris, Sequentia.



Aude Christi Ecclesia, festa ducens solemnia tanti huius Cõfessoris.
Qui in cælis coronatus, est patronus nobis datus Iesu dono Saluatoris.
Zelo tractus supernorum, statum petit professorum sub sancto Dominico.
Hunc ingressus, & professus, per virtutes est progressus ordine mirifico.
Vincentius recte dictus, per quẽ hostis est deuictus, mira cum victoria.
Lucis armis cõmunitus, Cruce Christi insignitus, nulla pauet iacula.
In doctrinis sic profecit, quòd profunda patefecit diuina sacraria.
Laurea condecoratus, omnibus est norma factus claræ sapientiæ.
Veritatis prædicator, sacræ legis æmulator verbi fulsit gratia.
Mira virtus in sermone, splendor, calor vt in sole, cuius vt mel eloquia.
Nulla mens ita obscura, nulla corda ita dura tenebris malitiæ.
Quæ non mutet & resoluat, ac illustret & inducat ad vota pœnitentiæ.
Hic errores prauitatis, verbo vicit veritatis, splendore scientiæ.
Sicut verbo firmamentum, sic exemplo ornamentum factus est Ecclesiæ.
Quam illustrat & adornat, & dilatat, & fecundat Gentium multitudine.
Voci vita concors fuit, implendo quidquid docuit, excelso morum culmine.
Admiranda patent signa, tam post mortẽ, quàm in vita, diuina potentia.
Quæ naturam cum transcendunt, argumenta clara reddunt huius sanctimoniæ.
Vita functi reducuntur, cæci, claudi reponuntur, ad membrorum munia.
Surdi, muti reparantur, ægri cuncti liberantur per ipsius suffragia.
Gaude felix Valentia, quæ Dei prouidentia tanto resplendes Filio.
O Vincenti pretiose, nos exaudi gloriose, pro tua clementia.
Fac tuis sanctis precibus, sociari cæli ciuibus in æterna gloria, Alleluia.

In Festo Sancti Petri Martyris, Sequentia.


Dest dies celebris, quo lumen de tenebris exortum emicuit.
Nam ab infidelibus, Petrus dispar moribus, ortus mundo claruit.

M undum mundus abijcit, Ordini se ſsubijcit Euangelizantium.
Fit ſalutis ſpeculum, morumq. ſpectaculum, vas virtutum omnium.
C arnis pudicitiam, & baptiſmi gratiam conſeruat viriliter.
V erbi ſemen ſeminat, errores exterminat, verbo pugnans fortiter.
D um non cedit hoſtibus, reſiſtens erroribus, iuſti ſanguis funditur.
A profanis manibus, Sanctus diris ictibus inuaſus occiditur.
C hriſti factus hoſtia, cæli tranſit oſtia cum palma martyrij.
S empiterna gaudia poſſidet cum gloria ter centeni præmij.
M orbi, mors, dæmonia, Petri per ſuffragia depelluntur penitus.
C redit plebs incredula, videns hæc miracula fieri diuinitus.
Nobis ergo veniam det Deus & gratiam, Petri prece ſedula.
E t poſt hanc miſeriam, largiatur gloriam per æterna ſæcula, Alleluia.

In Feſto S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, Sequentia.



Ntonino magno laudes concinant Chriſtiani.
O præſul mitiſſime, tuis Chriſto precibus, reconcilientur peccatores.
M ors & vita cæleſti refulſere nitore, & mortuus claret ſignis.
D a paſtor benigne, doctor clemens & digne,
M uniri nos hic viuentes, non deſeri abs te morientes.
V irtutum munda veſtes, culparum tolle peſtes.
O doctrinæ lampas, & noctem atrorum diſperge denſam errorum.
C redendum eſt eſſe illum tunc magnum in cælo, qui tanto Chriſti exarſerit zelo.
S cimus te gemina ornatum gloria, vere ò virgo, ò doctor nos intuere, Alleluia.

In Feſto Sanctæ Catharinæ Virginis Senenſis, Sequentia.



Vx aduenit veneranda, laus in choris iubilãda pijs cunctis cordibus.
H uius læta lux dici, feſtum refert ſponſæ Dei dedicandum laudibus.
H æc de Senis oriunda, virgo munda Catharina iuſtis ex parentibus.
M undum, carnem, hoſtem fregit, & triumphum victrix egit ornata virtutibus.
M atrem Chriſti venerandam omni gradu ſalutandam, luſtro primo didicit.
M ultis Sanctis circumcinctum, ſe benedicentem Chriſtum, virgo ſancta conſpicit.
V irginalis vitæ votum, Deo ſpondet quàm deuotum, ætatis ſeptennio.
O b hoc virgo tribulatur, ſed à Deo liberatur columbæ indicio.
R egularis vitæ ritum amplexatur inſtitutum à ſancto Dominico.
H unc adepta virgo ſancta, mox vita claret miranda, Deo placens vnico.
O quàm chara, quàm accepta, Chriſto Regi eſt effecta, ob præclara merita!
N am ab ipſo viſitari, & de cunctis edoceri ſolebat frequentius.
H inc in ſponſam ſubarrhari, & in fidem deſponſari meruit cum gloria.
Quis condigne poteſt fari, quaue lingua

lingua explicari fletus & suspiria,
Quæ fraterna pro salute, Iesu sponso cum virtute emittebat sæpius.
Vt peccanti creaturæ, & Redemptor suo iure fieret propitius.
Christi corpus venerandum sic ducebat frequentandum, magno desiderio.
Vt si sibi licuisset, omni die id sumpsisset pro sui remedio.
Dulce signum charitatis, dum amator castitatis, cor mutat in virgine.
Quo sic flagrat, sic mouetur, vt dilectum contempletur in cælorum cardine.
A quo sane nulla sorte, nec in vita, nec in morte separari patitur.
Sed in eum tota rapta, & à terra subleuata, Deo vero fruitur.
Tandem Christus dulcis sponsus, pio cordi sic coniunctus sponsæ suæ nobilis.
Claram miris prodigijs, sacris ornat studijs, vitæ donans gaudia.
Iesu bone, Iesu dulcis, qui ad lumen cæcos ducis, sponsæ tuæ precibus.
Nos purgatos à peccatis, fac regnare cum beatis, omnibus temporibus.
Tuque virgo Deo digna, mitis, clemens, & benigna, precibus nos refoue.
Nec oblita pietatis, ad conspectum Deitatis, populum hunc promoue, Alleluia.

In Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ, Sequentia.


Ræcursorem summi Regis, & præconem nouæ legis celebrat Ecclesia.
In hac luce tam festiua, gaude mater, & votiua deprome præconia.
En Baptista sanctitatis decus, præco nouitatis, prodit, res miraculi!
Verbum præit veritatis, vox æternæ claritatis, solem iubar sæculi.
Insignis spectaculi forma, norma populi, Ioannes demonstratur.
Vitæ præfert gratiam, & ad pœnitentiam populos exhortatur.
Hic est nouus prædicator, viæ nouæ præparator ad virtutum culmina.
Diem pandit vltionis, & peruersæ nationis detestatur crimina.
Fructum mater insperatum cepit dũ concepit natum in sterili corpore.
Vsum linguæ dum non credit, pater perdit, ipse redit, nato dato, tempore.
Felix qui iam gaudia, salutis nuncia ferens declaratur.
Orbem replet lumine, omni maior homine nato prædicatur.
Lumen adhuc occultatum, reueretur incarnatum Verbum Patris omnium.
Cum Maria salutare verbum dedit, exultare cœpit infans nimium.
O quàm pium fert amorem, omnem superans dulcorem, Virginis præsentia!
Sese matres amplexantur, per salutes reuelantur salutis mysteria.
Et tu cæli regione, virgo, martyr, doctor bone clementer expostula.
In conspectu summi Regis professores sacræ legis, regnare per sæcula. Amen.

In Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Sequentia.


Vbar mundo geminatur, dies festus renouatur cæli luminarium.
Petrus pastor almi gregis, Paulus

doctor summæ legis, transeunt ad brauium.

Cruce Petrus, Paulus ense, cursum complent, sic immensæ culmen scandunt gloriæ.

Læti petunt cæli cælos, cæli, terra promant melos lætæ modulantiæ.

Hi sunt nubes coruscantes, terram cordis irrigantes, nunc rore, nunc pluuia.

Hi præcones nouæ legis, & ductores noui gregis ad Christi præsepia.

Laus communis est amborum, cum sint tamen singulorum dignitates propriæ.

Petrus præit principatu, Paulus pollet magistratu totius Ecclesiæ.

Petrus heres veræ lucis, fert inuersus pœnam Crucis: Paulus ictum pugionis, nec diuersæ passionis sunt diuersa præmia.

Patres summæ dignitatis, summo Regi conregnatis, vincla nostræ prauitatis, vestræ soluat potestatis efficax sententia. Amen.

In Visitatione Beatæ Mariæ Virginis, Sequentia.



Audis thema specialis, aluus tumens virginalis hodie proponitur.

Quem impletũ Verbo Patris, clamat infra claustra matris, infans dum inungitur.

Sit laus pura & amœna, sit exultans, sitq. plena Virginis deuotio.

Dies lætus celebratur, in qua Christus declaratur Mariæ præconio.

Quæ mox pergit post conceptum ad montana, vt effectum pandat tantæ gratiæ.

Qua se Christi genitricem, nostriq. mediatricem manifestat hodie.

Sic supremus Prophetarũ nõ recipit lumen clarum, nisi dante Domina.

Quis tunc erit reliquorũ, qui sit particeps donorum absq. tanta femina?

Sexus iste in peccando fuit primus, & errando mortem dedit socio.

Quod conuertens pius Pater, fecit quòd hæc Virgo mater vitam det cum Filio.

Quisquis ergo sis memento, quòd pro tuo munimento, nil tam bonum, Christo dempto, quàm Mariæ brachium.

Nam per hanc nostra natura fit diuina ligatura, fit & morbi nostri cura, atque salus hominis.

Salue sancta visitatrix, Verbi Dei generatrix, Prophetarum illustratrix, ac cunctorum consolatrix ad te recurrentium. Amen.

In Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sequentia.



Onti Sion dat virorẽ, ros Hermon, & viror florẽ fecundum in gratia.

Ad honorem Magdalenæ, roris huius imbre plenæ cuncta spirent gaudia.

Rigans montes gratiarũ, ad conuallem lacrymarum ros cælestis effluit.

Ibi iacens Magdalena, lacrymarum imbre plena Christi pedes abluit.

Abluentis cor fecundat, & tergentis corpus mundat à culparum sordibus.

Mandat pacem osculanti, & vnguentis abundanti largus est muneribus.

Auster fugans Aquilonem, lux illustrans rationem, in amorem perficit.

Grande signum pietatis, mox purgatam à peccatis, sibi sponsam efficit.


Dulcis

Dulcis luctus, dulcis clamor, dulcis magis ardens amor in tali connubio.
A dilecti nulla sorte, nec in vita, nec in morte lassatur obsequio.
Lugens astat morienti, sed congaudet resurgenti, eius narrans gloriam.
Et regnantem confitetur, dum in rupe profitetur vitam solitariam.
Nouis modis ibi rapta, nouis demũ donis aucta, Sponsi gaudet præmijs.
Ad hanc partem quam elegit, ducat nos qui mundum regit, eius patrocinijs. Amen.

In Assumptione B. Mariæ Virginis.
Sequentia.


Salue mater Saluatoris, vas electum, vas honoris, vas cælestis gratiæ.
Ab æterno vas prouisum, vas insigne, vas excisum, manu Sapientiæ.
Salue Verbi sacra parens, flos de spina, spina carens, flos spineti gloria.
Porta clausa, fons hortorum, cella custos vnguentorum, cella pigmentaria.
Salue decus virginum, mediatrix hominum, salutis puerpera.
Myrtus temperantiæ, rosa sapientiæ, nardus odorifera.
Salue mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium.
Verbi tamen incarnati, speciale maiestati præparans hospitium.
O Maria stella maris, dignitate singularis, super omnes ordinaris ordines cælestium!
In supremo sita poli, nos commenda tuæ proli, ne terrores siue doli, nos supplantent hostium.
In procinctu constituti, te tuente simus tuti, peruicacis & versuti tuæ cedat vis virtuti, dolus prouidentiæ.
Iesu Verbum summi Patris, serua seruos tuæ matris, salua reos, salua gratis, & nos tuæ claritatis configura gloriæ. Amen.

In Festo S. Hyacinthi Confessoris, Sequentia.


Vnde de cælestibus Hyacinthe sedibus, quid quo fulges luminis.
Dum te magnis vocibus, inuocamus precibus, nostri splendor Ordinis.
Tu contemptis opibus, fluxis honoribus, petisti cælestia.
Tu coruscus lumine, & beato Flamine afflatus per patriam.
Verbo fidem prædicasti, magnis signis coruscasti, vt lumen Ecclesiæ.
Cæcis, claudis, surdis, mutis, sanitati restitutis, magno dono gratiæ.
Dum sagitta fluuius effluebat ocyus, ventis & turbinibus;
Strata veste sæpius, tibi fuit peruius, idem factus alijs.
Fratres Deum collaudantes, te sequuntur admirantes, impressis vestigijs.
Tua prece plurima, remigrauit anima, è carcere stygio.
Te Virgo sanctissima monuit gratissima esse vota Filio.
Sacro die Assumptionis, binis scandis cum coronis doctoris, & virginis.
O Pater sanctissime, ò virgo purissime, tuis adsis filijs.
Tu doctor doctissime, tu Deo charissime, adsis in angustijs.
Tuis meritis tuere, nosque posce congaudere sempiternis gaudijs. Amen.

In Festo S. Augustini Episcopi,
Sequentia.

De profundis tenebrarum, mundo lumen exit clarum, & scintillat hodie.
Olim quidem vas erroris, Augustinus vas honoris, datus est Ecclesiæ.
Verbo Dei dum obedit, credit errãs, & accedit ad baptismi gratiam.
Quam in primis tuebatur, verbis, scriptis execratur erroris fallaciam.
Firmans fidem, formans mores, legis sacræ peruersores verbi necat gladio.
Obmutescit Fortunatus, cedunt Manes, & Donatus tantæ lucis radio.
Mundus marcens & inanis, & doctrinis doctus vanis per pestem hæreticam.
Multum cœpit fructum ferre, dum in fines orbis terræ, fidem spargit vnicam.
Clericalis vitæ formam conquadrauit iuxta normam cœtus Apostolici.
Sui quippe nil habebant, tamquam suum, sed viuebant in commune clerici.
Hic multorum pro salute, diu viuens in virtute, bona tandem senectute, dormiuit cum patribus.
In extremo nil legauit, quia nil suũ æstimauit: immo totum reputauit commune cum fratribus.
Salue gemma Confessorum, lingua Christi, vox cælorum, scriba vitæ, lux doctorum, præsul beatissime.
Qui te patrem venerantur, te ductore consequantur vitam, in qua gloriantur beatorum animæ. Amen.

In Natiuitate Beatæ Mariæ,
Sequentia.

Natiuitas Mariæ Virginis, quæ nos lauit à labe criminis, celebratur hodie, dies est lætitiæ.
De radice Iesse propaginis, hanc eduxit sol veri luminis, manu sapientiæ, suæ templũ gloriæ.
Stella noua nouiter oritur, cuius ortu mors nostra tollitur, Heuæ lapsus mox restituitur in Maria.
Vt aurora surgens progreditur, velut luna pulchra describitur, super cuncta vt sol eligitur Virgo pia.
Virgo clemens & Virgo vnica, virga fumi, sed aromatica, in te cæli mundique fabrica gloriatur.
Te signarunt ora Prophetica, tibi canit Salomon cantica canticorum, te vox Angelica protestatur.
Verbum Patris processu temporis, intra tui secretum corporis, in te totum & totum deforis simul fuit.
Fructus virens arentis arboris, Christus gigas immmensi roboris, nos à nexu funesti pignoris eripuit.
O Maria dulce commercium, intra tuum celasti gremium, quo salutis reis remedium indulgetur.
O vera spes & verum gaudium, fac post vitæ præsentis stadium, vt optatum in cælis brauium nobis detur. Amen.

In Festo S. Michaelis Archangeli,
Sequentia.

Laus erumpat ex affectu, psallat chorus in conspectu supernorũ ciuiũ.
Michaelem cuncti laudent, nec ab huius se defraudent diei lætitia.

Felix dies qua sanctorum recensetur Angelorum solemnis victoria.
Draco vetus exturbatur, & draconis effugatur inimica legio.
Exturbatus est turbator, & proiectus accusator à cæli fastigio.
Sub tutela Michaelis pax in terra, pax in cælis, laus & iubilatio.
Cum sit potens in virtute, pro communi stans salute, triũphat in prælio.
Hic eneruat hostis fraudẽ, hic præseruat Dei laudẽ iugem in Ecclesia.
Hic est cuius feruens zelus, suggerẽtem nobis scelus, arcet à malitia.
O quàm miræ charitatis est supernæ ciuitatis ter trina distinctio!
Quæ nos amat & tuetur, vt ex nobis restauretur eius diminutio.
Vetus homo nouitati, se terrenus puritati conformet cælestium.
Coæqualis his futurus, licet nondũ plene purus, spe præsumat præmium.
Vt ab ipsis adiuuemur, hos deuote veneremur, instantes obsequio.
Deo grati reformemur, Angelisque conformemur, sacro ministerio.
A terrenis recedentes, erigamus puras mentes in cælum cum manibus.
Vt superna nostri cura nos disponat ad futura cũ sanctis Spiritibus Amẽ.

IN SOLEMNITATE
Sacratissimi Rosarij,
Sequentia.



Virginalis hortuli, verni pubent surculi, & efflorent pulluli, fecunda propagine.
Gelu & hiems transeunt, nix & imber abeunt, rosæ in terra prodeunt è cælesti germine.
Rosa radix lilij, hæc ex horto Filij, toto cursu exilij, collegit plantaria.
Iustis ad lætitiam, reis ad iustitiam, electis ad gloriam, cunctis salutaria.
Quæ de cælis attulit, & in terris sustulit, Christus mundo contulit, contra mundum prælians.
Nos, his tectus frondibus, vulneratus sentibus, redimitus floribus, vocans, purgans, præmians.
A stirpis rosariæ gemmis, spinis, folijs affluentis patriæ, fruemur delicijs, vbi satrix residet.
Atque huius militiæ læta sodalitijs, triplicis hierarchiæ ter trinis cõsortijs, imperatrix residet.
Stella luna pulchrior, lucifero clarior, sole rutilantior, lux luce lucidior.
Sancta sanctis sanctior, Angelo nobilior, Archangelo egregior, Principatu illustrior.
Potestate insignior, Virtute præstantior, Dominatu dignior.
Thronis eminentior, Cherubim peritior, Seraphim ardentior.
Salue noua triumphatrix, & triumphi reparatrix, antiqui certaminis.
Aue Verbi domicilium, sancti Spiritus sacrarium, summi Patris filia.
Affer nobis iuge auxilium, sub discrimen vitæ varium, contra tela hostilia.
Rursus minax sæuit vltor, ni resistas, perit cultor Christiani nominis.
Vt coronent nos post prælium, quæ fert cæli viridarium, mixta rosis lilia. Amen.

IN SOLEMNITATE
Omnium Sanctorum,
Sequentia.



Supernæ matris gaudia, repræsentat Ecclesia.
Dum festa colit annua, suspiret ad perpetua.

In hac valle miseriæ, mater succurrat filio.
Hic cælestes excubiæ, nobiscum stent in acie.
Mundus, caro, dæmonia, diuersa mouent prælia.
Incursu tot phantasmatum, turbatur cordis sabbatum.
Dies festos cognatio simul hæc habet odio.
Certatque pari fœdere, pacem de terra tollere.
Confusa sunt hic omnia, spes, metus, mæror, gaudium.
Vix hora vel dimidia fit in cælo silentium.
Quàm felix illa ciuitas, in qua iugis solemnitas.
Et quàm iucunda curia, quæ curæ prorsus nescia.
Nec languor hic, nec senium, nec fraus, nec terror hostium.
Sed vna vox lætantium, & vnus ardor cordium.
Illic ciues Angelici, sub hierarchia triplici, trinæ gaudent & simplici se monarchiæ subijci.
Mirantur, nec deficiunt, in illum quem prospiciunt, fruuntur, nec fastidiunt, quò frui magis sitiunt.
Illic Patres dispositi, pro dignitate meriti, semota iam caligine, lumen vident in lumine.
Hi Sancti, quorum hodie recensentur solemnia:
Hunc reuelata facie Regem cernunt in gloria.
Illic Regina virginum transcendens culmen Ordinum.
Excuset apud Dominum, nostrorum lapsus criminum.
Nos ad Sanctorum gloriam, per ipsorum suffragia, Christi perducat gratia. Amen.

In Festo Sanctæ Catharinæ Virginis & martyris, Sequentia.


Deest dies triumphalis, in qua spōsus immortalis, sponsæ reddit præmia.
Prosequamur ergo digne, decertantis Catharinæ triumphos & prælia.
Alta virgo stirpe sata, Christo fide consecrata, iussa spernit regia.
Iudex motus, laniari Sanctam iubet, & arctari graui sub custodia.
Victus ei denegatur, sed de cælo ministratur iugis alimonia.
Per columbam sustentatur, Angelorum animatur ad pugnā frequentia.
Conuocatos Oratores, sua Christi confessores fecit sapientia.
Virgo pœnis non terretur, stat virago, non mouetur promissorū gratia.
Scorpione laceratur, prece rota dissipatur, & pœnalis machina.
Triumphante Catharina, sua multi cum regina respuerunt numina.
Tandem rege triumphato, & agone consummato, ferro subit æthera.
Pro cruore lac manauit, Sina corpus collocauit, Angelorum dextera.
Sacrum tumba fert liquorem, salutarem stillat rorem, & minuta ossula.
Aegris confert sanitatē, virgo nobis sanctitatē impetret per sæcula. Amē.

SEQVENTIAE BEATAE Virginis, quando in Sabbatis de ea agitur.

In Sabbatis Aduentus, Sequentia.


Erbum bonum & suaue, personemus illud Aue, per quod Christi fit conclaue Virgo mater filia.

Per

Per quod Aue salutata, mox concepit fecundata, Virgo Dauid stirpe nata, vt inter spinas lilia.
Aue veri Salomonis mater, vellus Gedeonis, cuius Magi tribus donis, laudant puerperium.
Aue, solem genuisti, aue, prolem protulisti, mundo lapso contulisti vitam & imperium.
Aue mater Verbi summi, maris portus, signum dumi, aromatum virga fumi, Angelorum Domina.
Supplicamus nos emenda, emendatos nos commenda tuo Nato, ad habenda sempiterna gaudia. Amen.

In Paschali Tempore in Sabbatis, Sequentia.


Virgini Mariæ laudes cõcinant Christiani.
O beata Domina, tua per precamina reconcilientur peccatores.
Fiant per te liberi à fermento veteri, victimæ Paschalis perceptores.
Da nobis Maria, Virgo clemẽs, & pia, Aspectu Christi viuentis, & gloria frui resurgentis. *vel* ascendentis.
Tu prece nos pia, Christo recõcilia.
Quæ sola mater intacta, es Genitrix Verbi Dei facta.
Credendum est ex te Deum & hominem natum resurrexisse, vel iam ascendisse glorificatum.
Scimus Christũ surrexisse ex mortuis vere, vel ascendisse super cælos vere, cõserua Mater nos, & tuere, Alleluia.

A Festo Trinitatis vsque ad Aduentũ exclusiue in Sabbatis, quando de Beata Virgine celebratur, Sequẽtia.


Saluatoris mater pia, mundi huius spes Maria, Aue plena gratia.
Porta cæli, templum Dei, maris portus, ad quẽ rei currunt cum fiducia.
Summi Regis sponsa digna, cunctis clemens, & benigna, operum suffragio.
Cæcis lumen, claudis via, pijs Martha & Maria, mentis desiderio.
Verbum verbo concepisti, Regem regum peperisti Virgo viri nescia.
Quæ coniuncta nunc eidem es regina facta pridem, operum pro merito.
Dulcis Iesu mater bona, mundi salus, & patrona supernorum ciuium.
Pacem confer sempiternam, & ad lucem nos supernam transfer post exilium. Amen.

RITVS INDVENDI PVERVM, vel puellam ex deuotione, vel voto habitu nostri Ordinis.

Benedictio Vestimentorum.


Sacerdos cum stola, accedens ad altare, astante puero, vel puella, benedicat vestimenta hoc modo. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Oratio.

Domine Iesu Christe, qui pro salute nostra humanam naturam suscipiens, tè vestimento carnis induere dignatus es, benedictione tua sancta bene ✠ dic indumẽta ista, quæ pro gratijs tibi exoluendis cum deuotione, sanctoque voto, ac veneratione beatissimæ Mariæ semper virginis, & beati N. paruulus iste super se suscepturus est: infunde in eum

quæsu-

quæsumus, tuam benedictionem, vt cum primum induerit hoc vestimentum Religioni simile, intercedente beato N. descendat super eum gratia tua, quæ illum protegat ab omni malo mentis, & corporis. Qui viuis. Deinde aspergat Sacerdos vestimẽta, & puerum aqua benedicta: postea eum exuens vestimentis sæcularibus, dicat: Eripiat Deus de corde tuo sæculi pompas, quibus abrenunciasti dum baptismum susciperes. Postea induat eum tunica, & dicat: Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem: sanctoq. feruore succẽdaris, & ardeas cælestium bonorum desiderio. Postmodum cingat eum, dicendo: Præcingat te Dominus zona iustitiæ, vt immaculata conserues omnia mandata eius. Postea ponat ei scapulare, & dicat: Induat te Dominus vestimentis salutis, quæ per gratiam suam munda, & immaculata custodias: vt ijs dignus existas, qui secum ambulabunt in albis in regno cælorum. Deinde vestiens eum cappa, dicat: Induat te Dominus Iesus Christus vestimento salutis: & indumento iustitiæ circumdet te. Postea det ei candelam accensam in manibus, & dicat Psal. Laudate pueri Dominum. ℣. Ostende nobis Domine. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio.

Domine Iesu Christe Fili Dei viui, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abũdantiam, quatenus puerum istum, vel [puellam istam,] quem, vel [quam] habitu sanctæ religionis ad honorem tuum, & beatissimæ virginis Mariæ, & beati N. vestiuimus, ita tua gratia, & benignitate illustrare digneris, quatenus te induere mereatur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, &c. Hac Oratione finita, puerum ad altare offerant, & dicat. Confirma hoc Deus in puero isto: [vel puella ista] quod in eo, [vel in ea] operari cœpisti à templo sancto tuo. Deducat eum, [vel eam] Spiritus sanctus in viam rectam, & benedictio tua sit super eum, [vel eam] semper. Poterit deinde dicere Orationem de beata Virgine. Protege Domine famulum tuum; [vel famulam tuam] &c. Et Orationem de Sancto illo in cuius honorem vestitur. Postea benedicat circumstantes, dicendo. Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper.

Ordo ad exuendum puerum simul puellam, cum per annum, vel plus portauerit habitum præfatũ ex voto, vel deuotione. Sacerdos cum stola veniens ad altare, præsentatum sibi puerum à parentibus accipiens, eum exuendo vestimentis, vel habitu Ordinis, dicat. Reddite vota vestra Deo cum gratiarũ actionibus. Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Psal. Laudate Dominum omnes Gentes. totum. Postea deponat habitum super altare, vel donet parentibus si voluerit, & dicat. ℣. Adiutorium nostrum. ℣. Domine exaudi orationem meã. Dominus vobiscũ. Oremus. Oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus: à quo omne bonum

bonum descendit, tibi gratias referimus, & expleta vota reddimus: suscipe vota nostra cum gratiarum actionibus, & intercedente beatissima Filij tui Domini nostri Iesu Christi genitrice Maria, & beato N. huic puero, [siue puellæ] de cetero mẽtis, & corporis præsta salutem, vt te Creatorem recta fide colat, in te Redemptorem spem suam confirmet, te bonum super omnia diligat, atque sanctis mãdatis tuis semper obediat. Per eundem Dominum.

Deinde omnibus benedicat, dicens.

Benedictio Dei omnipotentis ✠ Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Postea aspergat eos aqua benedicta, & eant in pace.

BENEDICTIONES

variæ, quæ quando dicuntur, Sacerdos semper habeat stolam ad collũ.

Modus benedicendi aquam, qua fideles asperguntur. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.

Exorcismus Salis.

Exorcizo te creatura salis, per Deum ✠ viuum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠ sanctum: per Deum, qui te per Elisæum prophetã in aquam mitti iussit vt sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effugiat, atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisq. spiritus immundus adiuratus, Per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio.

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare tua pietate digneris: vt sit omnibus sumẽtibus salus mentis & corporis: & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq. impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Iesu Christi Filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis suis apostaticis: Per virtutẽ eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Oratio.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia cõdidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde: vt creatura tua mysterijs tuis seruiens, ad abigendos dæmones, morbosq. pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quidquid in domibus, vel in locis fidelium, hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura cor-

corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem sancti nominis tui expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum.

Hic ponatur sal in aqua in modum ✠ dicendo hanc Orationem.

COmmixtio salis, & aquæ pariter fiat: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti. Amen. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DEus inuictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperij Rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sæuitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes, & supplices deprecamur ac petimus: vt hanc creaturam salis, & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sancti ✠ fices: vt vbicumque fuerit aspersa, per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur: & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, vbique adesse dignetur. Per Dominum nostrum. eiusdem.

Benedictio loci.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

BEne ✠ dic Domine Deus omnipotens locum istum, vt sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio, Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo. Per Christum Dominum nostrum, nunc & in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio domus nouæ.

Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

TE Deum Patrem omnipotentē suppliciter exoramus pro hac domo, & pro habitatoribus eius ac rebus: vt eam bene ✠ dicere, & sanctificare, ac bonis omnibus ampliare digneris. Tribue eis Domine de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene ✠ dicere & sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, & Isaac, & Iacob: & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, & eius habitatores custodiant. Per Christum.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio thalami.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

BEne ✠ dic Domine thalamum hunc: & omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & mul-

& multiplicentur in longitudinem dierum, & ad regna cælorum perueniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergat thalamum aqua benedicta. Benedictio Candelarum. ℣. Adiutorium. ℣. Dominus vobiscum. Oratio.

DOmine Iesu Christe Fili Dei viui, bene ✠ dic candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis Domine per virtutem sanctæ Cru ✠ cis benedictionem cælestem: qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti, talemque bene ✠ dictionem signaculo sanctæ Cru ✠ cis accipiant: vt in quibuscumque locis accensæ, siue positæ fuerint, discedant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pauidi cum omnibus ministris suis de habitationibus illis: nec præsumant amplius inquietare, aut molestare seruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorũ. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta. Benedictio nouæ Cimbe, seu Nauigij. ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælũ. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris, & bene ✠ dic Nauim istam dextera tua sancta, & omnes qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluuio. Porrige eis Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare, & mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet, & custodiat semper eam ab vniuersis periculis, cum omnibus quæ in ea erunt: & famulos tuos repulsis aduersitatibus, portu semper, cursuque tranquillo tuearis; transactisque rite, riteque perfectis negotijs omnibus iterato tempore ad propria cum gaudio reuocare digneris. Per Dominum &c.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Ichonarum.

℣. Adiutorium nostrum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam suppliciter exoramus: vt Ichonam hanc in qua gloriosissimæ Imagines, tua, & Filij tui Domini nostri Iesu Christi, gloriosæque virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum N. depictæ sunt, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris; antequam quicumque ob deuotionem, se ad ipsam deuote adorandam inclinauerint, salutem mentis, & corporis consequantur, & à cunctis periculis liberentur, & quidquid iuste petierint, obtinere mereantur. Per eundem Dominum nostrum.

Postea aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Agni in Pascha.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

IEsu Christe Fili Dei viui, qui es verus, & immaculatus Agnus, quiq. immolatus in ara Crucis peccata mũdi delesti, & nos ad ouile proprijs humeris reportasti: has carnes Agni, quas ad vsus hominũ creasti, bene ✠ dicere, & sãcti ✠ ficare tua pietate digneris: vt omnes ex eis sumentes, se sentiant tuis beneficijs repletos, & corporis & animæ sanitatẽ te annuen-

annuente, se percepisse lætentur, Saluator mundi. Qui viuis & regnas. Postea aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Panis.

℣. Adiutorium nostrum.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, bene ✠ dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: vt omnes ex eo gustātes, inde corporis & animæ percipiāt sanitatem. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate.

Alia Oratio.

OMnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sācta ✠ benedictione, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamen, per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem viuum qui de cælo descendit, & dat vitam, & salutem mundo, & tecum viuit, & regnat Deus in vnitate Spiritus sancti. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio ouorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

SVbueniat quæsumus Domine, tuæ benedictionis gratia huic ouorū creaturæ, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es: vt cibus salubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actione sumentibus. Per Christum Dominum nostrum &c.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio nouorum fructuum.

℣. Adiutorium nostrum.

Oratio.

BEne ✠ dic Domine hos nouos fructus N. & præsta: vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis, & animæ salute potiantur. Per Dominum nostrum Iesum.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio ad quæcumque volueris *comestibilia.* ℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

BEne ✠ dic Domine creaturam istam N. vel N. vt sit remedium salutare generi humano, & præsta per inuocationem tui sanctissimi nominis: vt quicumque ex ea sumpserint, vel gustauerint, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Dominum nostrum Iesum Christum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio vestimentorum Fratrum vel Sororum. ℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscū. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio.

DOmine Iesu Christe, qui tegmē nostræ mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, vt qui hoc vsus fuerit, te induere mereatur Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea

Postea aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Vestimentorum Sacerdotalium in genere. ℣. Adiutorium. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuū Pontificalia, seu Sacerdotalia, atque Leuitica vestimenta ad explendum in cōspectu tuo ministerium eorum, ad honorem, & decorem tui nominis fieri decreuisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & hæc indumēta Sacerdotalia, seu Leuitica desuper irrigante gratia tua ingenti, benedictione per nostræ humilitatis seruitutem puri ✠ ficare, bene ✠ dicere, & conse ✠ crare digneris: vt diuinis cultibus, sacrisque misterijs apta, & benedicta existant: his quoque sacris vestibus Pontifices, & Sacerdotes, seu Leuitæ tui induti, ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum spirituum muniti, & defensi esse mereantur: tuisque mysterijs apte & condigne seruire, & inhærere, atque in his placide, & deuote perseuerare concede. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

DEus, inuictæ virtutis auctor, & omnium rerum creator ac sanctificator: intende propitius preces nostras, & hæc indumenta Leuiticæ & Sacerdotalis gloriæ, ministris tuis fruenda, tuo ore proprio bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris: omnesque eis vtentes, tuis mysterijs aptos, & tibi in eis deuote & laudabiliter seruientes, gratos efficere digneris. Per Dominum.

Alia Oratio. Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Leuitis in vsum tabernaculi fœderis necessaria, Moysen famulum tuum agere iussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum repleuisti: hæc vestimenta in vsum & cultum Mysterij tui bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare digneris: atque ministros altaris tui, qui ea induerint, septiformis Spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerij congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum. ℟. Amen.

Deinde aspergat ea aqua benedicta: & facto signo Crucis, dicat. Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti descendat super has vestes, & maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio mapparum, seu linteaminum. ℣. Adiutorium nostrum &c. deinde. Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui ornamenta, & linteamina facere Moysen famulū tuum per quadraginta dies docuisti: quæ etiam Maria texuit, & fecit in vsum ministerij tabernaculi fœderis: sancti ✠ ficare, bene ✠ dicere, & conse ✠ crare digneris hæc linteamina, ad tegēdum inuoluendumque altare gloriosissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Ad Corporalia benedicenda. ℣. Adiutorium nostrum. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Oratio

CLementissime Domine, cuius inenarrabilis virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur, tribue quæsumus: vt hoc linteamen tuæ propitiationis vbertate bene✠ dicere, & sancti✠ ficare digneris ad consecrandum super illud corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. &c. ℟. Amen.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus bene✠ dicere, sancti✠ ficare, & conse✠ crare digneris linteamen istud ad tegendum, & inuoluendum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Per eundem Christum Dominum.

FERIA QVINTA in Cœna Domini, finito Mandato ablutionis pedum, Diaconus, & Subdiaconus cum Ceroferarijs, & Thuriferario sacris vestibus induti, prout in magnis Solemnitatibus fieri solet, veniant eo modo ad Capitulum, quo in dictis Solemnitatibus fieri solet, ad cantandum Euangelium, sine Cruce tamen. Cumque in Capitulum venerint, Thuriferarius thus oblatum Priori ad benedicendum, & benedictum ab ipso in thuribulo ponat. Deinde Diaconus accepta benedictione à Priore, stans verso vultu ad Aquilonem: (si Capitulum fuerit ad Orientem, vel ad Occidentē situm) aliàs verso vultu ad Crucifixum Capituli, dicat tono cantus Euangelij Dominus vobiscum. Et stātibus Fratribus, ac respondentibus, & ad Gloria tibi Domine. se signantibus, legat solemniter Euangelium, Ante diem. Subdiacono, & Ceroferarijs, & Thuriferario ordinatis sicut ad alia Euangelia ordinari solent.

Sequentia Sancti Euangelij Secundum Ioannem.

ANte diem festum Paschæ, sciēs Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mūdo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Domi-

Ioan. 13.

Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Reliqua legantur vsque in finem per modum Lectionis à Diacono, remoto prius puluinari à Sacrista, & Diacono ipso stante verso ad Crucifixũ dũ fuerit in Capitulo. Ceteris Fratribus sedentibus in suis locis, Subdiaconus, & Ceroferarij, ac Thuriferarius depositis candelabris ante pulpitum in quo legitur, hinc & inde, & thuribulo in medio, post Diaconum sedeant in aliqua sede à Sacrista præparata, & panno decenti cooperta.

Amen, amen dico vobis. Non est seruus maior domino suo: neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, priusquam fiat: vt cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quẽ misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, introiuit in eum satanas, & dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo: erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo. Mandatum nouum do vobis: Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscẽt omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

Et ait discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, Cap. 14.

& in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo: hoc faciam. Si diligitis me: mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis prius quàm fiat: vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mun-

mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. Dicto Surgite, &c. surgant omnes, & præcedentibus Diacono, & Ministris ordine supradicto, vadat Conuentus ad Chorum iunioribus præcedentibus. Et collocati ante pulpitum à Sacristia præparatum candelabris, & thuribulo, sicut in Capitulo fuerat, collocato, sedente Subdiacono cum Ministris post Diaconum in aliqua sede præparata à Sacrista, Diaconus stans ad pulpitum, ceteris Fratribus sedentibus, prosequatur vt prius quæ de sermone Dominico restant.

Ioan. 15. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eũ: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis peteris, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis: vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorē vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mũdo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, &

Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Cum autem venerit Paraclitus, quē ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

Ioan. 16. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis: vt cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatē. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit ergo Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicū, & videbitis me. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autē contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annun-

annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus, quia scis omnia: & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi. Respõdit eis Iesus: Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis, & non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Cap. 17. Hæc locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt vere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt: & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletũ in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundũ. Et pro eis ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia tu me misisti,

& di-

REGESTVM

* ** *** **** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff a b c d e f

Omnes ſunt Quaterniones, præter Ff & f Duerniones.



R O M AE,

Ex Typographia Alfonſi Ciacconi.

Apud Carolum Vullietum.

M D C I I I I.

SVPERIORVM PERMISSV.



